THEOLOGIA
DOGMATICA ET MORALIS

AD MENTEM

S. THOMÆ AQUINATIS ET S. ALPHONSI DE LIGORIO

Vesontione. — Ex typis Outhenin Chalandre filiorum et Soc.

THEOLOGIA
DOGMATICA ET MORALIS

AD MENTEM

S. THOMÆ AQUINATIS ET S. ALPHONSI DE LIGORIO

NECNON JUXTA RECENTIORA SEDIS APOSTOLICÆ DOCUMENTA

ACCURATE EXPLANATA

AUCTORIBUS

PROFESSORIBUS THEOLOGIÆ SEMINARII CLAROMONTENSIS

E Societate Sancti Sulpitii

PROMOVENTE ET APPROBANTE

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DD. JOANNE PETRO BOYER

Episcopo Claromontensi

EDITIO QUARTA

TOMUS SECUNDUS

TRACTATUS DE SS. TRINITATE — DE DEO CREATORE
DE DEO REDEMPTORE — DE GRATIA.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
P567
Alma, California

PARISIIS

APUD A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, EDITORES

Via vulgo dicta Grands-Augustins, 7

1886

8837

Property of
CUA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TRACTATUS

DE SS. TRINITATE

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE SS. TRINITATE

Ex symbolo S. Athanasii et ex concilio Lateranensi IV.

SYMBOLUM ATHANASIANUM.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes; alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus; increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus; immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus; æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: et tamen non tres æterni; sed unus æternus; sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus, et unus immensus; similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: et tamen non tres omnipotentes; sed unus omnipotens; ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: et tamen non tres Dii; sed unus est Deus; ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus:

et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus : quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur; ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus; nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti; et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales. Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

CONCILII LATERANENSIS IV DECRETA.

CAPUT I. Definitio adversus Albigenses aliosque hæreticos.

Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus et incommutabilis, omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus : tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino : Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque : absque initio, semper ac sine fine : Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens : consubstantiales et coæquales, et coomnipotentes et coæterni... Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et Sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem....

CAPUT II. Definitio contra abbatem Joachim et Almaricum.

.... Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur... quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet

earumdem : et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas : quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet, substantia, essentia, seu natura divina : quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest : et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit : ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud : sed id quod est Pater est Filius, et Spiritus Sanctus idem omnino, ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur : Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit : cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi : alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit : et ita Pater et Filius habent eamdem substantiam : et sic eadem res est Pater et Filius, necnon et Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Cum vero Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem : Volo, inquiens, ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus : hoc nomen unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia : pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, ac si diceret manifestius : Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ, utraque videlicet suo modo : quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Joachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Ab exordio hujusce tractationis nonnulla more solito præmonere juvat — 1. de objecto Tractatus; — 2. de notione SS. Trinitatis; — 3. de dicendorum præstantia, utilitate atque ordine.

I. *Tractatus objectum.*

1. Theologiam dogmaticam specialem aggredientes, cujus proprium munus est de singulis dogmatibus disserere (Cf. *Prolegom. Theol.*, n. 21), a Deo incipiamus necesse est — tum quia ipse primarium est ac fundamentale fidei dogma; — tum quia ratio est etiam, sub qua omnes veritates theologicæ expenduntur. Deum autem *natura unum, personis* vero trinum esse catholica fides nos edocet. Hinc igitur ad cœptum opus rite complendum duplex nobis tractatio necessario foret instituenda : prima *de Deo uno*, altera *de Deo trino;* nec alia via procedunt præstantissimi theologi.

Sed cum ea, quæ ad Deum unum spectant, philosophia Christiana luculenter simul et accurate pertractet, theologicam disquisitionem de eodem argumento brevitatis causa prætermittendam ducimus, statimque a Deo trino incipimus. Jure proinde præsentem Tractatum *de SS. Trinitate* inscribimus; præfixus enim titulus ab ipso initio objectum ejus rite determinat, et quibus implexus sit difficultatibus subobscure innuit.

II. *Sanctissimæ Trinitatis notio.*

2. Si quoad *nomen* spectetur sanctissima atque individua Trinitas, non uno et eodem sensu ab omnibus accipitur. Juxta plurimos theologos vox illa *Trinitas* idem sonat ac *trium unitas*, et ex iis duabus vocibus derivatur; ita S. Isidorus (*de orig.*, vel *etymol.* l. 7, c. 4) dicens : « *Trinitas* appellatur, quod fiat totum *unum* ex quibusdam *tribus*, quasi *triunitas*. »

Item Magister *Sententiarum* (l. 1, diss. 24) ait : « Trinitas ut trium unitas. » — At vero alii voce illa, quæ prima vice a Tertulliano usurpata est, significari contendunt non trium unitatem, sed *tres, triadem, triplicitatem* » (Cf. DD. Ginoulhiac, *Histoire du dogme cathol.*, l. 4, c. 2).

Si vero quoad *rem* consideretur eadem augustissima Trinitas, rectissime definitur : *Mysterium trium personarum realiter distinctarum in una eademque numerice essentia vel natura aut substantia divina ;* vel brevius : *mysterium trium personarum in uno Deo*, aut etiam *unius Dei in tribus personis.* — Quæ quidem definitio optime consonat variis fidei catholicæ symbolis, præsertim vero Symbolo S. Athanasii supra adducto, juxta quod « Fides Catholica hæc est : ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas neque substantiam separantes. »

Ex his patet sacrosanctum Trinitatis mysterium in eo consistere, quod *tres sint in una divina essentia personæ realiter distinctæ*, seu, aliis verbis, quod Deus unus in essentia trinus sit in personis. Ante omnia igitur sedulo nobis declarandum est quid per *essentiam* et quid per *personam* hic intelligatur, eoque nobis accuratius determinandus est prædictorum aliorumque in præsenti Tractatu sæpius usurpatorum vocabulorum sensus, quod prima ac frequentior causa errorum, qui in expositione dogmatum irrepere solent, ex verbis male intellectis proveniat. Neminem insuper latet acriter de iis olim disputatum fuisse, ut videre est apud DD. Ginoulhiac (l. 5, ch. 11, etc.); nec desunt etiam recentiores auctores, qui hac occasione disciplinis philosophicis minus sinceris imbutos se esse ostendunt. Jam vero

1. *Essentia*, quæ ab *esse* nomen habet, est *id, quo res quælibet est id quod est et a cæteris rebus distinguitur.* Quoniam vero res efficitur quod est et a cæteris rebus secernitur ex eo quod in aliqua specie constituitur, essentia etiam definitur *id quo res in certa rerum specie collocatur.* — Apud veteres, teste S. Augustino, *essentia* vox haud raro pro *natura* et *substantia* accipiebatur; adest tamen aliqua differentia; nam *natura*, quæ derivatur a voce *nascor*, essentiam denotat, prout est princi-

pium, ex quo proprietates et operationes rei promanant. *Substantia* autem sic dicta eo quod accidentibus substat, de essentia prædicatur, prout nulla alia re indiget cui inhæreat ad existendum, et definitur *res cui convenit existere in seipsa, non autem in alia re tanquam in subjecto.* — Quidquid sit de his distinctionibus etymologicis et philosophicis, juxta sensum ab Ecclesia receptum voces illæ *essentia*, *natura* et *substantia* idem in Deo significant. Unde Conc. Later. IV. dicit : « Quælibet trium personarum divinarum est illa res, videlicet *substantia*, *essentia*, sive *natura* divina. »

2. *Persona* a Boetio, quem sequuntur communiter theologi et philosophi, definitur *naturæ rationalis individua substantia.* Porro vox *individua* significat non tantum personam esse aliquid singulare, atque completum in ordine substantiæ, sed etiam alteri prorsus incommunicabile. Jam vero actus, sive perfectio, per quam substantia singularis et completa existit, *subsistentia* appellatur. Quare subsistentia definiri potest *perfectio, qua natura ultimo completur atque terminatur ratione substantialitatis et operationum, ita ut sit sui juris.*

Hujusmodi definitionem divinis personis competere nonnulli equidem negarunt, eo quod in Deo admitti non possint tres individuæ substantiæ, seu tres naturæ rationales in individuo subsistentes ; at juxta communem sententiam nihil obstat, quin prædicta notio divinis personis applicetur, siquidem, ut observant auctores, vox *substantia* pro *subsistentia*, vox *individua* pro *incommunicabili*, vox *rationalis* pro *intelligentis* legitime accipitur, ita ut sensus sit *tres esse in Deo subsistentias incommunicabiles unius naturæ intelligentis.*

Eamdem definitionem Sanctissimæ Trinitatis mysterio sic attemperat S. Thomas : « Persona in communi, inquit (1. q. 29, a. 4), significat substantiam individuam rationalis naturæ. Individuum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa, sicut in humana natura significat has carnes, hæc ossa et hanc animam, quæ sunt principia individuantia hominem. — Distinctio autem in divinis non fit, nisi per relationes originis. Relatio autem in

divinis non est sicut accidens inhærens subjecto, sed est ipsa divina essentia : unde est subsistens, sicut divina essentia subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. *Persona ergo divina significat relationem, ut subsistentem.* »

Notandum superest quod vox *hypostasis*, ubi de Trinitate sermo instituitur, eamdem habeat significationem ac vox *persona*. Prima quidem plurimis controversiis locum dedit tempore Arianismi, aliis pro substantia seu essentia, aliis pro subsistentia eam accipientibus : sed ab Ecclesia in concilio Constantinopolitano I sancitum est ut voces *persona*, *hypostasis* et *subsistentia*, dum de Trinitate agitur, synonymæ sint et idem significent, quamvis etymologice hypostasis idem sit ac substantia.

III. *Tractatus præstantia, utilitas, indoles et divisio.*

3. — I. Præstantia. Ex ipsius objecti dignitate et excellentia repetenda est præsentis Tractatus præstantia : porro nullum in tota theologia invenire est objectum dignius, excellentius, imo et divinius ; Trinitas enim, ut ex dicendis patebit, ipsa est vita Dei intima, beatitudinis ejus ratio, essentiæque divinæ ultimus subsistendi modus. Propterea omnium mysteriorum primum ac maximum merito prædicatur, in eo siquidem revelantur non naturæ creatæ secreta, sed ipsa profunda Dei, quæ nullus unquam hominum vidit, vel cogitando est assecutus, vel contemplando potuit conspicere (*Joan.*, I, 18; I *Cor.*, II, 8 et seq.), sed tantum Filius, qui est in sinu Patris, omniumque proinde secretorum paternorum consors, enarravit (cf. *Joan.*, XVII, 4 et seq.; *Matth.*, XI, 27); quæque eo splendidius divinæ naturæ perfectionem infinitamque fecunditatem manifestant, quo magis excedit Filius unigenitus Patri per omnia similis creaturam quamlibet nobilissimam.

Hoc etiam eximium et singulare habet illud mysterium, ut sit veluti sigillum impressum cuivis christiano in ritu baptismali, quo Ecclesia aggregatur, primumque proinde credendum fidelibus proponatur. Hujus itaque mysterii professione tessera continetur, qua distinguuntur fideles ab infidelibus; imo in

ipsius fide tota consurgit religio christiana; aliæ nimirum religiones aut Deum ignorant, aut eum nonnisi natura unum profitentur: soli Religioni Christianæ datum est Deum trinum et unum venerari atque ideo cœlestis beatitudinis objectum his in terris mente præoccupandum præbere.

Idem demum evidentius apparet, si mysterium, de quo sermo est, cum cæteris conferatur; nam — 1. dum alia quoddam agnoscant initium sui, certoque a tempore sint et non esse potuerint, hoc contra immutabile, æternum et necessarium est; — 2. ab ipso principium et originem sumunt cætera; quippe quæ vel in Verbi divini Incarnatione posita sunt, vel eam consequuntur; — 3. reliqua imperfecti quid habent; illud nihil nisi purum, nihil nisi augustum ac majestate plenum, nihil nisi grave ac divinum includit; — 4. cæteris medii, illi autem principii et finis ratio inest.

4. — **II. Utilitas.** Ex modo dictis facili negotio colligere est quanta sit hujusce Tractatus utilitas, quo nempe in sanctuarium fidei introducimur, lucemque illam inaccessibilem quam habitat Deus pervadentes, altissima divinitatis fastigia assequimur, ex quibus tanquam ex primigenio fonte vitam ipsam tum naturalem tum supernaturalem cernere datur largo perennique imbre ad ultimos usque creationis terminos decurrentem omniaque recreantem. — Nec parum superexcellenti illa Dei cognitione juvabimur ad explanandas cœlestes omnino communicationes, quæ in subsequentibus tractationibus expendendæ venient; quin etiam cum doctrina de augustissimo Trinitatis mysterio ita connectuntur præcipua religionis nostræ dogmata, ut sine cognitione hujusce fundamentalis mysterii salutis nostræ causæ, *caritas* scilicet Patris, *meritum* Filii, *gratia* Spiritus Sancti, ignotæ nobis manerent. — Denique nova ratio accedit, ob quam tractatus præsens peculiarem utilitatem sibi vindicat, maximaque adeo diligentia suscipiendus est, ex innumeris propemodum hæreticis, qui orthodoxam de mysterio Sanctissimæ Trinitatis fidem impugnarunt; theologus quippe potens sit non solum exhortari in doctrina sana, sed etiam eos qui contradicunt arguere, necesse est.

5. — **III. Indoles et divisio.** At vero eo major cautio adhi-

benda erit ut castigata sit et accurata nostra loquendi ratio, quo sublimius ac intellectu difficilius est SS. Trinitatis mysterium, de quo jure S. Augustinus ait : » Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur » (l. 1, *de Trinit.*, c. 5). Caveamus imprimis ne placita humana cum dogmatibus revelatis confundantur; et cum hæc proponuntur, non aliis utamur vocibus, nisi illis, quæ per infallibile Ecclesiæ magisterium sancitæ fuerunt. Quod nobis præstare dignetur Deus æque bonus ac sapiens.

Ut autem doctrina tanti momenti recte pertractetur, in triplici capite seorsim disseremus — 1. de cognoscibilitate; — 2. de demonstratione; — 3. de intrinseca ratione mysterii SS. Trinitatis.

CAPUT I.

DE COGNOSCIBILITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

6. In Tractatu *de Locis theologicis* probatum fuit rationi humanæ multiplex competere munus circa fidei veritates. Cum vero inter eas præcipuum locum obtineat Sanctissimæ Trinitatis mysterium, abs re non erit speciatim inquirere an et quatenus doctrina revelata de Trinitate — 1. rationem excedat; — 2. rationi consentanea sit; — 3. ratione illustrari possit. Inde patebit quid circa mysterium, de quo agimus, ratio humana præstare valeat et quid non valeat.

ARTICULUS I.

An et quatenus mysterium SS. Trinitatis rationem excedat?

7. Errores. Non defuerunt theologi, qui nimium ingenio suo confidentes, existimarunt mysterium Sanctissimæ Trinitatis ratione demonstrari posse. Citantur imprimis Abailardus, Richardus a S. Victore, et Raymundus Lullus. — Contra quos sequens sit

8. Assertio : *Mysterium SS. Trinitatis per naturale rationis lumen non potest cognosci, nec ideo ulla ratione naturali demonstrari.*

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Prætermissis testimoniis, quibus generatim innuitur religionis christianæ mysteria supra rationis humanæ captum posita esse, legitur (*Matth.*, XI, 27) : « Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi » Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Et (*Joan.*, I, 18) : « Deum nemo vidit unquam; Unigenitus Filius, qui est in » sinu Patris, ipse enarravit. » Jam vero si ratione naturali cognosci aut demonstrari posset Trinitatis mysterium, hæc falso dicerentur. Ergo. — Christus iterum et quidem manifeste docet eamdem notitiam non ex humana mente, sed ex sola cœlesti revelatione proficisci, quando Petrum, post præclaram ipsius divinitatis confessionem, sic (*Matth.*, XVI, 17) alloquitur : « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non » revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. »

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum.* S. Athanasius (*Epist. ad Serap.*) sic Arianos interpellat : « Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolum hac in re imitati, cujus hæc sunt verba : credere enim oportet primum Deo, quia est. » — S. Augustinus (l. 15, *de Trinit.*, c. 16, n. 9) scribit : « Quis disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ acies cogitationis ostendet quomodo sit Trinitas. » — Demum S. Bernardus (l. 5 *de Consider.*, c. 8) hæc habet : « Sacramentum hoc magnum est et quidem venerandum, non scrutandum, quomodo pluralitas in unitate aut ipsa in pluralitate. Scrutari hoc temeritas est; credere pietas; nosse via et vita æterna. »

Prob. 3. *Ratione.* « Nempe duplex est duntaxat demonstrationis genus, *a priori* seu per causam, et *a posteriori* seu per effectus. At neutro modo adstrui potest mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Et quidem non *a priori* seu per causam, cum sanctissima Trinitas, utpote Deus ipse, nullam causam sui agnoscat; sed nec potest *a posteriori*, seu per effectus, id est, creaturas. Eatenus enim per eas cognosci ac demonstrari po-

test Deus, quatenus earum est causa. Atqui Deus non est causa creaturarum, quatenus est trinus, sed quatenus est unus. Est enim earum causa quatenus omnipotens. At omnipotentia ad naturam ipsam divinam pertinet, quæ una est, et quatenus una; non vero spectat ad personarum distinctionem. Non enim unaquæque persona propriam habet ac distinctam omnipotentiam; imo, juxta commune effatum, opera Sanctissimæ Trinitatis *ad extra* sunt indivisa. Ergo nullus est effectus singulis proprius, per quem demonstrari illæ queant. » Ita Vitasse (*de Sanctissima Trinitate*, quæst. 1, art. 1).

His addi potest creaturas, ex quarum consideratione ratio assurgit ad Dei unius existentiam et perfectiones, quia intercedit connexio necessaria causæ absolute perfectæ cum effectibus relative perfectis, non posse rationem inducere in Trinitatem personarum in Deo, eo quod imago adæquata tanti mysterii nullibi reperiatur impressa, nequidem in spiritibus creatis, in quibus magis relucent divina attributa.

Et vero mysterium S. Trinitatis in eo situm est quod sint tres personæ uni et eidem naturæ identificatæ, et tamen inter se distinctæ; unica natura et tres subsistentiæ; tres personæ quarum unaquæque est Deus, nec tamen tres dii; Filius a Patre, Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedat, et tamen illæ personæ sint æternæ, perfectæ, æquales, nec una altera major..... Porro, nedum ratio humana hæc per seipsam intelligere valeat, e contra illis valde confunditur, siquidem certis legibus, quas novimus, adversari videntur; illarum quippe una est : quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; — secunda : ubi unica est natura, ibi unica est subsistentia, et ubi plures sunt personæ, ibi plures sunt naturæ; — tertia : formas pro subjectis multiplicari; — quarta : filium a patre pendere eoque posteriorem esse, etc. Ergo.

9. Corollaria. Ex probatis colligere est — 1. mysterium Sanctissimæ Trinitatis, nec etiam supposita fide, naturali ratione demonstrari posse. Constat iisdem, quæ supra, momentis; textus quippe sacræ Scripturæ et SS. Patrum nullatenus distinguunt inter rationem sibi relictam et eamdem revelatione illustratam.

Colligere est — 2. nec etiam ejusdem mysterii possibilitatem sola ratione evinci posse, ratio siquidem nunquam efficiet, ut duo hæc repugnare non videantur, quod nempe unus sit Deus et tamen tres esse possint in una eademque natura personæ, quarum unaquæque sit Deus. Nisi vero via ostendatur, qua hæc duo concilientur, mysterium Sanctissimæ Trinitatis nunquam probabile faciet humanus intellectus.

Colligere est — 3. dogma catholicum SS. Trinitatis nullatenus a Platone et orientalibus philosophis mutuatum esse. Nulla quippe doctrina ab altera dimanare dici potest nisi inter hanc et illam quædam analogia aut similitudo deprehendatur : sed nulla datur analogia nec similitudo inter dogma catholicum de Trinitate et Platonis Orientaliumque placita. Ergo.

Itaque quærenti utrum gentilibus, saltem quibusdam, notum fuerit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, respondendum est, duce Witassio :

1. Inter gentiles, ne philosophi quidem ad hujus mysterii distinctam notitiam pervenerunt. Illud passim asserunt SS. Patres, pro quibus appellare satis erit S. Cyrillum Alex. (l. 8, *contra Julianum*) scribentem : « Scimus homines mundanæ sapientiæ fastu sane quam elatos et tumidos hæc subtiliter quidem indigitasse, non tamen omnino citra errorem. Non enim eis lux veritatis illuxit. » Cæterum, si philosophi Trinitatis mysterium novissent, docuissent et scriptis suis consignassent, non ita offensioni fuisset aut irrisioni, cum a christianis propositum est. Atqui nullum fuit Christianæ Religionis caput, quod magis offensioni aut irrisioni fuerit. Ergo ea non erat summorum philosophorum, qui ubique admirationi erant, doctrina.

2. Si quid philosophi de Deo dixerunt ipsiusque Verbo, quod ad Ecclesiæ fidem accedere videatur, id aut ex sacris sive veteris, sive novi Testamenti libris, aut ex Judæorum et Christianorum colloquiis hauserunt. Quod quidem constat auctoritate veterum, et imprimis S. Augustini, qui (l. 2, *de Doctrina christ.*, c. 28 et l. 7, *Conf.*, c. 9) de Platonicorum libris loquens : « Ibi legi, inquit, *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; omnia per ipsum*

facta sunt, etc. » Item S. Justinus (*Apolog. secunda*) diserte docet Platonem, quæ de Deo præclare dixit, ea ex Moyse habuisse.

ARTICULUS II.

An et quatenus mysterium sanctissimæ Trinitatis rationi consentaneum sit?

10. Nihil non moliti sunt increduli, et præsertim Sociniani et Rationalistæ, ut evincerent Trinitatis mysterium rectæ rationi contradicere; eorum autem cavillationes sequens refellet

Assertio: *Sanctissimæ Trinitatis mysterium, quamvis supra rationem sit, nullatenus tamen contra rationem esse demonstrari potest.*

Prob. 1. *Auctoritate.* Enimvero doctrina catholica de mysterio Sanctissimæ Trinitatis a Deo revelata est, ut mox probaturi sumus : porro quæ Deus revelavit, rectæ rationi repugnare non posse multiplici argumento probatum fuit in Tractatu de locis theologicis. Ergo. — Insuper omnes norunt viros præstantissimos, Patres nimirum innumerosque Theologos, facto dogmatis examine omnibusque adversariorum difficultatibus perpensis, illud fide tenuisse, atque ab omni contradictione immune declaravisse et propugnavisse. Ne igitur tot homines doctrina et pietate celeberrimos aut deceptos fuisse aut fallere voluisse dicamus, necesse est ut fateamur dogma de Trinitate nullam repugnantiam involvere. Ergo.

Prob. 2. *Ratione.* Eatenus quippe probaretur contradictio in doctrina revelata de Trinitate, quatenus ostenderetur duas ideas claras, quæ se evidenter excludunt, de se mutuo prædicari, ut fit, v. g., in hac assertione : *Circulus est quadratus.* Jam vero ostendi nequit duas ideas claras et sibi invicem evidenter repugnantes in dogmate Trinitatis de se mutuo prædicari; nec enim de divina essentia, quæ infinita est, nec de personis divinis, neque de earum processionibus claras, adæquatas et perfectas ideas habemus. Ergo.

Cæterum ad diluendas difficultates, quibus impetitur Trinitatis dogma, quantum necesse est ut sarta tecta maneat catholica doctrina, sufficit quod merito ostendatur aut unam e præ-

missis non esse *evidentem de se* nec *certo demonstratam*, aut formam argumenti *vitiosam esse posse* : hac autem ratione haud ægre solvuntur præcipuæ objectiones, quæ fieri solent contra mysterium SS. Trinitatis, ut patebit ex dicendis in sequentibus capitibus.

Exinde tamen nullatenus inferendum est naturali ratione probari posse hoc mysterium esse saltem possibile. Quando enim solvuntur argumenta ex ratione petita et contradictiones quæ opponuntur contra possibilitatem mysterii, tota discussio fit ex probabilibus et apparentibus : sed nulla ratione sive *a priori* sive *a posteriori* demonstrative probatur earum falsitas. Et hoc quidem sufficit ut hoc mysterium non judicetur impossibile, non tamen ut cognoscatur evidenter possibile. Datur proinde medium inter demonstrationem possibilitatis et demonstrationem impossibilitatis, nempe : opinio, dubium aut ignorantia de utraque ; et hoc accidit in mysteriis, quæ cum transcendant omne lumen naturale, sub demonstrationem non cadunt.

ARTICULUS III.

An et quatenus ratione suaderi possit mysterium SS. Trinitatis ?

11. Etsi mysterium SS. Trinitatis nec verum nec falsum ratione demonstrari possit, multa tamen in rerum natura sedulo duplici rationis et fidei lumine res observantibus occurrunt, quæ illud aliquatenus suadent et illustrant. Nec mirum ; Deus enim, uti observavimus in Tractatu *de Locis Theologicis* (cap. III, art. 2, n. 62) post Doctorem Angelicum (1, q. 45, a. 7), Deus, inquam, cum invisibilia ipsius per ea quæ facta sunt innotescere voluerit, imaginem sui creaturis rationabilibus, cæteris vero creatis vestigium impressit. Ea igitur in unum colligere expedit, sub unoque conspectu exhibere, quæ in mundo creato Dei trini digitum arguere faciemve delineare aliquatenus videntur, ut suavius ac fortius ad tantum mysterium admittendum jam inde inclinemur. Proinde sit sequens

12. Assertio : *Mysterium sanctissimæ Trinitatis ex multiplici ejus in creatis rebus adumbratione, imagine menti humanæ*

impressa, ipsiusque Dei philosophico conceptu, mirum in modum illustratur ac suadetur.

Et quidem — I. *Ex multiplici Dei trini adumbratione in rebus creatis.* Sive enim entia concreta singulatim, sive universim spectemus, Deum trinum adumbratum cernimus. Et vero « quælibet creatura, inquit S. Thomas (*loc. cit.*), subsistit in suo *esse*, et habet formam per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quædam substantia creata, repræsentat causam et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam et speciem, repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repræsentat Spiritum sanctum, in quantum est amor; qui ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis... Et ad hæc referuntur illa tria quæ ponuntur (*Sap.*, XI, 21), *numerus*, *pondus*, *mensura*. Nam *mensura* refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, *numerus* ad speciem, *pondus* ad ordinem. »

Si res creatæ universim spectentur, haud minus vivide adumbratur Trinitas. Tria quippe in creatione corporea distinguuntur regna, quæ intime sibi invicem cohærent, sese mutuo penetrant, et ad constituendam mundi unitatem concurrunt. Regnum minerale in vegetali, utrumque vero in animali continetur. Quodlibet corpus trinas exhibet dimensiones. Plantam tria elementa constituunt in sua unitate, eaque, quamdiu vita pollet, respirat, nutritur et generat; animali autem proprium est sentire, appetere ac loco moveri. Ne multa; si ætherea consideramus, idem radius lumen, calor et motus est; omnes iridis colores ad tres præcipuos reducuntur; tres musicales notæ concentum perfectum producunt. Omnes igitur creaturæ nobis sunt immensum speculum Dei naturæ unius, personis vero trini.

II. *Ex imagine Dei homini impressa.* Hanc imaginem quoad mentem describit S. Augustinus fuseque exponit in toto libro IX, *de Trinitate*, quem ita concludit : « Est quædam imago Trinitatis ipsa mens et notitia ejus, quod est proles ac de

se ipsa Verbum ejus, et amor tertius, et hæc tria unum atque una substantia. Nec minor proles, dum tantum se novit mens quanta est; nec minor amor, dum tantum se diligit quantum novit et quanta est. » Sed quia mens aliquatenus se ipsam ignorat, ut est distincta ab aliis, et sic etiam se quærit, alibi S. Augustinus (*de Trin.*, l. 10, c. 11) assignat imaginem Trinitatis in anima secundum actus memoriæ, intelligentiæ et voluntatis, quæ nullus ignorat se habere. Quin etiam, ut postea advertit S. Doctor (l. 14, c. 12), non propterea tantum est imago Dei in mente, quia sui meminit, et intelligit et diligit se; sed quia potest etiam meminisse, intelligere et amare Deum, a quo facta est. Unde patet imaginem Trinitatis in mente humana reperiri principaliter quoad actus, quibus sui ipsius conscia est, secundario quoad potentias et habitus, quibus nata est seipsam cognoscere, ac denique per comparationem ad objectum potentiarum et habituum, præsertim vero Deum, cujus notitia et amor quamdam ejus repræsentationem secundum speciem importat (Cf. S. Thom., 1, q. 93, a. 6, 7, 8).

Præterea Trinitatis imago tam alte menti humanæ infixa est, ut discurrere homo non possit, quin legibus subjaceat, quibus illa exprimatur. In scientifico enim discursu detur necesse est *principium universale*, in quo obscure quidem et confuse sed tamen vere continetur tota discursus substantia; *principium medium*, quod e principio universali emergit per seriem ratiociniorum, et veritates in eo reconditas innuit; denique *conclusio*, quæ ex utroque principio procedens, illas veritates explicite manifestat. Nec in discursu tantum universim sumpto, sed in singulis ejus partibus exprimitur Trinitas; singulæ enim propositiones tria complectuntur in unum: *subjectum* scilicet, *verbum* seu copula, et *attributum*. Singula denique ratiocinia, quæ discursum juvant, tribus constant propositionibus, quarum prima continet tertiam, secunda ei veluti consubstantialis contentam declarat, tertia vero argumentum concludit ac perficit. Unde nata est regula syllogismorum ut tres sint tantum termini, nec plures, nec pauciores, qui aliquid commune secum habeant, ex quo appareat identitas inter duo extrema.

Demum Trinitatem etiam adumbrat homo, quatenus ad societatem natus est. Sub hoc enim aspectu nobis apparet in triplici societate vivens, domestica scilicet, civili et ecclesiastica: porro trina est societas quælibet; familia quippe constat patre, matre ac prole; societas civilis autem coalescit supremo duce, ministris seu magistratibus et populo; Ecclesia demum S. Pontifice, Episcopis aliisque inferioribus magistratibus spiritualibus cum debita subordinatione, ac tandem christiana plebe constituitur.

III. *Ex conceptu philosophico Dei.* Quoties de Deo cogitamus, illum concipimus veluti ens omni perfectionum genere absolutissimum, præsertimque summe intelligens, ac purissima voluntate præditum, quod seipsum ita adæquate intelligit et amat, ut in sui contemplatione et dilectione conquiescat, beatitudinemque obtineat plenissimam ac indeficientem. Porro conceptus ille mirum in modum consonat cum dogmate catholico de Trinitate. Intellectio enim divina concipi nequit nisi in Deo admittantur hæc duo : principium intelligens et terminus intellectionis, qui merito dicitur Verbum, quia exprimit objectum intellectionis, seu est ipse Deus intellectus : unde aliquatenus in Deo uno jam distinguere possumus Patrem in principio intellectionis et Filium in ejus termino; quippe qui principium vere exprimere et ad ejus imaginem procedere videatur. Similiter amor, quo Deus se ipsum diligit, quantum se intelligit, non potest minorem habere virtutem ac fecunditatem quam ipsius intellectio; utraque enim est necessario æterna, permanens et infinita. Quemadmodum igitur virtus intellectionis divinæ necessario tendit ac terminatur ad generationem Verbi, quod est vere expressio et imago Patris, ab æterno et in æternum subsistens; ita ex dilectione Patris et Filii promanet necesse est terminus alter subsistens, seu persona Spiritus Sancti utrique coæterna, coæqualis et consubstantialis. Ergo ex conceptu Dei infiniti seipsum intellectu adæquate contemplantis et amore perfecto diligentis suadetur mysterium SS. Trinitatis.

Dicimus *suadetur*; non enim is est valor argumenti quod nobis suppeditat conceptus philosophicus Dei, ut tantum mys-

terium vere demonstret, quidquid nonnulli opinati fuerint. Nam, ut ostendemus infra, nec sola intellectio, nec sola volitio essentialis et communis tribus personis haberi potest ut principium adæquatum processionum divinarum, potiusque innuitur quam probatur intellectionis et volitionis divinæ terminos a principio intelligente ac diligente realiter distinctos esse.

CAPUT II.

DE VERITATE MYSTERII SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

13. Mysterium SS. Trinitatis, ex jam dictis, hac propositione continetur : Tres sunt in una divina essentia personæ realiter distinctæ et divinæ. Veritas itaque hujusce dogmatis probata merito dicetur, si hæc tria demonstremus : — 1. Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres esse personas vere ac realiter distinctas; — 2. illas tres personas esse divinas; — 3. earumdem unam eamdemque esse essentiam, seu naturam aut substantiam. Hæc tria in totidem articulis perficiemus.

ARTICULUS I.

De Trinitate divinarum personarum.

14. Recensentur errores. — Personarum divinarum Trinitatem negaverunt non tantum ii qui nonnisi unam personam in divinis adstruunt, et quidem ita ut nec res, nec nomen, ac ne umbra quidem Trinitatis appareat, quales fuerunt philosophi gentiles, mahumetani, pluresque hæretici; sed etiam hi omnes, qui quamdam Trinitatem, sed nominalem tantum, professi sunt. Asserunt quippe unam esse in Deo personam, quæ tamen pro diversitate temporis, operationis aut manifestationis tribus nominibus insignienda est. Ad hanc classem accensendi sunt :

1. *Patripassiani*. Sic dicti sunt omnes hæretici illi qui in Deo unicam confitentes personam, eam pro genere humano in-

carnatam et passam fuisse proclamabant. Ita Cataphrygæ ac Praxeas e Montanistarum grege, Noetus et præsertim Sabellius, ex quo hi hæretici vocati sunt *Sabelliani*; dicebat ille Deum modo ut Patrem, modo ut Filium, modo ut Spiritum S. apparere; ut Patrem, legis antiquæ latorem fuisse; ut Filium, fuisse incarnatum; ut Spiritum S., in Apostolos descendisse. Ita etiam, paucis mutatis, Paulus Samosatenus, Photinus et Priscillianistæ.

2. *Sociniani*, *Unitarii* vel *Anti-Trinitarii*. Sæculo XVI pestilentem Sabellii errorem renovarunt Lælius Socinus et Faustus Socinus illius nepos. Hi unicam personam in Deo admittunt, quæ est Pater; Filium vero credunt merum esse hominem, qui non exstitit ante Beatam Virginem, et Spiritum S. meram Dei virtutem, donum aut efficaciam. Inter Socinianos celebres fuere Volkelius et Crellius.

3. *Hodierni quidam philosophi*. D. Cousin contendit in omni ente ratione prædito hæc tria necessario reperiri, nempe : ideas infiniti, finiti et relationis unius ad alterum, et asserit in his tribus totum situm esse SS. Trinitatis mysterium. Huic doctrinæ adhærent non pauci, præsertim in Germania. Hi prætensi philosophi non solum divinarum personarum distinctionem, sed etiam Dei ipsius vitam propriam et distinctam denegant, pantheismum plus minusve profitentes.

Contra quos catholicam doctrinam adstruemus assertione sequenti :

15. Assertio : *Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt tres personæ realiter distinctæ.*

Est de fide. Hæc leguntur in symbolis fidei. — In Symbolo Apostolorum : « Credo in Deum *Patrem omnipotentem*..... et in Jesum Christum *Filium ejus unicum*, Dominum nostrum..... et *in Spiritum S.* » — In Symbolo Nicæno : « Credo in unum Deum, *Patrem omnipotentem*..... et in unum Dominum Jesum Christum, *Filium Dei unigenitum*..... *et in Spiritum S.* » — In symbolo Athanasiano : « Fides catholica hæc est, ut unum Deum in *Trinitate*, et *Trinitatem* in unitate veneremur, neque *confundentes personas*, neque substantiam separantes : alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Non obscure indigitatum fuisse in Scriptura veteris Testamenti mysterium trium in Deo personarum, evinci posset ex pluribus textibus, præsertim vero ex illo Geneseos (I, 26) : « Faciamus hominem ad imaginem et » similitudinem nostram, » in quo Deus plurali numero loquens, statim numero singulari nominatur, ut patet ex versiculo subsequenti (IV, 27) : « Creavit Deus hominem ad imaginem suam ; ad imaginem Dei creavit illum. »

Sed cum clarius in Novo Testamento manifestatum fuerit, ex eo invicta nobis desumenda sunt argumenta. Hæc autem depromi solent — 1. ex *historia baptizati Jesu Christi a S. Joanne.* Sic enim legimus (*Matth.*, III, 16) : « Baptizatus » autem Jesus confestim ascendit de aqua ; et ecce aperti sunt » ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam » et venientem super se ; et ecce vox de cœlis dicens : hic est » Filius meus dilectus in quo mihi complacui ; » — 2. *Ex promissione Spiritus Sancti.* Christus Dominus ex hoc mundo discessurus, hac promissione discipulos consolabatur (*Joan.*, XIV, 16) : « Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum » dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum. » Item (*Joan.*, XV, 26) : « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam » vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille » testimonium perhibebit de me. » — 3. *Ex forma baptismi*, » quam Christus apostolos suos ad prædicandum Evangelium » deputans ipse tradidit (*Matth.*, XXVIII, 19) : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii » et Spiritus Sancti. » — 4. *Ex numero et qualitate testium cœlestium.* Scripsit S. Joannes (I *Ep.*, V, 7) : « Tres sunt qui » testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus » Sanctus, et hi tres unum sunt. »

Ex quibus textibus sic argumentari datur : ut certo constet assertio, tria requiruntur et sufficiunt, nempe : ut in iis agatur. — 1. de personis ; — 2. de personis a se invicem realiter distinctis ; — 3. de personis numero tribus. Porro hæc facili negotio colliguntur.

Et quidem — 1. agitur de *personis.* Nomina enim Patris ac Filii sunt certe personalia ; de solo Spiritus Sancti nomine

moveri potest difficultas; at vero quæ ei tribuuntur simul ac Patri et Filio vel separatim singulis, dubium omne tollunt. Nam Apostoli baptizare debent *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti :* atqui id non nisi de persona dici posse constat — tum ex natura baptismi qui, cum sit ritus sacer, quo peccata remittuntur fidelesque aggregantur societati christianæ, non potest conferri nisi in nomine personæ, penes quam sit gratia et adoptio filiorum Dei; — tum ex usu Scripturarum, in quibus vox *in nomine* relative ad personam semper adhibetur, v. g., (*Act.*, III, 6) : « *In nomine* Jesu Christi Nazareni » surge et ambula; » item (*Act.*, IV, 10) : « *In nomine* Jesu Christi..... in hoc iste astat sanus; » denique (*Marc.*, XVI, 17) : « *In nomine meo* dæmonia ejicient; » — tum modo loquendi consueto, juxta quem vox *in nomine* ab iis usurpatur, qui jura personæ exercent vel negotia ejus gerunt.

Haud minus etiam ad personam pertinet *testimonium perhibere* : quippe quod naturam intelligentem et subsistentem supponit; *testimonium* vero *dare* in cœlo tribuitur a S. Joanne Patri, Verbo seu Filio et Spiritui Sancto. Nec in cœlis tantum, sed et in terra juxta Jordanem legimus testimonium datum fuisse Jesu Christo, tum *a Patre* Filium dilectum eum proclamante et magistrum hominibus proponente, tum a *Spiritu Sancto* supra ipsum descendente in columbæ specie, ut appareret repletus gratia divina; quod quidem testimonium nonnisi a personis dari et a persona accipi potuit.

Quod attinet speciatim ad Spiritum Sanctum, promittitur a Christo ut *Paracletus* seu *consolator*, et hoc nomine ab ipso donatur; nec ad tempus promittitur, sed ut maneat cum eis in æternum, ut eos doceat omnem veritatem, ut testimonium ipsi perhibeat. Ecquis autem non videt hæc omnia actus esse ac proprietates naturæ intelligentis ac subsistentis, seu veri nominis personæ? Ergo merito asserere possumus in præmissis textibus agi de personis.

2. Agitur de *personis realiter a se invicem distinctis*. Enim vero clare a se invicem in allegatis testimoniis secernuntur — tum *nominibus propriis*, quæ cum oppositam originis relationem arguunt, de eodem supposito prædicari non possunt;

Filius enim originem habet a Patre, et Spiritum Sanctum ab utroque esse manifeste apparet, quia a Patre dandus et a Filio una cum Patre mittendus perhibetur; — tum *muneribus diversis*, quæ Pater, Filius et Spiritus Sanctus obeunt; Pater siquidem laudat de cœlo Filium; Spiritus Sanctus supra ipsum descendit, ut ei conferat auctoritatem, juxta illud S. Joannis Baptistæ (*Joan.*, I, 33) : « Super quem videris Spi- » ritum descendentem et manentem super eum, hic est qui » baptizat; » Filius vero sic laudatus et approbatus magister hominibus proponitur. Vice autem sua Filius promittit se rogaturum esse Patrem et ab eo missurum esse alium Paracletum; quis autem non cernit alium esse Filium qui rogat, alium Patrem qui rogatur, alium Paracletum, qui mittendus est ut *alius* a Filio paracletus? — tum *particulis distinctivis ac disjunctivis* in forma baptismi usurpatis; in textu enim græco et latino bis adhibetur particula καί, *et*, quæ disjunctiva est simulque enumerationem significat; textus vero græcus singulis nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti præfixum fert articulum του, cujus etiam ea est vis, ut distinctionem et numerum significet; — tum denique *ex ipso numero* a S. Joanne usurpato : *tres sunt*. Ergo textus præmissi intelligendi sunt de personis realiter a se invicem distinctis.

3. *Tres esse illas personas* evidentissime patet ex dictis, remque demonstrare omnimo supervacaneum est. Ergo Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres esse personas realiter distinctas sacra Scriptura constat.

PROB. 2. *Traditione*, videlicet

1. *Auctoritate SS. Patrum*. Patres qui post Concilium Nicænum floruere nobiscum sentire fatentur omnes; itaque soli Patres Antenicæni appellandi sunt. Jam vero hæc leguntur *in Epistola S. Polycarpi* (*sub finem*) : « Per Jesum Christum gloria Deo *Patri*, et *Filio* et *Spiritui S.* » — S. Justinus (*Apolog.* 1. *ad Antoninum*, n. 6) : « *Eum* (Patrem) et *Filium* qui ab eo venit... et *Spiritum* propheticum colimus et adoramus. » — Tertullianus (lib. *contra Praxeam*, c. 13) : « Duos quidem definimus, *Patrem* et *Filium*, et jam *tres cum Spiritu S.*... duos tamen deos et dominos nunquam ex ore nostro proferimus. »

2. *Praxi Ecclesiæ.* Ab Ecclesiæ incunabulis in usu vulgatissimo fuerunt duæ sequentes doxologiæ : — « Gloria Patri per Filium in Spiritu S. » — « Gloria Patri et Filio et Spiritui S. » Porro hæ doxologiæ manifestam personarum distinctionem includunt; prima quidem, in qua datur gloria Patri *per* Filium *in* Spiritu S.; secunda vero, in qua gloria exhibetur Patri *et* Filio *et* Spiritui S. vel cum Spiritu S.; hæ enim conjunctiones *et*, *cum*, distinctionem personarum aperte accusant. Vide DD. Ginoulhiac (*op. cit.*, l. 4, ch. 14 et 15).

Hanc perpetuo fuisse Ecclesiæ fidem pariter demonstrat ritus baptismi, in quo continetur publica et solemnis professio fidei in tres personas divinas et distinctas, sive consideretur ipsa forma, de qua jam diximus, sive spectetur *trina* immersio, quam ad Trinitatem significandam adhibitam fuisse commemorant auctores ecclesiastici.

3. *Ex confessione martyrum.* Eamdem quippe fidem, in unum Deum, qui simul trinus est in personis, coram judicibus invicte profitebantur, nec pro ea tormenta sustinere mortemque perpeti dubitabant. Inter alia hæc legimus in actis S. Vincentii (an. 304) ab inclyto martyre prolata fuisse : « Dominum Jesum Christum, *Filium* altissimi *Patris*, unici unicum, ipsum cum *Patre*, *et Spiritu Sancto* unum solum Deum esse profiteor. » — Imo sæpius accidit ut, cum Christiani Patrem, Filium et Spiritum Sanctum se colere profiterentur, gentiles judices eos arguerent, quod tres colerent Deos; sed semper respondent martyres Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse.

16. Scholium. Ad diluendas objectiones, quæ fieri solent adversus trinitatem divinarum personarum, hæc animadvertenda ducimus.

I. Nihil proficiunt Sociniani, quando dicunt voces *Trinitas* vel *persona* non reperiri in Scripturis; quid enim refert de nomine, modo res exprimatur? Insuper non ex sola Scriptura, sed etiam ex traditione, videlicet ex doctrina SS. Patrum et imprimis ex auctoritate Ecclesiæ accipienda sunt fidei dogmata. Cæterum mirum non est quod Sociniani Trinitatis mysterium repellant, quippe qui clarissima Scripturarum testi-

monia pro suorum præjudiciorum et passionum varietate in ridiculos sensus misere detorquent, nec alia sane de causa nisi quia omnia mysteria e Scripturis expungere volunt.

II. Argumento ex *traditione* deprompto opponitur — 1. *silentium gentilium*, qui nihil contra personarum divinarum trinitatem objiciunt, sed Christianos atheos vocant. — Hæc autem difficultas omnino negativa statim evanescit, si attendatur arcani disciplinam tunc vigentem obstitisse ne dogmatum notitia ad gentiles perveniret, vel etiam non omnes Gentilium blasphemias a SS. Patribus transcriptas fuisse. Cæterum falso allegatur hujusmodi silentium, ut constat ex plurimis citationibus; sic apud Tertullianum Praxeas ex pluralitate divinarum personarum deorum pluralitatem deducere conatur.

2. *Differentia*, quæ inter *fidem Nicænam et Antenicænam deprehendi* asseritur. — At cuilibet paulisper consideranti mox patebit SS. Patres sibi omnino consentire quoad *substantiam* dogmatis, nec nisi in nonnullis *consectariis* mysterii quandoque forsan ab invicem discrepare. Sed imprimis animadvertendum est *modum loquendi* de hoc altissimo mysterio tempore Patrum antiquorum nondum tam præcise definitum fuisse, et ex ipsa dogmatis impugnatione, uti solet, factum fuisse ut paulatim determinarentur verba et propositiones, quibus veritas jam exprimitur.

3. *Platonismus nonnullorum Patrum*, qui ex schola in Christianam doctrinam Trinitatis dogma invexisse dicuntur. — Hanc autem difficultatem jam præoccupavimus. Id solum addemus, nempe ex eorumdem Patrum scriptis constare ipsos non ex philosophica secta, sed ex verbo Dei scripto vel tradito fidem in Trinitatis mysterium hausisse.

III. *Ex ratione* plurima afferuntur, quorum præcipua tantum sigillatim refellemus :

1. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; atqui singulæ personæ divinæ sunt quid idem uni tertio, scilicet naturæ divinæ; ergo sunt quid idem inter se. — Resp. *dist. minor*. Singulæ personæ divinæ sunt quid idem naturæ divinæ, id est, tres personæ divinæ possident eamdem naturam divinam, *conc.*; id est, a natura non distinguuntur; *Subdist.*;

unaquæque persona non distinguitur realiter ita ut possideat formaliter vel identice quidquid est in natura divina, *conc.*; non distinguitur virtualiter, quatenus non possidet formaliter quidquid est in natura divina, *neg.* : etenim in natura divina sunt formaliter paternitas, filiatio et spiratio passiva : porro, v. g., Pater possidet quidem formaliter paternitatem, sed identice tantum filiationem et spirationem passivam; ergo Pater non est aliquo modo idem ac natura divina sub omni prorsus respectu.

2. Si tres personæ divinæ sunt unus Deus, simul sunt tres res et una tantum res; quod absurdum est; ergo in uno Deo est tantum una persona. — Resp. Tres personæ divinæ sunt tres res ratione personarum, *conc.*; ratione naturæ, *neg.*, quia unica est natura divina tribus personis communicata.

3. Nomen *Deus* personam sonat; proinde *Deus* est idem quod habens divinitatem; atqui unicus est Deus; ergo unicus est habens divinitatem seu unica persona divina. — Resp. *dist. maj.* Nomen *Deus* personam sonat, id est, non datur Deus sine persona, *conc.*; id est, unica est in Deo persona, *neg.* — *Dist. pariter min.* Deus unicus est ratione naturæ, *conc.*; ratione personarum, *neg.* Si autem Deus simpliciter dicatur unus et unicus, id fit quia Deus potissimum consideratur relative ad attributa sua absoluta, id est, ratione naturæ, quatenus scilicet est omnipotens, judex, creator.... porro sub hoc respectu unus et unicus indubitanter prædicari debet.

ARTICULUS II.

De divinitate trium personarum SS. Trinitatis.

Seorsim disseremus — 1. de divinitate Patris; — 2. de divinitate Filii seu Verbi; — 3. de divinitate Spiritus Sancti.

§ I. De divinitate Patris.

17. Errores. Fuerunt quidam veteres quorum doctrinam S. Augustinus (*De hæresi*, cap. 74) sic exponit : « Est alia (hæresis), inquit, quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus S., hoc

est, quod Dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem, velut ex his tribus partibus compleatur Deus ; nec sit perfectus in seipso, vel Pater, vel Filius vel Spiritus S. » Idem fere sensit abbas Joachimus qui aiebat Deum exsurgere ex trium personarum collusione, ut populus ex plurium civium multitudine conflatur. — Contra quos sequens sit

18. Assertio : *Pater est vere ac proprie Deus.*

Est de fide. Sic Symbolum S. Athanasii : « *Deus Pater*, Deus Filius, Deus Spiritus S., et tamen non tres Dii, sed unus est Deus. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* « Hæc est vita æterna, inquit Chris- » tus, ut cognoscant *te solum Deum verum* et quem misisti » Jesum Christum » (*Joan.*, xvii, 3). — « Ascendo ad *Patrem* » *meum et Patrem vestrum*, *Deum* meum et *Deum* vestrum » (*Joan.*, xx, 17). — « Nobis, ait Paulus, *unus Deus Pater*, ex quo » omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus » (I *Cor.*, viii, 6). — « Gratia vobis et pax a *Deo Patre* nostro » et Domino Jesu Christo » (*Rom.*, i, 7). Porro his textibus Pater dicitur simpliciter et secundum se Deus. Ergo.

Prob. 2. *Conc. Lateran. IV*; hæc quippe habet (can. 2) : « Credimus et confitemur..... quod una quædam summa res est (nempe divinitas), *quæ veraciter est Pater*... quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina. » Porro si Pater secundum se sit substantia, essentia seu natura divina, est vere ac proprie Deus. Ergo Pater est Deus.

Prob. 3. *Ratione* : Vel Pater est secundum se infinitus et Deus, vel, ut volunt hæretici, quos impugnamus, Deus coalescit ex tribus personis secundum se finitis ; atqui absurdum est dicere ex tribus personis finitis coalescere posse Deum infinitum ; ergo.

Cæterum tam evidens est propositio, ut cæteri hæretici omnes Patris saltem, utpote primæ Trinitatis personæ, divinitatem agnoscant, quia, si una ex ipsis sit Deus, alia ac Pater esse nequit.

§ II. De divinitate Filii seu Verbi.

19. Errores. Triplex est ordo hæreticorum qui Filii divinitatem negarunt.

1. Cerinthiani, Ebionitæ, Photiniani, Paulus Samosatenus, Filium Dei purum esse hominem, nec ante Beatam Virginem exstitisse docuerunt. Hunc pestilentem errorem renovarunt, sæculo XVI, Sociniani, addentes tamen Dei Filium posse vocari *Deum*, eo quod ipsi Pater æternus summam in omnes creaturas auctoritatem concesserit; illi proinde reddi posse, imo et deberi, supremum honorem cultumque divinum.

2. Ariani, ab Ario presbytero Alexandrino sic dicti, contendebant Verbum longe ante Beatam Virginem exstitisse, et Deum, cum mundum condere voluit, prius creasse Verbum, a quo deinceps cætera creata sunt. Vocati sunt Anomæi, quia Filium Patri dissimilem asserebant; dicti sunt etiam Aetiani et Eunomiani ab Aetio et Eunomio eorum ducibus.

3. Semiariani, sic appellati eo quod Arii doctrinæ asperitatem emollirent, evertebant quidem Filii divinitatem, sed tamen ipsum ab æterno extitisse existimabant, unde illum dicebant Patri coæternum; cum autem ipsi nollent agnoscere Verbum esse ejusdem naturæ cum Patre, vocem *consubstantialis* explodebant; sed Filium Patri natura *similem* libenter admittebant. — Hos autem refellet sequens

20. Assertio. *Filius seu Verbum est vere ac proprie Deus.*

Est de fide. — Dicitur in symbolo Nicæno : « Credo et in unum Dominum Jesum Christum, *Filium Dei unigenitum;* et *ex Patre natum ante omnia sæcula*; *Deum de Deo*, lumen de lumine; *Deum verum de Deo vero*; genitum non factum, *consubstantialem Patri*, per quem omnia facta sunt. » — In symbolo S. Athanasii : « Patris, et *Filii* et Spiritus S., una est *divinitas.* » Ita et concil. Later. IV.

Prob. 1. *Script. Sacra*, in qua Verbum seu secunda persona SS. Trinitatis

1. Dicitur *Filius Dei proprie dictus* : « Dominus dixit ad » me : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* » (*Ps.* II, 7); quem locum sic interpretatur Apostolus : « Tanto melior angelis

» effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. » Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, » ego hodie genui te » (*Heb.*, I, 4). — « Deum nemo vidit » unquam : *Unigenitus Filius*, qui est in sinu Patris, ipse » enarravit » (*Joan.*, I, 18). — « Sic Deus dilexit mundum ut » *Filium suum unigenitum* daret » (*Joan.*, III, 16). — « In hoc » apparuit caritas Dei in nobis, quoniam *Filium suum unige-* » *nitum* misit Deus in mundum » (I *Joan.*, IV, 9). — « Scimus » quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognos- » camus verum Deum et simus in vero Filio ejus » (I *Joan.*, V, 20). Unde sic argumentor : ille est Dei Filius proprie dictus ac proinde proprie Deus, qui est Dei verus Filius, filius per generationem proveniens, filius naturalis et non adoptivus : atqui tale est Verbum in prædictis textibus ; dicitur expresse a Deo genitum, verus Deus de Deo vero, filius ejus verus, filius naturalis, cum affirmetur unigenitus, et sint Deo multi filii adoptionis ; ergo.

2. Multoties *simpliciter vocatur Deus*. — « In principio erat » Verbum et *Deus* erat Verbum » (*Joan.*, I, 1). — « Filius Dei » venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum » et simus in vero Filio ejus ; hic est *verus Deus* et vita æterna » (*Joan.*, V, 20). — « In ipso (in Christo) inhabitat omnis pleni- » tudo divinitatis corporaliter » (*Col.*, II, 9), id est, non per gratiam et virtutem, sed in substantia et natura. — Beatus Thomas videndo Christum exclamat : « Dominus meus et *Deus* meus » (*Joan.*, XX, 28). — « Ex quibus (Israelitis) est » Christus secundum carnem, qui est super omnia *Deus*, bene- » dictus in sæcula » (*Rom.*, IX, 5). Nihil expressius desiderari potest. — Nec dicatur et ipsos homines quandoque deos vocari ; quia, quando vox *Deus* de homine prædicatur, semper ex contextu aut circumstantiis patet hanc sensu lato adhiberi, dum ibi e contra contextus sensum strictum expresse exhibet.

3. Dicitur *æqualis Patri, imo quid unum cum Patre*. — « Qui cum *in forma Dei esset*, non rapinam arbitratus est esse » se *æqualem Deo*, sed semetipsum exinanivit formam servi » accipiens » (*Phil.*, II, 6). — « Ego et Pater unum sumus » (*Joan.*, X, 30).

4. *Prærogativas vere divinas possidet.* Etenim ille est verus Deus, seu prærogativas vere divinas possidet, cui inter alia debentur adoratio, honores supremi, fides : atqui talis est Filius. Illi quippe debentur — *adoratio* ; « Cum iterum introducit (Deus Pater) primogenitum in orbem terræ, dicit : » *et adorent eum omnes angeli Dei* » (*Heb.*, I, 6); — *honores divini* : « Pater... omne judicium dedit Filio, ut omnes » *honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* » (*Joan.*, V, 23); — *fides* : « Creditis in Deum, *et in me credite* » (*Joan.*, XIV, 1).

Prob. 2. *Traditione.* Omnes Patres, qui post Nicænum concilium exstiterunt, unanimi ore, fatentibus adversariis, Filii Dei divinitatem professi sunt; de solis proinde Patribus antenicænis agendum est; porro et illi Patres divinitatem Filii tenuerunt; nam, ut præcipuos seligamus, S. Ignatius ad Ephesios scribens ita incipit : « Ignatius, inquit,.... electæ per voluntatem Patris et Jesu Christi *Dei nostri* Ecclesiæ,... quæ est Ephesi... salutem. » Et (in epistola *ad Romanos*) : « Permittite mihi ut æmulator sim passionis Christi *Dei mei.* » — S. Justinus (*in Apologia* 1) ait : « Porro Filius ejus, qui solus *proprie dicitur Filius*, Verbum, *simul cum illo ante creaturas et existens et nascens*, quoniam *primitus per eum cuncta condidit.* » — Theophylus, qui Ecclesiam Antiochenam rexit sub Marco Aurelio, sic se habet : « Sciendum est quod Christus Dominus noster ita verus homo et *verus est Deus* : *de Patre Deo Deus*, de matre homine homo » (l. 6 *allegoriarum in Evangelium*). — S. Irenæus : « Ne alium quidem Jesum, inquit, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum et eumdem sciremus Deum esse » (cap. 18, alias cap. 16, n. 2 adversus *Cerinthianos*). Fatendum est tamen vocem illam *Deum* a pluribus rejici tanquam textui S. Irenæi extraneam. — S. Methodius, Tyri episcopus (*in sermone de Simeone et Anna*) Christum sic alloquitur : « Tu *Deus* noster, et adoramus te. »

Patribus concordant martyres. Beata Symphorosa imperatori Adriano respondit : « Dii tui me in sacrificium accipere non possunt; sed si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro. » — S. Martialis, filius

S. Felicitatis, dixit : « Omnes qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum mittuntur. » Hæc sufficiant; qui plura testimonia videre desiderat, probatos auctores adeat.

His omnibus probationibus addi potest præscriptionis argumentum deductum ex eo quod Ecclesia universalis credat, et Arii temporibus crediderit, Jesum esse verum Deum, Patri consubstantialem; etenim hæc fides ab Apostolis certo certius provenit, quia in ea omnis mutatio sive sensibilis sive insensibilis est prorsus absurda, tum ob dogmatis illius gravitatem, tum ob ejus quotidiana consectaria, tum ob pastorum piam sollicitudinem, tum ob fidelium persuasionem, tum denique ob innumeros usus et ritus hanc fidem necessario præsupponentes.

21. Scholium. Plura objiciuntur contra Filii divinitatem tum ex sacra Scriptura, tum ex traditione, tum ex ratione.

I. *Ex Scriptura* quidem; hæc enim leguntur :

1. « Hæc est vita æterna ut cognoscant te *solum*, *Deum* » *verum*, et quem misisti Jesum Christum » (*Joan.*, XVII, 3). Ex quibus patet solum Patrem esse Deum. — RESP. Verba allata in se obscura sunt; nam vox exclusiva *solum* tam ad pronomen *te*, quam ad nomen subsequens *Deum verum* referri potest. Si prius, dicetur Patrem solum esse Deum verum; si posterius, sensus erit Patrem esse Deum solum verum, hoc scilicet modo; hæc est vita æterna, ut cognoscant te Patrem esse Deum, illum videlicet Deum qui est solus verus. Porro in hoc ultimo sensu non excluduntur Filius ac Spiritus S.; aliud est enim solum esse divinitate præditum, aliud esse præditum illa divinitate, quæ sola vera est divinitas. Jam vero quod in hoc ultimo sensu intelligendus sit textus, id certum est, sive ex aliis Scripturæ S. textibus in quibus manifeste Filii divinitas prædicatur, sive ex textu græco in quo inter voces *te* et *solum* interjicitur articulus *illum*, adeo ut sensus sit : ut cognoscant te esse illum qui est solus Deus verus. — Insuper etiamsi vox ista *solum* ad pronomen *te* referretur, dici posset cum S. Hilario vocem *solum* hic excludere deos gentilium, quorum occasione hæc a Christo prolata fuere, non autem Fi-

lium ac Spiritum S. — Et vero, juxta S. Augustinum, verba *solum Deum* referenda sunt tum ad Patrem, tum ad Jesum Christum : « Ordo verborum est, inquit, *ut te et quem misisti Jesum Christum* cognoscant *unum* (vel solum) *Deum verum* » (l. 6, *de Trinit.*, c. 9, n. 10).

2. « Nobis *unus Deus*, Pater, ex quo omnia, et nos in illum, » et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos » per ipsum » (I *Cor.*, VIII, 6). Ergo Filius est tantum Dominus, non Deus. — RESP. Utique Paulus in appellatione unius Dei, Patrem tantum formaliter nominat; minime vero negat cæteras personas, quæ sunt unus Deus, sed tantum gentilium numina quæ plures constituunt Deos ; quod patet ex his præcedentibus : « Nam, etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii multi et domini multi, nobis tamen unus Deus. » Unde Tertullianus : « Igitur *unus Deus Pater* et alius absque eo non est, quod ipse inferens non Filium negat, sed alium Deum » (*Contra Praxeam*, c. 18). Et vero sicut Apostolus dicendo unum Dominum Jesum Christum, non excludit Patrem ab appellatione Domini : ita dicendo unum Deum Patrem, non excludit Filium ab appellatione Dei ; imo addendo *per quem omnia*, satis ostendit divinitatem Filii, qui est Dominus.

3. « Pater *major me* est » (*Joan.*, XIV, 28). Ergo Filius non est Deus. — RESP. *Dist.* : Christus seu Filius est minor Patre, secundum naturam humanam, *conc.* ; secundum naturam divinam, *nego* : nam etsi Pater sit Filii principium, nulla tamen ratione est ipso major, nec est in Patre perfectio quæ in Filio aliqua via non reperiatur, ut infra dicetur, ubi de divinis relationibus. — Hac eadem distinctione multi alii Scripturæ sacræ textus explicari valent, juxta quos Christus dicitur « factus obediens, Patri subjectus, Deum habere caput, Deum » precari.... » qui omnes et similes de Christo ut homine intelligi debent.

4. Adolescenti eum bonum appellanti respondet Christus : « Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus » (*Marc.*, X, 18). Ergo Christus non est Deus. — RESP. Hac interrogatione non negat Christus se esse bonum, imo potius ad hanc

suæ divinitatis confessionem juvenem impellit hoc ratiocinio : « Me dicis bonum. » Ergo et me Deum agnosce, cum « nemo bonus, nisi unus Deus. »

5. « Vidimus gloriam ejus, gloriam *quasi* unigeniti a Patre » (*Joan.*, I, 14). Ergo Filius est tantum quasi Filius Dei. — Resp. Sensus prædicti textus est : « Vidimus gloriam ejus, gloriam *ut*, vel, *sicut* unigeniti a Patre; » ita in textu græco; ita locorum Scripturæ S. concordia postulat.

II. *Ex SS. Patribus.* — Apud SS. Patres multa reperiuntur, quæ divinitatem Filii repellunt, scilicet, illum esse in secundo loco post Deum, esse Dei administrum, esse a Patre tanquam a causa, Patri subjici, esse visibilem, dum Deus invisibilis est.... et alia similia. Ergo.

Resp. 1. Generatim cum S. Hieron. : « Antequam in Alexandria, quasi dæmonium meridianum, Arius nasceretur, *innocenter* quædam *minus caute* nonnulli veteres locuti sunt » (apolog. 2 *contra Rufinum*).

Resp. 2 ad singula : — 1. Filius Dei dicitur esse in secundo loco post Deum, *disting.*, ratione originis, *conc.*; ratione naturæ et dignitatis, *neg.* — 2. Vocatur administer Dei, *dist.* administer improprie dictus, quia nihil facit nisi quod facit Pater et quia per generationem omnia a Patre accepit tanquam ab origine, fonte et principio, *conc.*; proprie, quasi nec per se, nec proprio nomine, sed dependenter a Patre, sicut legatus agit dependenter a principe, *nego.* — 3. Dicitur esse a Patre tanquam a causa, *dist.* tanquam a causa generante, *conced.* : tanquam a causa efficiente, *nego.* — 4. Affirmatur Filium a Patre præcepta accepisse, *dist.* : Filius, ut homo, *conc.*; ut Deus, *nego.* — 5. Asseritur Deum esse invisibilem et Filium visum fuisse patriarchis et prophetis, *dist.* : asseritur Deum Patrem esse invisibilem, *transeat :* Deum ipsum, ita ut nulla persona divina facta fuerit visibilis, *neg.* — Itaque plurimi veteres Patres docuerunt Deum Patrem nunquam hominibus apparuisse, bene vero Deum Filium, qui, cum esset destinatus ad salutem generis humani, visibili forma assumpta, patriarchis apparuit, sicque incarnationi vias paravit.

III. *Ex ratione* plurimæ afferuntur objectiones; hæ sufficiant :

1. Qui non est æternus non est Deus; atqui Filius non est æternus; nam Filius a Patre producitur: porro qui ab alio producitur non est æternus; ergo. — Resp. *neg. min.*: ad probationem, *dist. min.;* qui producitur ab alio non est æternus, quando hæc productio est a nihilo, *conc.*, a substantia divina et ideo ab æterno, *neg.*; jam vero Filius non e nihilo, sed a substantia divina producitur.

2. Qui aliquid ab alio accipit non est summe perfectus; atqui Filius a Patre aliquid accipit, scilicet originem; ergo non est summe perfectus. — Resp. *dist. mai.*: qui aliquid accipit contingenter et in tempore, *conc.*; qui aliquid accipit ab æterno et necessario, id est, ob rerum essentiam, *neg.*; *minor* eadem explicatur distinctione.

3. Qui ab alio pendet non est Deus; atqui Filius pendet a Patre; nam effectus pendet a causa; Pater vero est causa Filii; ergo. — Resp. *neg. min.*; ad ejus probationem, iterum *neg. min.* Pater enim est quidem Filii principium, non autem causa; etenim juxta sensum communem causa est principium ita influens esse in aliud, ut substantia causæ ab effectus substantia differat; dum eadem est in Patre et Filio substantia divina.

§ III. De divinitate Spiritus sancti.

22. Errores. Arius et alii hæretici, qui Filium esse creaturam asserebant, negabant quoque divinitatem Spiritus S.; nemo enim ex hæreticis unquam Spiritum S. Filio anteposuit. Cum tamen Arius Spiritus divinitatem expressis verbis non negasset, nec concilium Alexandrinum, nec Nicænum hanc hæresim expresse damnarunt. — Ex Arianis plures Spiritus S. divinitatem aperte impugnarunt; inter hos eminet Aetius, et ejus discipulus Eunomius, sub imperatore Constantio. — Eamdem hæresim apertius propugnavit Macedonius, Constantinopolitanus episcopus, cujus sectatores ab ejus nomine dicti sunt Macedoniani, qui etiam quandoque Semi-Ariani appellati sunt et Pneumatomachi. — Macedonii error a pluribus conciliis tunc temporis celebratis proscriptus fuit, ac præsertim in œcumenica synodo secunda Constantinopoli habita, anno 381. — Sæculo XVI, Sociniani, ut dictum fuit, Spiritus S. divinita-

tem, imo et personalitatem rejecerunt, contendentes illum nihil aliud esse quam Dei virtutem, vim et efficaciam. — Contra hos omnes sequens statuitur

23. Assertio : *Spiritus Sanctus est vere ac proprie Deus, Patri ac Filio consubstantialis.*

Est de fide. — In symbolo Constantinopolitano dicitur : « Credo... et *in Spiritum S. Dominium* et vivificantem, qui *ex Patre Filioque procedit*, qui cum Patre et Filio *simul adoratur* et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. » — Et in symbolo Athanasiano : « Deus Pater, Deus Filius, Deus *Spiritus S...* Patris et Filii et *Spiritus sancti una est divinitas.* »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua

1. *Nomen Dei sacratissimum Spiritui S.* tribuitur. Sic Petrus Ananiam compellit : « Cur tentavit Satanas cor tuum » mentiri te *Spiritui S.?...* Non es mentitus hominibus, *sed* » *Deo* » (*Act.*, v, 3). Ergo Spiritus S. est Deus. — « Divisiones » operationum sunt, idem vero *Deus* qui operatur omnia in » omnibus, » et commemoratis his operationibus additur : « Hæc autem omnia operatur *unus atque idem Spiritus* divi- » dens singulis prout vult » (I *Cor.*, xii, 11). Ergo rursus Spi- » ritus S. *nomine Dei* donatur.

2. *Spiritui S. æqualitas cum Deo* agnoscitur. « Euntes » docete omnes gentes..... baptizantes eos in nomine Patris » et Filii et *Spiritus S.* » (*Matth.*, xxviii, 19) : in quo loco Spiritus S. manifeste Patri et Filio æquiparatur. — Rursus Spiritus S. ita Filio comparatur, ut dicatur *alius Paracletus* (*Joan.*, xiv, 16) ob similitudinem cum Christo.

3. *Spiritui S. attributa divina* conceduntur, nimirum : — *Immensitas* : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum » (*Sap.*, i, 7). — *Omniscientia* : « Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei » (I *Cor.*, ii, 10). — *Majestas suprema* : « An » nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S. » (I *Cor.*, vi, 19).

4. *De Spiritu S. operationes divinæ* prædicantur, nempe : *Inspiratio prophetarum* : « Spiritu S. inspirati locuti sunt » sancti Dei homines » (II *Pet.*, i, 21). — *Operatio miraculorum* : « In Spiritu Dei ejicio dæmonia » (*Matth.*, xii, 28). —

Justificatio : « Justificati estis in nomine Domini nostri J. C. et in Spiritu Dei nostri » (I *Cor.*, VI, 11). — *Regimen Ecclesiæ* : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. » posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.*, XX, 28). — *Largitio donorum spiritualium* : « Spiritus dividens singulis, prout vult » (I *Cor.*, XII, 11). Ergo Spiritui S. divinæ operationes tribuuntur.

PROB. 2. *Traditione*, quæ quidem innotescit

1. *Ex SS. Patribus* ; non solum enim hi, qui post concilium Nicænum vixerunt, sed etiam Antenicæni Patres Spiritum Sanctum vel simpliciter Deum vocant, vel adorandum asserunt, vel cum Patre et Filio æqualem prædicant, vel attributa divina possidentem affirmant. Sic Tertullianus ait : « Trinitas est unius divinitatis Pater et Filius et Spiritus Sanctus » (*De pudicit.*, c. 21). Pronuntiat adhuc Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres esse « non statu, sed gradu ; non substantia sed forma ; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ et unius status, et unius potestatis. » (Lib. *contra Praxeam*, cap. 2). — S. Justinus (*Apol. secunda*) ait : « Filium et Spiritum S. propheticum colimus et adoramus, et Deum solum adoramus. » Et alibi : « Quæ trium unio, et in unitate distinctio, Spiritus, Filii, Patris » (*Leg. pro Christ.*, n. 12). — Athenagoras (*Apol.*, n. 10) : « Quis non miretur, inquit, cum audiat nos qui Deum Patrem prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum S., eorum in unitate virtutem et in ordine distinctionem explicantes, atheos vocari ? » — Patres Antenicæni insuper Spiritui S. attributa divina tribuunt. Clemens Alex. : « Unus quidem est, inquit, universorum Pater; unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus S. unus et ipse est *ubique*. »

2. *Ex Martyribus*, qui Spiritum Sanctum confitentur Deum pariter unum cum Patre et Filio. S. Epipodius coram judice exclamat : « Christum cum Patre et Spiritu S. Deum esse confiteor. » Idem invenire est in actis S. Felicitatis et septem filiorum ejus.

3. *Ex antiquissimis monumentis*, cujusmodi sunt inscriptiones sepulcrales, tabulæ musivæ in quibus sub columbæ specie

Spiritus S. a Patre et Filio distinctus exhibetur animas in baptismo *sanctificans*, vel B. Virgini ab Angelo salutatæ *obumbrans*, vel Christi in Jordane baptismum a S. Præcursore suscipientis divinitatem contestans (Ita Perrone, apud Migne, I, col. 579).

4. *Ex praxi antiquissima Ecclesiæ.* Hæc quippe Patris et Spiritus S. æqualitas pariter prædicatur — tum in collatione baptismi qui semper et ubique datus fuit in nomine Patris et Filii et Spiritus S.; — tum in percelebri doxologia in qua decantatur : Gloria Patri et Filio et Spiritui S.; — tum in pluribus aliis precibus, in quibus simul invocantur tres personæ SS. Trinitatis.

24. Obj. 1. Ille non est verus Deus qui postulat, gemit, qui potest contristari, imo et extingui, qui a Patre aliquid accipit et mittitur : atqui talis est Spiritus S., ut ex pluribus Scripturæ textibus comprobare facile est. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ille non est verus Deus qui postulat, contristatur, extinguitur, accipit et mittitur proprie et realiter, *conc.*, improprie, *neg.* : Porro Spiritui S. hæc solummodo competunt improprie. — 1. Quidem dicitur postulare pro nobis et gemere, quatenus nos sua gratia movet ad postulandum, et coram Deo gemendum. — 2. Dicitur extingui non ratione sui, sed ratione gratiarum, quas in cordibus nostris diffundit, et quibus sæpe abutimur. — 3. Dicitur contristari, quia producit effectus similes eis quos producit homo ab aliis contristatus; eodem scilicet modo quo Deus asserit se pœnitere homines creasse. — 4. Dicitur aliquid accipere a Patre et ab eo mitti, ratione videlicet originis; Spiritus quippe S. a Patre Filioque procedit.

25. Obj. 2. Plurimi Patres altum de Spiritu S. silentium servaverunt, et si de eo loquantur, quasi ex proposito sese abstinuerunt a nomine Dei Spiritui S. tribuendo. Ergo illum ut Deum non habuerunt. — Resp. 1. Plures etiam Patres nomine Dei Spiritum S. aperte insigniunt, — 2. Qui ab eo nomine abstinent, verba Spiritus S. divinitatem clare exprimentia adhibent; si autem Dei nomine non usi sunt, id factum fuit, inquit Perrone, ex quadam religione ac reverantia erga receptum loquendi usum ab ipsis Apostolis inductum, ne

christianis adhuc teneris ac pene musteis ex gentilitate conversis nomen Dei multiplicatum in Filio et Spiritu S. esset offendiculo, quasi plures dii admitterentur, prout advertit Petavius (*de Trin.*, lib. 3, c. 1, § 4) de simili argumento, ubi pro hac explicatione affert S. Chrysostomum, S. Basilium, Theodoretum et Theophilactum.

ARTICULUS III.

De unitate naturæ divinarum personarum.

26. Errores. 1. Tritheistæ, quorum signifer fuit Philoponus, non incelebris VI sæculo grammaticus et philosophus, de natura divina idem quod de natura humana statuentes, aiebant unam esse in tribus personis naturam communem, sed in singulis numerice divisam, sicuti tres homines eamdem specifice naturam humanam habent, quamvis numerice diversam; ideo tres deos admittebant et dicti sunt *Tritheistæ*.

2. Abbas Joachimus, XII sæculo, statuebat tres personas esse unum Deum non eo quod in eadem natura existant, sed quia consensione et voluntate tam perfecte uniantur, ac si essent unicum ens. Fatebatur quidem Joachim Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse unam essentiam, unam substantiam, unam naturam; at hanc unitatem dicebat non veram et propriam esse, sed quasi collectivam et similitudinariam, nec aliam ab illa, qua multi homines dicuntur unus populus. Nullam itaque naturam vere ac proprie communem in personis divinis agnoscebat; sed in Patre naturam generantem, in Filio genitam ac distinctam, in Spiritu S. procedentem ex utroque, ex quibus tribus Deus efformabatur : unde erat in Deo aliqua quaternitas.

3. Recentioribus temporibus plures ejusmodi tritheismum renovarunt. Citatur imprimis Antonius Günther, qui dicit unitatem divinæ naturæ non esse *numericam realem*, sed tamen in tribus personis esse *identitatem substantiæ*, seu *tres esse substantias identicas* sive *personas*. Deinde vero quamdam aliam unitatem inducit, quam *formalem* vocat, in eo sitam quod per conscientiam sui personæ ad invicem referantur

27. Antequam vero hos errores refellamus, duplex essentiæ unitas sedulo distinguenda est; una scilicet *specifica*, qua plura subjecta unius naturæ esse dicuntur, eo quod sub uno genere eademque specie continentur, v. g., tres homines; altera *numerica*, qua fit ut res una sit numero atque individua, et hæc unum proprie constituit. Porro naturæ unitas personis divinis adscribenda non specifice, sed numerice intelligenda est; quod quidem declarabit sequens

Assertio: *Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt una eademque numero essentia, substantia, seu natura divina, et idcirco non tres dii, sed unus Deus.*

Est de fide. Legitur enim in Symbolo Nicæno : « Credo in *unum* Deum ; » item in Symbolo S. Athanasii : « Fides catholica hæc est, ut *unum Deum* in Trinitate et Trinitatem *in unitate* veneremur, neque confundentes personas, neque *substantiam separantes* ; » et infra : « Patris et Filii et Spiritus Sancti *una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* » — Concilium Lateranense IV definit : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus, tres quidem personæ, sed *una essentia, substantia*, seu *natura.* » Idem vero, damnatis erroribus Joachimi, hæc addit : « Credimus et profitemur... quod *una* quædam res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, ac singulatim quælibet earumdem. Et in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est *illa res*, videlicet *substantia, essentia*, sive *natura divina*... ut distinctiones sint in personis et *unitas in natura.* »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Huc possent adduci textus Scripturarum, quibus simpliciter affirmatur Deum *unum* esse, uti, v. g., quando dicitur (*Deut.*, VI, 4) : « Audi, Israel, Dominus » Deus noster Dominus *unus est* ; » — (I *Cor.*, VIII, 6) : « *Nobis* » *unus Deus* ; » — (*Gal.*, III, 27) : « Mediator unius non est, » Deus autem *unus* est. »

Sed ad rem nostram præsertim faciunt Scripturæ loca superius jam adducta, ubi de trinitate divinarum personarum ; quæ quidem eo efficaciorem vim habent, quod simul exprimunt

totum Trinitatis dogma, distinctionem scilicet personarum divinarum divinæque naturæ perfectam et numericam unitatem. Hujusmodi sunt imprimis — 1. *forma baptismi*, in qua dicitur : *in nomine*, non in *nominibus*, ut una trium personarum auctoritas, virtus et essentia declaretur ; — 2. textus S. Joannis (I *Ep.*, v, 7) : « Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : » Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, *et hi tres unum sunt* ; » quibus verbis ultimo loco positis manifeste significatur unitas naturæ et substantiæ, minime vero unitas testimonii, uti somniarunt Sociniani. — Unitatem naturæ divinæ pariter evincunt testimonia in præcedenti articulo citata, in quibus vel *attributa divina*, nempe immensitas, omniscientia, omnipotentia... de singulis personis divinis prædicantur; vel etiam eadem opera, qualia sunt creatio, inspiratio prophetarum, justificatio aliaque hujusmodi tribus simul personis tribuuntur. Hæc enim vera esse nequeunt, nisi Patris et Filii et Spiritus Sancti una eademque sit essentia, una voluntas, una immensitas, etc.

Hæc quidem de tribus personis generatim ; sed alia sunt loca, in quibus speciatim asseritur unam esse Patris et Filii essentiam. Sic (*Joan.*, x, 30) Christus ait : « Ego et Pater *unum* » *sumus* ; » item (*Joan.*, xiv, 9) : « Qui videt me, videt et Pa- » trem ; » et (*Ibid.*, v, 10) : « Omnia quæcumque habet Pater, » mea sunt. » Alia omittimus nec minus expressa, nec minus efficacia. — Quod vero attinet ad Spiritum S. respectu Patris et Filii, dicitur *dari a Patre*, *procedere a Patre*, *mitti a Filio*, *accipere a Filio*, vel etiam appellatur *Spiritus Patris*, *Spiritus Filii*, uti in dicendis apparebit : sed hæc prorsus essent absona, si natura aut essentia divina Spiritus Sancti ab essentia Patris et Filii numero diversa esset. Ergo.

Prob. 2. *Traditione*. Constat quippe antiquissimos Patres, quales sunt S. Justinus, Theophilus Antioc., Minutius Felix, Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandr., Arnobius, et alii qui contra gentiles fidem christianam scriptis defenderunt, semper docuisse una cum distinctione divinarum personarum perfectam naturæ identitatem earumdem. — Idem tenuisse alios Patres antenicænos, facile ostendi posset, si tractatus

limites permitterent; conferantur textus supra citati, ubi de trinitate et divinitate divinarum personarum. — Quoad vero Patres, qui fidei Nicænæ adhæserunt, appellare sufficiat S. Augustinum qui (*de Trinitate*, l. 5, c. 9) hæc habet : « Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus Deus est, quod *secundum substantiam dici* nemo dubitat : non tamen tres deos, sed *unum* Deum dicimus eam ipsam præstantissimam Trinitatem. » Et adhuc : « Omnes quos legere potui qui ante me scripserunt de Trinitate... hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus S. *unius ejusdem substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem*, ideoque non *sunt tres dii*, *sed unus Deus* » (l. 1, c. 7, *de Trinitate*).

Prob. 3. *Rat. theol.* Vel tres personæ divinæ unicam habent numero naturam, et tunc datur mysterium SS. Trinitatis quod propugnamus ; vel habent naturam numero distinctam, sed tamen specifice unam, sicut tres homines respectu naturæ humanæ ; porro illud posterius importaret in Deo compositionem ; quod est absonum. — Præterea hæ naturæ distinctæ forent infinitæ vel finitæ ; si *prius*, ergo sunt tres dii, quod in philosophia repugnare demonstratum est ; si *posterius*, ergo nullus est deus, siquidem tres naturæ finitæ in unam coadunatæ nequeunt infinitam naturam efformare.

28. Obj. 1. Tres personæ sunt tres substantiæ ; ergo sunt tres dii, cum unaquæque persona sit Deus. — Resp. *nego antec.* Tres personæ non efformant tres substantias, sed eamdem et unicam substantiam divinam possident.

Inst. Persona non datur sine substantia ; ergo si tres sunt personæ, tres esse debent substantiæ. — Resp. Persona non potest existere sine substantia aliqua, sive distincta ab alterius personæ substantia, sive cum ea communi, *conc.* ; secus, *nego*. Ergo si tres sunt personæ, debent esse tres substantiæ, *neg. consequens* ; nam eadem substantia tribus personis distinctis compleri potest.

29. Obj. 2. Valet hoc argumentum : Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus S. est persona divina ; ergo sunt tres personæ divinæ. Ergo a pari valet et istud :

Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus : ergo sunt tres dii. — Resp. *neg. conseq. et parit.* Ratio disparitatis est quia personalitas est incommunicabilis alteri, dum divinitas est tribus communicabilis, unde tres personæ sunt idem Deus.

30. Corollarium 1um. *Ergo tres personæ divinæ sunt sibi coæquales.* Dicit quippe Apostolus de Christo (*Philipp.*, II, 6) : « Non rapinam arbitratus est esse se *æqualem Deo.* » — Item in symbolo S. Athanasii et in concilio Later. IV (cap. *Firmiter*). — Ratio est quia æquale dicitur per negationem majoris et minoris : atqui in Deo non est majus et minus. Ergo. — Præterea si esset aliqua inæqualitas in personis divinis, non esset in eis una essentia, siquidem inæqualium non potest esse una quantitas numero, quantitas vero in Deo non aliud est quam ejus essentia.

Inde vero illegitime inferretur nullum esse in divinis personis naturæ ordinem. Ratio est — tum quia ubicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio ; sed in divinis personis confusio esse non potest ; — tum quia ordo dicitur per comparationem ad principium : atqui in divinis est principium secundum originem, absque tamen prioritate. Ergo est ordo secundum originem, sed absque prioritate et posterioritate etiam naturæ : quod enim altero natura posterius est, debet ejus natura ab alterius natura pendere ; quod non potest dici de personis divinis, quarum una est natura.

Nullus itaque datur ordo perfectionis, nec dignitatis, nec temporis, nec virtutis agendi ad extra, nullaque subordinatio in SS. Trinitate agnoscenda est, sed solummodo est ordo originis seu processionis, ratione cujus primus est Pater, secundus Filius, tertius Spiritus Sanctus. Quo sensu S. Justinus (*Apologia* 2) ait : « Jesum agnoscimus verum Dei Filium, et *loco secundo* colimus ; *tertiumque ordine* Spiritum propheticum. »

31. Corollarium 2um. *Ergo tribus personis communia sunt* — tum *omnia attributa absoluta*, juxta illud Christi : « Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt » ; — tum *opera ad extra ;* hæc enim ab omnipotentia procedunt ; sed eadem omnibus personis inest omnipotentia. Unde hujusmodi effata : *Omnia in*

divinis sunt communia, ubi non obviat relationis oppositio, et : *Indivisa sunt opera Trinitatis ad extra.*

Quædam tamen perfectiones absolutæ, nonnullaque opera externa certis personis specialiter tribui solent; id vero merito jure fieri infra ostendemus, ubi de nominibus divinarum personarum.

32. Corollarium 3um. *Ergo admittenda est in Deo divinarum personarum circuminsessio.*

Circuminsessio est personarum divinarum in se mutua inexistentia. Hac circuminsessione Pater est in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu S. et Spiritus S. in utroque. Jam vero admittendam esse in Deo prædictam circuminsessionem constat

1. *Script. Sacra.* « Non creditis quia ego in Patre et Pater in » me est ? » et paulo post : « Pater in me manens ipse facit » opera » (*Joan.*, XIV, 11). Hæc quidem de Patre et Filio dicta fuerunt, sed pari ratione de Spiritu S. dicenda sunt, quia in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relatio originis, ut modo dictum est.

2. *Traditione.* S. Fulgentius ait : « Totus est Pater in Filio et Spiritu S., totus Filius in Patre et Spiritu S. est, et totus Spiritus S. in Patre et Filio est » (*de Fide*, c. 1, n. 4); ergo.

3. *Ratione.* Plures enim personæ a se invicem distinctæ, ita tamen quod una numero sit illarum natura, quacum identificantur, necessario in se invicem existunt : atqui tres personæ divinæ sunt a se invicem distinctæ, ita tamen quod una numero sit earum natura cum illis identificata. Ergo.

Unde duo ad circuminsessionem requiruntur, distinctio nempe suppositorum, quia idem suppositum non dicitur esse in seipso, nisi improprie ratione partium, quod non habet locum in divinis; — et unitas numerica essentiæ; si enim diversa esset essentia, plus perfectionis esset in omnibus quam in uno, et minus in uno quam in omnibus; quod etiam non convenit divinis personis.

33. Scholium. *De divina œconomia in revelando mysterio Sanctissimæ Trinitatis.* Quoniam mysterium, de quo agitur, duo complectitur dogmata, unum scilicet rationi obvium, de

unitate divinitatis, alterum mentis humanæ captum superans, de personarum trinitate, æternæ sapientiæ œconomia, qua Deus voluit humanum genus nonnisi gradatim ad plenam rerum divinarum cognitionem adduci, postulabat ut prius homines in cognitione unius Dei solidarentur, quam eis aperte proponeretur personarum divinarum trinitas. Cæterum huic apertæ tanti mysterii revelationi obstabat ipsa populi Judaici indoles, uti observat Bellarminus (*de contr. Fid.*, 2 de Christo, l. 2, c. 6) dicens : « Notandum est Deum in V. Testamento noluisse proponere mysterium Trinitatis expresse, quia Judæi incapaces erant, et quia recens exierant de Ægypto, ubi colebantur multi dii, et intraturi erant in terram Chanaan, ubi etiam multi habebantur dii, ne videlicet putarent sibi tres Deos proponi colendos.

Sed quia antiqua lex prænuntia erat et adumbratio novæ, oportebat in ea præsignificari pluralitatem personarum in divinis, nominatim vero personam Filii. Non mirandum igitur quod multa occurrant in libris V. T., quibus modo pluralitas, modo trinitas personarum haud obscure innuitur. Unum jam testimonium protulimus, quando probanda erat distinctio divinarum personarum. Sed alia citari possunt; sic (*Gen.*, III, 22) legimus : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. » Item (*Gen.*, XI, 6) : « Venite igitur, et confundamus linguam » eorum. » In Psalmis (II, 7) : « Dominus dixit ad me, Filius » meus es tu, ego hodie genui te. » Quibus consonant quæ leguntur (*Psal.* CIX) : « Dixit Dominus Domino meo... Ex utero » ante luciferum genui te. » Isaias etiam (VI, 3), scribit : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, » et (*Ibid.*, 8) : « Quem mittam et ibit nobis. » His adjicienda est celebris apparitio Domini Abrahæ, in qua « *tres vidit et unum* » *adoravit* » (*Gen.*, XVIII, 1-10). Unde Patres et theologi hæc tria communiter asserunt :

1. Patriarchæ, prophetæ, aliique viri sanctitate conspicui mysterium SS. Trinitatis cognoverunt. Illud constare videtur — 1. *Script.* « Amen dico vobis, quia multi *prophetæ et justi* » cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt ; et audire » quæ auditis, et non audierunt » (*Matth.*, XIII, 17). Porro

vehemens illud desiderium videndi Christum supponit eos fide incarnationis imbutos, ideoque fidem Trinitatis habuisse. — « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum : » vidit, et gavisus est » (*Joan.*, VIII, 56). — 2. *Auctoritate SS. Patrum.* SS. Ambrosius, Aug., Cyril. id pro Abrahamo expresse tenent. — 3. *Ratione.* In libris Judæorum exstat quædam mysterii SS. Trinitatis revelatio ; plures enim referuntur textus illud mysterium indicantes : porro haud probabile est et prophetas hæc verba proferentes, et viros pietate conspicuos illis se delectantes, eorum sensum non intellexisse.

2. Probabilius est *Judæorum legisperitos* obscuram saltem mysterii SS. Trinitatis cognitionem habuisse : cum enim illud mysterium in veteri Testamento pluries significetur, et multa sint de liberatore venturo testimonia, quæ divinitatem Messiæ quem exspectabant Judæi, indicant, ex iis colligere potuerunt Judæorum doctores Messiam venturum esse Deum : quæ fides imperfectam saltem mysterii SS. Trinitatis cognitionem supponit. Et revera si legantur opera Philonis, Onkelos et Jonathan, nec non et paraphrases chaldaicæ, in iis deprehendi possunt quædam loca quæ SS. Trinitatis imperfectam saltem notitiam supponunt.

3. Ex illa sanctorum inter Judæos fide communique legisperitorum opinione potuit derivari *in multitudinem* aliqua Trinitatis imperfecta notio; quod innuit agendi ratio inimicorum Christi, qui, cum causas criminationis adversus eum quærerent, blasphemiæ eum arguerunt non quod doceret Deo Patri coexistere Filium ejus, qui Deus esset, sed quia, cum homo esset, seipsum faciebat Filium Dei et consequenter Deum (*Joan.*, X, 33). Sed tamen imperfectissima omnino fuit hæc mysterii Trinitatis notitia; unde S. Hilarius ait : « Hoc Ecclesia intelligit, hoc synagoga non credit, hoc philosophia non sapit. »

Constat ergo ita temperatam fuisse tanti mysterii revelationem, ut homines ad illud explicite credendum sensim disponerentur, amoveretur periculum polytheismi, tuncque perfecte manifestaretur, cum, dato a Patre Filio ut mundum redimeret atque effuso Spiritu Sancto, divinarum personarum

existentia propriis cujusque beneficiis jam innotesceret, ac sub oculis veluti caderet.

CAPUT III.

DE INTRINSECA RATIONE MYSTERII SS. TRINITATIS.

34. Quæ de intrinseca ratione mysterii SS. Trinitatis expendi possunt ad processiones divinas referuntur. Iis enim semel assertis ac probatis, jam intelligi aliquatenus datur admittendas esse in Deo relationes originis, quæ, cum oppositæ sint ac subsistentes, realiter ab invicem distinctæ sunt personasque realiter distinctas constituunt in una eademque numerice essentia divina. Hinc etiam cætera quæ de personis divinis tenenda sunt earumque conceptum magis elucidant. Dicemus itaque — 1. de existentia; — 2. de natura; — 3. de consectariis divinarum processionum.

ARTICULUS I.

De existentia processionum divinarum.

35. Prænotanda. Procedere in sensu vocis proprio idem sonat ac migrare a loco in locum : metaphorice autem sumptum significat originem vel productionem termini a suo principio, effectus a sua causa. Sic lux a sole, filius a parentibus, cogitationes a mente, desideria a corde procedere dicuntur. Processio ergo in genere definiri potest *origo unius ab altero.*

Ut autem hæc definitio plenius intelligatur, tria in processione distinguenda sunt, nempe : — 1. principium seu causa, — 2. terminus, seu principiatum vel effectus, — 3. actio qua prius producit posterius.

Porro principium illud est quod continet in se rationem principiati; principiatum autem quod a principio habet ut sit; actio ipsa est energia ex qua immediate resultat principiatum.

Sic Pater (*principium*) in se continet rationem Filii (*principiati*) eamque producit per generationem (*actionem*).

Ex quibus sequitur : — 1. principium debere aliquo modo distingui a principiato : continetur enim in principio ratio cur sit principiatum. Dicitur *aliquo modo distingui ;* non enim necesse est, ut quoad essentiam numericam distinguatur : sic Pater in divinis est principium Filii, licet eadem numero sit utriusque essentia ; — 2. adesse necessariam connexionem principium inter et principiatum ; quippe quæ ita se respiciunt, ut unum ex altero resultet ; — 3. principiatum esse aliquo modo posterius suo principio ; ideo namque habetur principiatum quia datur principium. Dicitur *aliquo modo* : sufficit enim prioritas ordinis, nec requiritur intervallum temporis ; aliis verbis, prioritas hæc implicare potest meram dependentiam relationis, uti contingit in divinis.

Vox *principium*, ubi agitur de SS. Trinitate, potius usurpatur quam *causa* ab auctoribus latinis. Ratio est quia *causæ* nomine intelligunt principium influens esse in aliud, seu, id quod continet rationem cur aliquo modo habeatur aliud natura distinctum. Eadem quoque observatio valet pro vocibus *principiatum* et *effectus*. Sed Græci eumdem sensum *causæ* tribuunt ac Latini *principio*, ut videre est in decreto unionis Concilii Florentini.

Duplex vero distinguitur processio : una *transiens* et *ad extra*, quæ datur cum effectus extra causam ex qua procedit positus est ; sic in humanis filius est extra patrem ; — altera *immanens* et *ad intra*, quæ datur cum terminus productus intra suum principium manet ; cujusmodi est cogitatio, quæ intra mentem ex qua nascitur remanet.

Hinc duplex etiam, et quidem perfectior, distinguitur processio, ubi de Deo agitur : prior *transiens* et *externa*, qua fit ut omnes creaturæ a Deo originem habeant. Omnia enim quæ rerum contingentium universitatem constituunt a Deo sunt, sed processione mere externa, sicut effectus a causa, quia etsi in Deo sint, moveantur aut vivant, non ita tamen ut eamdem cum eo essentiam habeant ; unde ab eo omnino dependent et distinguuntur. — Posterior *immanens* et *interna*,

qua fit ut una persona ab alia vel aliis tanquam a suo principio procedat in una eademque essentia divina : unde definiri potest : *Origo unius personæ divinæ ab alia vel ab aliis per ineffabilem essentiæ communicationem, quæ nullam implicat imperfectionem aut veri nominis dependentiam.*

36. — II. Admittendas esse in Deo processiones jam colligi potest ex dictis de distinctione divinarum personarum SS. Trinitatis. Eatenus quippe ab invicem distingui possunt personæ divinæ, quatenus inter eas datur oppositio originis : porro dari nequit hæc originis oppositio, nisi sint in Deo processiones; ergo. — Altera ratio, Ecclesiæ fide supposita, ex naturæ divinæ fecunditate depromi potest; hæc enim, cum sit summa perfectio, non videtur Deo deneganda. Unde Isaias (LXVI, 9) dicit : « Numquid ego qui alios parere facio ipse non » pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris » tribuo, sterilis ero? » — Cæterum ex infra dicendis de generatione Verbi et de processione Spiritus Sancti res magis explorata fiet.

37. — III. Catholica doctrina de processionibus divinis his tribus Symboli Athanasiani continetur : — 1. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus; — 2. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus; — 3. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.

Quod autem Pater, seu prima persona a nulla alia procedat, iterum affirmat concilium Lateranense IV dicens : « Pater a nullo est, » breviterque evinci potest

1. *Ex SS. Patribus* passim vocantibus Patrem *ingenitum, innascibilem...*, quæ voces omnem processionem passivam excludunt.

2. *Rat. theol.* Pater a nullo procedit, si nec a seipso, nec a natura divina, nec a Filio vel Spiritu S. procedit; atqui ita est : — 1. Pater non procedit a seipso; nam nullus a seipso procedere potest; alioquin esset seipso prior et posterior origine; — 2. Pater non procedit a natura divina; alioquin distingueretur realiter ab illa, quia producens et productus distinguuntur realiter; atqui natura divina non realiter distin-

guitur a Patre. Ergo. Insuper cum processio sit origo unius ab alio, ac proinde actio, debet referri ad suppositum seu personam, juxta axioma : actiones sunt suppositorum; ergo vel impossibilis est processio Patris a natura divina, vel ante Patrem agnoscenda est alia persona divina, quod falsum est. — 3. Pater non procedit a Filio vel Spiritu S.; nam illi producuntur a Patre; nihil autem produci potest ab eo quod ipsum producit, siquidem producens semper est origine prior quam productus : ergo Pater a nullo procedit.

Superest igitur ut seorsim stabiliamus — 1. Filium a Patre, et quidem solo, per veram generationem procedere; — 2. Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, sed non per generationem.

§ I. Statuitur Filii a Patre generatio.

38. Generationis genuinus conceptus. — Generatio communiter definitur : *Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ vi processionis formaliter.*

Dicitur — 1. *Origo*, id est, emanatio, processio; quod commune est cujuslibet productionis nomen. Hic proinde agitur de generatione passiva.

Dicitur — 2. *Viventis*, ut a generationis ratione submoveantur quæcumque vitæ sunt expertia, etiamsi aliunde a viventibus oriantur; genitus quippe vita donari debet. Hinc ungues, capilli non dicuntur proprie generari.

Dicitur — 3. *A vivente*, quia nempe non est veri nominis generatio, nisi utrumque, gignens videlicet et genitum, vita præditum sit. Sic Adamus a luto quidem fictus, sed non genitus affirmatur.

Dicitur. — 4. *Principio conjuncto;* scilicet in generatione generans genito conjungi ita debet, ut sit principium activum a quo producatur, simulque partem substantiæ suæ intrinsecam ipsi communicet, quo fiat ut filius sit pars et membrum Patris. Deficiente primo, Eva ex Adami costa elaborata ipsius filia dici non potest; defectu vero secundi, angeli et homines nequeunt dici ex Deo geniti.

Dicitur — 5. *In similitudinem naturæ*; quia ad generatio-

nem requiritur ejusdem naturæ, saltem specificæ, in generante et in genito communio; unde vermes e corpore humano erumpentes non dicuntur ab homine generari, eo quod eamdem, specie saltem, cum ipso naturam non habeant.

Dicitur — 6. *Vi processionis formaliter*, ut significetur non dari generationem, nisi actio, per quam generatio fit, natura sua in prædictam naturæ similitudinem tendat; id est, genitus non tantum procedere debet similis generanti, sed ratio hujusce similitudinis non alia esse debet ac ipsa actio per quam procedit. Ea enim propria vis est generationis ut simile quid natura edat.

His prænotatis, catholicum dogma de generatione Filii sequenti assertione statuitur.

39. Assertio : *Filius a Patre, et quidem solo, procedit per veram generationem.*

Est de fide; legitur quippe in Symbolo Const. : « Credo... in unum Dominum Jesum Christum, *Filium Dei unigenitum*; et *ex Patre natum* ante omnia sæcula, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; *genitum*, non factum; » item in Symbolo S. Athanasii : « Filius *a Patre solo est*, non factus, nec creatus, sed *genitus*. » — Sic etiam concil. Later. IV : « Pater a nullo, Filius a Patre solo. » — Jam vero

Prima pars, qua nempe asseritur *Filium a Patre procedere*, constat

1. *Scriptura Sacra.* Christus enim (*Joan.*, VIII, 42) de seipso ait : « Ego *ex Deo processi*, et veni; neque enim a me » ipso veni, sed *ille me misit*. » Similiter (*Ibid.*, VII, 29) : « Ego » scio eum (Patrem) quia *ab ipso sum* et ipse me misit; » et (*Ibid.*, XVI, 28) : « *Exivi a Patre*, et veni in mundum. » Unde sic argumentari datur : ille a Deo Patre vere procedit, qui *ab eo venit*, qui dicitur *ab eo procedere, esse, exire* : atqui talis est secunda persona Trinitatis, seu Filius. Ergo. — Addi possent textus, quibus infra demonstrabitur Filium a Patre generari; de his vero nunc silemus.

2. *Traditione*, nempe ex testimoniis SS. Patrum, quos supra adduximus ad probandam Filii divinitatem; quippe quam ha-

bere dicatur a principio suo, Patre scilicet, communicatam, nec alia proinde quam processionis via.

3. *Ratione.* Jam diximus personas divinas ab invicem non aliter distingui nisi per oppositiones relativas : porro nulla oppositio relativa excogitari potest Filium inter et Patrem, si ab hoc ille non procedat. Ergo Filius a Patre originem habeat necesse est.

Secunda pars assertionis, in qua affirmatur *Filium a solo Patre procedere*, pariter evincitur

1. *Scriptura Sacra*, si non positive, saltem negative, ex eo quod nimirum nullum in tota Scriptura reperiatur testimonium, quo alii quam Patri tribuatur processio Filii. Quippe in re tanti momenti explicari nequit Scripturæ silentium, nisi ex una Patris persona procedat Filius. Ergo.

2. *Traditione.* SS. Patrum jam commemorata testimonia idem suppeditant argumentum. Toti enim sunt SS. Patres ut Patrem Filii principium et quidem unicum asserant.

3. *Ratione.* Si Filius a Patre solo non procederet, id fieret quia originem a Spiritu Sancto pariter haberet; non est enim in Trinitate alia persona, a qua procedere possit; atqui tantum abest quod a Spiritu Sancto procedat Filius, ut contra a Filio Spiritus Sanctus procedat, ex infra dicendis; nec duæ personæ ab invicem procedere possint. Ergo.

Tertia pars, qua dicimus Filium a Patre procedere *per generationem*, itidem probatur

1. *Scriptura Sacra.* Hæc quippe habentur (*Psal.* II, 7) : « Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Ex quo testimonio Christi Domini divinitatem probat Apostolus (*Hebr.*, I, 5) his verbis : « Cui enim Angelorum dixit Deus : Filius meus es tu, » ego hodie genui te, » docens consequenter naturalem filiationem exinde colligi. — Item (*Psal.* IX, 3) : « *Ex utero ante* » *luciferum genui te* ; » quod quidem de Christo Domino intelligendum esse constat ex verbis sequentibus : « Tu es sacerdos » in æternum secundum ordinem Melchisedech, » uti et divus Paulus de eodem Christo interpretatur (*Hebr.*, V, 6), et ita deinceps fere omnes antiquissimi Patres ad confirmandam æternam Verbi generationem; ex his enim vocabulis « *ante luci-*

ferum » æternitatem generationis colligunt, et per ista « *ex utero* » aiunt ex substantia Patris per veram generationem procedere Filium.

Sed et longe clarius asseritur eadem Verbi generatio in novo Testamento, ubi Christus passim dicitur *genitus*, *unigenitus*, *primogenitus*, *Filius Dei*. Sic (*Matth.*, III, 17) Pater æternus de cœlo exclamat : « Hic est *Filius* meus in quo mihi » complacui; » Petrus quoque (*Ibid.*, XVI, 16) dicit Christo : « Tu es Christus *Filius* Dei vivi. » Joannes etiam (I, 18) scribit : « *Unigenitus Filius* qui est in sinu Patris, » et Apostolus (*Rom.*, VIII, 32) : « Qui etiam *proprio Filio* non peper» cit, » etc.

2. *Traditione*. SS. Patres passim docent *Filium a Patre genitum* esse, ideoque ejusdem substantiæ cum Patre et verum Deum esse; sic S. Justinus (*Apol.*, 2, n. 6) ait de Christo : « Qui, cum Verbum sit *primogenitum Dei*, *Deus etiam est;* » — *Generationem Filii* esse æternam; audiatur S. Athanasius : « Hominum est proprium in tempore generare ob imperfectionem naturæ; *Dei vero soboles æterna est*, quia natura semper perfecta est. »

3. *Ratione theol.*, et imprimis ex ipsa generationis notione. Generatio quippe, ex dictis, est *origo viventis a vivente principio conjunctio in similitudinem naturæ vi processionis formaliter*. Atqui processio Filii a Patre est — 1. *origo*, ut vel ex ipso nomine liquet; — 2. *viventis a vivente*, juxta illud (*Joan.*, V, 26) : « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso; » — 3. *principio conjuncto*; non enim partem aliquam duntaxat substantiæ Patris habet Filius, sed totam substantiam; unde (*Joan.*, X, 30) : « Ego et Pater unum sumus, » et (38) : « Pater in me est; » — 4. *in similitudinem naturæ*, siquidem (*Hebr.*, I, 3) nominatur *figura substantiæ* Patris; — 5. vi *processionis formaliter;* nam, ex dicendis, Filius procedit per intellectum, qui tendit in verbum seu speciem expressam, quæ est objecti repræsentatio accidentalis in creatis, substantialis in divinis. Ergo.

40. Scholium. Nonnullæ proponuntur difficultates, ad quas solvendas sedulo considerandum est : — 1. essentiam divinam

esse tribus personis communem ; 2. processiones esse omnino necessarias, ut infra dicetur et ab ipsa natura divina expostulatur; unde nihil datur prius aut posterius. — His positis, objectiones facile solventur :

1. Filius, utpote Deus, est ens a se; ergo non procedit a Patre. — *Neg. conseq.*, quia per ens a se intelligitur ens absolute necessarium, ex sua essentia existens, independens ab omni alio, et improductum ratione essentiæ ac naturæ : atqui Filius, quamvis a Patre procedat, est hujumodi ens, ergo. — INST. Illud ens quod ab alio procedit est ab alio ; ergo non est a se, nec ab alio independens. — RESP. Filius in divinis non producitur quoad essentiam et naturam, ac ideo ab aliis non pendet et est ens a se.

2. Deus est necessario primum principium : atqui Filius non potest esse illud primum principium si a Patre procedat. Ergo. — RESP. 1. *Dist. maj.* Deus est primum principium ratione essentiæ suæ, ita ut ab eo omnia entia proveniant, *conc.*; est primum principium ratione cujuscumque personæ divinam naturam possidentis, id est, unaquæque persona divina est primum principium respectu aliarum personarum divinarum, *nego*. — RESP. 2. *Dist. min.* Filius, si a Patre procedat, non potest esse primum principium ad intra, id est, respectu Patris, *conc.;* ad extra, id est, relaive ad creaturas, *nego*.

3. Si Filius a Patre procedit, est Patre posterior, quod absurdum est in Deo. Ergo. — *Dist. ant.* Pater est Filio prior prioritate originis, *conc.;* prioritate naturæ, vel temporis, vel dignitatis, *neg. ant.* Pater enim non est prior Filio neque prioritate naturæ, quia non est causa Filii ; neque prioritate temporis, quia non existit ante Filium ; neque demum prioritate dignitatis, quia Filius est æqualis Patri; habet enim totam divinitatem sicut Pater.

4. Quod transit a non esse ad esse est suo principio posterius tempore; atqui quod producitur transit a non esse, alioquin frustra produceretur. Ergo. — RESP. Hæc vera sunt in creaturis, non autem in divinis; nam in divinis omnia sunt necessaria et a naturæ essentia proveniunt; et ideo non est prius, nec posterius; sed cuncta ab æterno sunt et erunt sine

ulla imperfectionis et mutationis umbra, et sicut ait S. Augustinus : « Semper gignit Pater, et semper nascitur Filius. »

§ II. Spiritus Sancti a Patre Filioque processio stabilitur.

41. Errores. Inter veteres hæreticos nulli, si forsan excipiantur Eunomiani, negare ausi sunt Spiritum Sanctum a Patre procedere; at multi reperti sunt qui Spiritus S. a Filio processionem rejecerunt; inter quos præsertim Photius, Michael Cærularius et Græci asseclæ. Observant tamen plures Græcos nec negavisse, nec negare omnem respectum Spiritus Sancti ad Filium; concedunt quippe Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, et esse a Patre per Filium ; imo quod sit a Filio, quod effluat, quod scaturiat, emanet, spiretur a Filio; non tamen quod procedat ab illo, quia existimant id importare duo principia. Quidquid sit, doctrina tenenda ita proponitur et vindicatur :

42. Assertio. *Spiritus Sanctus a Patre Filioque tanquam ab unico principio procedit, non tamen per generationem.*

Est de fide ; legitur quippe in Symbolo S. Athanasii : « Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens ; » in concilio vero Later. IV : « Pater a nullo, Filius a Patre solo ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine. » — Ita etiam conc. Florentinum.

Præterea concil. Lugdun. II definit : « Damnamus et reprobamus omnes qui temerario ausu asserunt quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno, procedat. » Conc. vero Flor. : « Definimus Spiritum S. ex Patre et Filio tanquam ab uno principio et una spiratione procedere. » — Quibus prænotatis,

Prima pars assertionis, qua statuitur *Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere*, nullam difficultatem exhibet quoad processionem Spiritus S. a Patre; rem enim aperte declaravit Christus (*Joan.*, xv, 26) dicens : « Mittam vobis a Patre Spiri- » tum veritatis, qui *a Patre procedit.* »

Secundum vero, nempe *Spiritum Sanctum a Filio etiam procedere*, constat

1. *Scriptura Sacra.* Et vero de Spiritu Sancto in Scripturis tria leguntur : — 1. *Illum mitti a Filio* (*Joan.*, XV, 26) : « Cum » autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis. » Item (*Joan.*, XVII, 7) : « Si non abiero, Paracletus non veniet » ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. » — 2. *Illum aliquid accipere a Filio* (*Joan.*, XVI, 14, 15) : « Ille (Spi- » ritus veritatis) me clarificabit, quia de meo accipiet, et an- » nuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt, » propterea dixi : de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » — 3. *Illum esse Spiritum Jesu* (*Act.*, XVI, 7) : « Ten- » tabant ire in Bithyniam et non permisit eos Spiritus » Jesu. » Item B. Paulus (*Galat.*, IV, 6) : « Misit Deus » Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba (Pater). » Porro hæc arguunt Spiritum Sanctum a Filio procedere; nam — 1. Spiritus Sanctus, cum sit Deus Filioque per omnia æqualis, ab eo mitti non potest tanquam a superiore per imperium, neque ut a sapientiore per consilium, sed per processionem seu originem tanquam a principio. — 2. Eadem ratione Spiritus Sanctus nihil recipere potest a Filio quod accidentale sit, sed quid tantum substantiale seu substantiam divinam per actionem substantialem, quod idem est ac procedere in substantia a Filio. Cæterum, cum in Deo, juxta S. Augustinum (Tract. 99, *in Joan.*), idem sit scire ac esse, Spiritus Sanctus a Filio scientiam, vi cujus annuntiat omnia, accipere nequit nisi accipiat et substantiam. — 3. Duplici modo Spiritus Sanctus dici potest Filii Spiritus, nempe, vel quia ab ipso Filius procedit, vel quia ipse a Filio : prius autem dici nequit ex præcitatis textibus; remanet ergo ut Spiritus a Filio procedat; nec videtur cur alia ratione diceretur Spiritus Filii ac Spiritus Patris dicitur, juxta hæc verba (*Matth.*, X, 20) : « Spiritus Patris vestri » qui loquitur in vobis; » at vero Spiritus Patris dicitur quia ab eo procedit. Ergo ut sit Spiritus Filii, ab eo procedat necesse est. Ergo ex triplici aspectu, sub quo Scriptura nobis exhibet Spiritum Sanctum, inferendum est eum procedere a Filio.

2. *Traditione.* In admittenda enim hac processione consentiunt Latini Patres et Græci. Ex Latinis appellare satis est S. Hilarium (*de Trin.*, l. 2, c. 29) scribentem : « Loqui de eo

(Spiritu Sancto) non necesse est, qui de Patre et Filio auctoribus confitendus est; » — S. Augustinum qui (Tract. 99, *in Joan.*) hæc habet : « Cur non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, quum Filii quoque ipse sit Spiritus. » — S. Fulgentium eadem dogmatis instar (*de Fide*, c. 11) asserentem : « Firmissime tene, et nullatenus dubites, eumdem Spiritum Sanctum qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. »

Sed Orientales Patres adducere juvat, ut nullum Græcis relinquatur effugium. S. Athanasius expresse asserit (*in Ps.* XXXIII, 1) Filium esse *fontem et principium* Spiritus Sancti, nec scribere dubitabat ad Serapionem (*Ep.* I, n. 33) : « Ex Verbo Spiritus Sanctus effulget, et ab eo mittitur et datur. » — S. Cyrillus Alex. Nestorium refellens aiebat : « Spiritus Sanctus profunditur a Filio non minus quam ex Deo Patre. » — S. Epiphanius (*Ancorato*, n. 8) haud minus expresse dicit : « Spiritus Patris et Filii Spiritus... ex Patre Filioque procedens et appellatione tertius. » — Et S. Chrysostomus in homilia de Incarnatione quam ipse Photius genuinam esse declarat : « Venit, inquit, ad nos Christus, dedit nobis Spiritum, qui ex ipso est. — « S. Basilius ipse dicit (Contra Eunom.) : « Imago quidem Dei Christus est; imago vero Filii Spiritus, et qui hujus sunt participes, Filii conformes fiunt. — Ne multa, Patres Græci asserere non dubitant Spiritum Sanctum prodire, scaturire, profundi a Filio, eum esse *proprium Filii* vel substantiæ Filii.

Symbola et Concilia haud minus luculenter probant ad Ecclesiæ fidem pertinere processionem Spiritus Sancti a Filio. Præter enim symbolum in Missa a Latinis decantari solitum, in symbolo Athanasiano, quod Græci quoque venerantur, dicitur : « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Epistola etiam synodica S. Cyrilli Alexandrini, in qua processio Sancti Spiritus a Patre et Filio credenda proponitur, approbata fuit in Concilio Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II. Nemo denique nescit eamdem fidem iterum atque iterum definitam fuisse, tum in Concilio Lateranensi IV, an. 1215, tum in Concilio

Lugdunensi II, consentientibus multis qui aderant Græcis, tum in Concilio Florentino unanimi fere Græcorum et Latinorum assensu.

3. *Ratione*, quæ duplex afferri potest, nempe :

1. Pater producens Filium ei communicat quidquid habet præter id quo Pater est seu paternitatem; quod quidem profitetur Filius, dum ait in textu S. Joannis præcitato : « Omnia » quæ habet Pater mea sunt. » Porro quod producat Pater Spiritum Sanctum non pertinet ad rationem Patris, quæ sola Filii productione constituitur; ergo vim producendi Spiritum Sanctum Pater Filio communicat; ergo a Filio quoque procedat Spiritus Sanctus prorsus necesse est.

2. De fide est Filium a Spiritu Sancto distingui : atqui, si Filius non esset Spiritus Sancti principium, ab eo non distingueretur; Filius enim et Spiritus Sanctus a se invicem non distinguuntur natura specifice diversa, quia a Deo sive species sive genus omne exulat; — nec natura numerice distincta, ut duo homines, personæ si quidem divinæ unam eamdemque naturam divinam possident; — nec attributis absolutis distinctis; omnia quippe attributa divina absoluta omnes personæ divinæ habent; — nec attributis divinis relativis disparatis, id est, inter se non oppositis, quia si hæc attributa non supponantur opposita, in eadem persona esse queunt; si autem in eadem persona esse possint, in illa necessario sunt, alioquin non esset summe perfecta. Ergo personæ divinæ inter se non distinguuntur nisi attributis relativis oppositis; ergo si Spiritus S. a Filio non procederet, ab eo non distingueretur; ergo Spiritus Sanctus a Filio vere procedit.

Secunda pars, *Patrem* nempe *ac Filium unicum esse Spiritus Sancti principium*, constat

1. *Script. Sacr.* Cum enim Christus ipse in textu B. Joannis (xvi, 14, 15) supra citato asserit Spiritum Sanctum aliquid ab eo accepturum esse, hanc rationem affert : « Omnia quæcum- » que habet Pater mea sunt. » Ergo productio Spiritus Sancti communis est Patri ac Filio ; porro in eo quod communiter agunt personæ divinæ sunt unum principium, uti patet in creatione, nec ratio discriminis est in divinis personis : Ergo.

2. *Traditione.* Ex Patribus Latinis citare est tum S. Augustinum (l. 5, *de Trin.*, c. 15) dicentem : « Fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia ; » — tum S. Anselmum (Op. *de Process. Sp. Sancti*, c. 9) idem dogma explanantem : « Sicut non credimus, inquit, Spiritum Sanctum esse de hoc unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc in quo unum sunt: ita non dicimus duo ejus principia, sed unum principium. »

Cæterum textus jam adducti ad probandum Spiritum Sanctum a Filio procedere, facili negotio contra Græcos verti possunt, quia de vera processione Spiritus Sancti a Filio intelligendi sunt, nec tamen juxta eos aliud esse possit principium Spiritus Sancti Filius ac Pater.

Denique formula apud Græcos frequentiori, qua *a Patre per Filium* Spiritus Sanctus procedere dicitur idem omnino dogma evincitur. Hoc enim loquendi modo processio Patri tribuitur ut principio primordiali communicanti vim productricem etiam Filio, et dicitur per Filium, quatenus ille pollet vi productrice in generatione acceptam, quod quidem idem est ac si dicatur Patrem ac Filium unicum esse Spiritus Sancti principium.

Nec quemquam moveat quod non pauci Patres dicant Filium esse *proxime* a Patre ; Spiritum vero Sanctum *mediate* tantum, quasi inde sequeretur Patrem non eadem ratione, qua Filius, producere Spiritum Sanctum, atque adeo non esse unum et idem principium. Namque eo sensu Filius dicitur *proxime* a Patre, quod prima sit persona a Patre producta ; Spiritus vero Sanctus *mediate*, quod postrema sit persona a Patre quidem procedens, sed interposito Filio, a quo simili ratione producitur.

3. *Ratione.* Vox quippe illa *principium* substantiva est, atque adeo directe ac præcipue *formam* significat : ergo plurali numero dici non debet, nisi ubi multiplex est *forma* qua principia agunt. At Pater et Filius principium sunt Spiritus Sancti una et eadem forma, scilicet, natura divina, una et eadem actione notionali, quæ, ut infra dicetur, vocatur *spiratio*. Ergo unicum sunt principium Spiritus Sancti. — Confir-

matur insuper ex eo quod personæ divinæ non distinguuntur nisi ratione originis opponantur : atqui in producendo Spiritu Sancto Pater et Filius ratione originis non opponuntur : Ergo in hac productione non distinguuntur, ideoque unum sunt principium.

Merito itaque observant auctores unum esse *spiratorem*, in processione Spiritus Sancti, etsi duo sint *spirantes*. Ratio est, inquam, quia unica est operatio seu *spiratio*, qua Pater et Filius simul operantur, perinde ac si unicus daretur spirans.

Tertia pars, qua diximus *Spiritum Sanctum non per generationem procedere*, eruitur tum ex Scriptura, tum ex Traditione :

1. *Ex Scripturis* quidem, in quibus non solum nunquam tribuitur hoc nomen alteri processioni ac processioni Verbi, sed etiam conceptis verbis definitur Verbum esse Filium Dei *unigenitum* (*Joan.*, I, 14, 18; III, 16 et 18; I *Ep.*, IV, 9).

2. *Ex traditione*, hoc est, sive ex symbolis aliisque fidei professionibus, ubi Christus semper dicitur Filius Dei unigenitus aut unicus ; — sive ex unanimi Patrum consensu; qua in re consulendi sunt imprimis Clemens Alex. (l. 2, *Pædag.*, c. 5), canon Apostolicus 41, alias 49, Eusebius (l. 4, *Demonstr. evang.*, c. 3); — sive ex judicio Ecclesiæ, quæ pro hæreticis semper habuit eos qui plures filios admittebant in Deo, quales fuerunt Valentiniani.

43. Corollarium. *Ergo vox* Filioque *symbolo addi potuit.*

Decurrente sæculo nono, mos invaluit in quibusdam Galliarum locis decantandi symbolum cum additione *Filioque;* qui mos vigebat in regio palatio sub Carolo magno. Patres concilii Aquisgran., an. 809, hunc approbarunt, et ad S. Leonem III legatos miserunt ut ejus judicio firmaretur. Firmiter renuit S. Leo III ; attamen hæc praxis paulatim vulgata est, et in omni Ecclesia latina, etiam Romæ, recepta fuit.

Prob. Illa vox addi potuit merito quæ dogma catholicum clare exprimit et aptissima est ad refellendos hæreticos; porro talem esse vocem *Filioque* ex dictis apparet. Inquirendum est igitur an legitima auctoritate addita fuerit; quidquid sit de primis hujus additionis auctoribus, certum est illam a

longo tempore ab Ecclesia approbatam fuisse, eamque proinde nunc legitimam esse. Nec afferatur concilium Ephesinum omnem symbolo prohibens additionem, quia nonnisi de additione privata auctoritate facta loqui voluit ac potuit, ut patet; quod Græci ipsimet agnoverunt in concilio Florentino, in quo hæc leguntur: « Definimus explicationem verborum illorum *Filioque*, veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate, licite et rationabiliter fuisse appositam. »

ARTICULUS II.

De natura divinarum processionum.

Dicendum venit — 1. de proprietatibus divinarum processionum; — 2. de principio utriusque processionis; — 3. de causa discriminis inter utramque processionem. Triplex igitur paragraphus.

§ I. De proprietatibus divinarum processionum.

44. Cum natura cujusque rei ex proprietatibus ejus potissimum innotescat, operæ pretium ducimus de proprietatibus divinarum processionum primum inquirere. Quas declarabit sequens

Assertio. *Divinæ processiones sunt immanentes, substantiales, necessariæ, æternæ, et omnis imperfectionis expertes.*

Ac — 1. quidem *immanentes* sunt. Earum enim termini intra principia sua manent, v. g., Filius in Patre est. Hoc perbelle expressit S. Joannes (I, 1): « Et Verbum erat apud » Deum. » Versu autem 16: « Unigenitus qui est in sinu » Patris ipse enarravit. » Hujus vero rei causa est, quod processiones istæ sint ab intellectu et voluntate, quæ immanenter operantur, ut ipsi etiam philosophi docent.

2. Sunt *substantiales*, seu, ut aliis placet, *subsistentes*. Hoc enim discrimen est Deum inter et creaturas, quod, juxta pervulgatam philosophandi rationem, creaturæ, cum intelligunt ac volunt, nonnisi accidentales terminos producant; verbum enim ab humana mente efformatum accidens est, non substantia. At vero termini intellectus ac voluntatis Dei per se subsistunt,

et vere sunt personæ, eadem cum principio suo substantia præditæ.

3. Sunt *necessariæ*. Non potest enim Pater non intelligere ac comprehendere se et quidquid secum est connexum, atque adeo intelligendo non producere Verbum suum sibi æquale; nec potest etiam una cum Filio se non amare ut summum bonum, et hoc amore non producere voluntatis suæ terminum, hoc est Spiritum Sanctum. Non ergo voluntate libera et accidentali Filium suum genuit Pater, ut Ariani putabant et aliis expressius asserit Eunomius; quem refellit S. Augustinus (*de Trin.*, l. 15, c. 20).

4. Sunt *æternæ*. Nullum enim fingi potest punctum in quo se vel non intellexerit vel non amaverit Pater. Hinc SS. Patres probant Filium ac Verbum Dei esse æternum, ex eo quod, nisi hoc admittatur, consequens sit Patrem aliquando fuisse sine ratione ac sapientia; non quod Filius sit ipsa sapientia Patris, qua formaliter est sapiens, sed quia sapientia et intellectio Dei nunquam potuit esse sine proprio ac nativo termino suo.

5. Sunt *omnis imperfectionis expertes*. Neque enim generatio Verbi divini iisdem obnoxia est conditionibus ac generatio humana, neque ejus imperfectiones sortitur. Nam, ait S. Ambrosius (*de Fide*, l. 1, c. 5), « non hæc sunt in Deo corporaliter æstimanda; incomprehensibiliter generatur Filius, impassibiliter generat Pater; et tamen ex sese generavit, et ante omnem intellectum generavit Deus verus Deum verum. Item S. Hilarius (*de Trin.*, l. 6): « Vera fidei professio est, inquit, ita Deum ex Deo natum, ut lumen de lumine, quod sine detrimento suo naturam præstat ex se, ut det quod habet, et quod dederit habeat. » Præiverat S. Athanasius (Lib. *de Decret. Synodi Nic.*): « Quando audimus consubstantialem (Filium), neque delabentes ad humanos sensus portiones et divisiones deitatis cogitemus, sed tanquam de incorporalibus agitantes, unitatem naturæ et identitatem lucis non dividamus. » Ex quibus sane eruere licet nullam excogitari posse imperfectionem in processionibus divinis (Cf. Witassius, *de SS. Trin.*, , 5, a. 3).

§ II. De principio divinarum processionum.

45. Prænotanda. Ut quæstio de principio divinarum processionum intelligatur, quædam præmittere oportet. Duplex vulgo a scholasticis distinguitur principium actionis; unum *quod*, et est ipsum suppositum agens : alterum *quo*, et est forma per quam agit suppositum. Iterum, cum duplex sit forma, remota nempe et proxima, duplex quoque distinguitur principium *quo*; remotum unum, quod est ipsa natura; alterum proximum, quod est ipsa facultas aut potentia : sic, v. g., Petrus intelligens est principium *quod*, anima rationalis est principium *quo* remotum, et intellectus est principium *quo* proximum cogitationis.

Jam vero consentiunt omnes theologi principium *quod* processionum divinarum esse personas divinas; Patrem nempe generationis Filii, Patrem vero et Filium processionis Spiritus Sancti; — 2. principium *quo* remotum utriusque processionis esse naturam divinam, in qua virtus producendi fundamentaliter continetur.

Quod attinet ad principium *quo* proximum, plerique tenent theologi intellectum et voluntatem esse principia proxima processionum divinarum, non quidem *secundum se*, seu *ut absolutæ sunt*, sed prout *connotant relationes*. Sit igitur sequens

46. Assertio : *Principia proxima processionum divinarum sunt intellectus et voluntas, prout connotant relationes.*

Prob. 1 *Scriptura sacra.* Apud S. Joannem (I, 1, 4) legitur : « In principio erat Verbum... Et Verbum caro factum est. » Item (*Epist.* I, 5) : « Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, » Pater, Verbum et Spiritus Sanctus. » Unde sic : Filius vocatur verbum; sed verbum non nisi dictione procedit, et dictio non est in Deo nisi per intellectum. Ergo Filius per intellectum procedit. Jam vero si Filius per intellectum procedit, Spiritus sanctus per voluntatem procedit; nam ordo exigit, ut, si ex una facultate una persona promanat, ex altera similiter emanet altera persona. Idcirco Spiritui Sancto adscribuntur in Scripturis opera caritatis, bonitatis et gratiæ, quæ ad amorem seu voluntatem referuntur : Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres expresse asserunt Filium ex intellectu divino procedere : tres tantum præcipuos adducere sufficit, nempe Gregorium Naz. qui (*orat.* 36) ait : « Verbum appellatur, quoniam sic se habet ad Patrem ut verbum ad mentem; » — S. Cyrillum Alex. (*in Joan.*, l. 1, c. 5) æque dicentem : « Filius appellatur Verbum ac sapientia, quoniam ex intellectu immediate ac indivisibiliter est; » — S. Augustinum (*de Trin.*, l. 6, c. 2) cujus hæc sunt verba : « Eo Filius quod verbum, et eo Verbum quod Filius. — Nec minus diserte de processione Spiritus Sancti per voluntatem loquuntur Patres, quem ideo Dei *amorem* seu *caritatem* cum Ecclesia ipsa nuncupant. Satis est hic appellare S. Hieronymum *in Psal.* xvii) : « Spiritus sanctus, inquit, nec est Pater, nec » est Filius, sed dilectio quam habet Filius in Patre, et Pater » in Filio; » et S. Prosperum (lib. *Sent.* 37) : « Spiritus sanctus, ait, est Patris et Filii caritas substantialis et consubstantialis amborum. » Ita demum S. Augustinus qui ea de re fusius disputat in suo de Trinitate tractatu (l. 6, c. 12, et l. 15, c. 17).

Prob. 3. *Ratione duplici.* — *Prima* est, quod processiones divinæ, utpote productiones ad intra, ab iis proxime facultatibus emanare debeant, quæ solæ operantur ad intra : atqui intellectus et voluntas sunt ejusmodi facultates in Deo. Ergo.

Secunda desumitur ex eo quod in hac sententia, commodissime explicatur — 1. cur secunda persona dicatur verbum; quia nempe secunda sola per intellectum procedit; — 2. cur processio Filii prior sit quam Spiritus Sancti; intellectus enim actio semper præit voluntati; — 3. cur Spiritus Sanctus procedat a Filio, non contra : eo quod nimirum Filius, eo instanti originis, quo procedere cogitatur, voluntatem a Patre accipit nondum ulla productione exhaustam; — 4. cur duæ sint processiones, cum processiones tot esse debeant quot facultates; — 5. denique cur processio Filii generatio potius censeatur, quam Spiritus sancti, quia videlicet actio intellectus vi sua assimilativa est, non item voluntatis, ut mox videbimus.

Diximus *prout connotant relationes*, ut innuatur principium *quo* processionum divinarum non esse simpliciter intellectum et voluntatem, quatenus in conceptu essentiæ divinæ includun-

tur ideoque communes sunt tribus personis; alioquin personæ procedentes a seipsis procederent; sed intellectum et voluntatem quatenus *connotant relationes*, seu, quod idem est, quatenus relationes adjunctas habent et ab eis afficiuntur. Sic in Patre intellectus non est principium *quo* generationis Filii, quatenus essentialis est, sed quatenus paternitatis relatione, prout est personalis proprietas, afficitur ac modificatur : seu, ut alii dicunt cum Suarezio, Pater intelligendo generat Filium quia intellectum a se habet; Filius autem et Spiritus Sanctus, etsi intelligant, terminum non producunt, quia intellectum communicatum ac jam adæquate terminatum habent. Nec aliter dicendum est de voluntate qua producitur Spiritus Sanctus : eam quippe Pater habet ex se, Filius quidem per generationem, sed non ut est ab actu volendi; Spiritus vero Sanctus, ut est illius volitionis terminus adæquatus. Unde patet cur intellectio in solo Patre sit generativa, volitio autem in solo Patre et Filio vi productiva donetur; sic enim tantum spectata rationem principii utraque habet.

47. Corollarium. Ex dictis fusius colligitur cur in Deo duæ sint processiones, et duæ tantum. — Duplex enim in Deo admittenda est facultas notionalis, duplex est operatio : una per intellectum, altera per voluntatem. Intellectus quidem et voluntas non realiter, sed tamen virtualiter distinguuntur, et hæc distinctio virtualis sufficit ad varios et distinctos terminos producendos : sic justitia et misericordia virtualiter tantum in Deo distinctæ distinctos realiter effectus producunt, pœnas scilicet et gratias. Ergo duplici operationi notionali intellectus et voluntatis duplicem terminum correspondentem tribui, seu duplicem dari in Deo processionem intelligitur. — Sed etiam plures quam duas in Deo admitti non posse processiones sat facili negotio evincitur; nam, cum omnia in Deo sint infinita, ejus etiam modus ad intra operandi infinitus esse debet et terminum infinitum exigere. Necesse est igitur intellectum et voluntatem divinam tota vi sua, id est, infinite agere terminumque infinitum producere; facultatis autem ita agentes et terminatas omnino exhauriri merito observant theologi suum loquendi modum captui humano accommo-

dantes. Ergo intellectus divinus exhauritur productione Verb infiniti; ergo et voluntas divina productione infiniti amoris. Ergo nulla alia præter duas excogitari potest in Deo processio.

48. Quæritur 1. *Ex quarumnam rerum cognitione procedat Verbum?*

Verbum est Deus, ac proinde ex cognitione omnium perfectissima procedere debet; et ideo procedit :

1. Ex cognitione naturæ divinæ et attributorum Dei absolutorum. Omnes id agnoscunt et nulla est difficultas.

2. Ex cognitione attributorum Dei relativorum, id est, trium SS. Trinitatis personarum, scilicet Patris et Filii, et Spiritus S., tum quia alioquin Verbum non esset perfectissimum, cum daretur cognitio perfectior cognitione qua producitur; tum quia cognosci nequit perfecte natura divina, quin cognoscantur divinæ personæ in illa necessario contentæ. — Nec dicatur quod si Verbum procederet a cognitione sui ipsius et Spiritus S., tunc esset seipso et Spiritu S. prior et posterior; nam in Deo nihil est prius aut posterius tempore, sed in quocumque instanti reali simul existunt Pater, Verbum et Spiritus S.; nulla est igitur contradictio quod Verbum producatur ex cognitione trium personarum. Ita respondet Thomas *de Charmes*. Vide Billuart et alios probatos auctores.

3. Ex cognitione possibilium, ut possibilium, quia possibilia ut possibilia in natura divina existunt.

4. Imo, juxta multos, ex cognitione creaturarum existentium, non tamen per se, sed concomitanter et per accidens; nam, seposita rerum existentium cognitione, quod quidem fingi potest, cum possent non existere, nihilominus procederet Verbum sicuti nunc est.

Exinde apparet quomodo et quonam sensu Pater omnia in Verbo suo videat juxta SS. Doctorum effatum. Sic S. August. : « Novit itaque omnia Deus Pater in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in seipso » (lib. 15, *de Trin.*, cap. 23). — Ita etiam S. Thomas (1. q. 34. a. 3). Vide Billuart.

49. Quæritur 2. *Ex quarumnam rerum amore procedat Spiritus Sanctus.*

Pater et Verbum seu Filius Spiritum S. producunt — 1. ex amore naturæ divinæ et Dei attributorum absolutorum, uti evidens est. — 2. Ex amore attributorum Dei relativorum, id est, trium SS. Trinitatis personarum, tum quia ipse Spiritus S. est summe amabilis, tum quia amari nequit perfecte natura divina quin ametur Spiritus S.; hinc ipsamet spiratio activa qua Pater et Filius Spiritum S. producunt est illius amoris objectum. — 3. Per accidens et concomitanter ex amore creaturarum existentium, in sensu supra dicto; — 4. Non vero ex amore creaturarum possibilium, quæ nullo modo sunt divinæ voluntatis terminus nec proinde a Deo amantur (Cf. Billuart, dis. 5, art. 8).

§ III. De causa discriminis inter utramque processionem divinam.

50. Plerique theologi post S. Thomam (1. q. 27, a. 2 et 4) asserunt idcirco processionem Filii generationem dici, quod procedat per intellectum, quatenus hanc habet vim propriam ut terminum productum sibi assimilet; Spiritus autem Sancti processionem rationem generationis non habere, eo quod procedat a voluntate, cujus natura non est ut terminum sibi similem producat. Sit igitur sequens

Assertio: *Ideo Verbi divini processio rationem generationis sibi vindicat, quia fit per intellectum vi propria asssimilantem; processio autem Spiritus sancti generationis nomine caret, quia est ex voluntate præfata vi destituta.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Dum enim sacræ litteræ Verbum appellant Filium et vice versa, Spiritum autem Sanctum nec Verbum nec Filium vocant, satis arguunt illud Filium esse, quia Verbum est; Spiritum autem Sanctum ideo non esse Filium, quia non est Verbum, seu a voluntate, non ab intellectu procedit.

Prob. 2. *Traditione.* Probatissimi enim Patres, dum Scripturam interpretantur, ex nomine Verbi rationem filiationis quoque desumunt. Ita Clemens Alexandrinus (*in Protepr*) : « Verbum, inquit, genuinus mentis Filius. » S. Ambrosius (*de Incarn.*, c. 3) ait etiam : « Si multa Verba, multi Filii. »

S. Augustinus eadem repetit et inculcat (Tract. 44, 48, *in Joan.*) : « Eo ipso Filius quod Verbum... Quia Verbum, ideo Filius. » In Tractatu autem *de Trinitate* (l. 9, c. 12) ideo Verbum asseverat esse Filium Dei, non autem Spiritum sanctum, « quia mens notitiam sui gignit, cum se novit, et amorem suum non gignit, cum se amat. » Nec aliter Nicæni Patres qui adversus Arianos disputantes ex eo colligunt Christum esse Filium Dei verum, quod sempiternum ipsius sit Verbum. Audiamus denique S. Anselmum (*Monolog.*, c. 8) : « Verbum, inquit, mox ut consideratur, se prolem esse ejus a quo est evidentissime probat, promptam proferendo Patris imaginem; at amor aperte se prolem negat. »

Prob. 3. *Ratione.* De ratione generationis est quod vi sua et per se, seu secundum speciem spectata, procedat in similitudinem naturæ : atqui id convenit processioni quæ est per intellectum, et non processioni quæ est per voluntatem; hæc est enim differentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus intelligat per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem : unde vi sua per se, seu secundum speciem spectatus, est assimilativus; voluntas autem vult non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam : ergo processio quæ attenditur secundum intellectum est vi sua et per se secundum rationem similitudinis; processio autem quæ attenditur secundum voluntatem non est vi sua et per se secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid. Ergo Verbum ideo genitum dicitur, quia procedit ex intellectu assimilante; genitus autem dici nequit Spiritus Sanctus, quia procedit ex voluntate vi assimilante destituta.

51. Scholium. Observant auctores Spiritus Sancti a Patre Filioque originem, etsi propriam rationem habeat, processionem ideo simpliciter nominari, quia in rebus creatis, quibus subsistere convenit, nullam reperire est quæ similem habeat originem, ac proinde analogum nomen deficere quo uti possimus ad eam sub ratione propria designandam. Inquirentibus autem merito visa est Scriptura sacra suppeditare nomen ex

analogia remota desumptum. Non est enim alia ratio cur tertia persona vocetur Spiritus Sanctus, nisi quod procedat ut amor per actum voluntatis, sumpta metaphora ex spiratione hominis quæ amoris instar est per modum appetentis et attrahentis. Unde processio Spiritus Sancti sæpius apud auctores quasi proprio nomine *spiratio* dicitur, et sic Pater et Filius terminum spirare dicuntur, cui nomen Sanctus Spiritus, quasi *sancte spiratus*.

ARTICULUS III.

De consectariis divinarum processionum.

Ex doctrina jam exposita de divinis processionibus plurima deducuntur consectaria, quæ spectant — tum ad *relationes* quas ad invicem divinæ personæ habent; — tum ad *missiones* secundum quas respectum et ordinem ad creaturas dicunt; — tum ad *nomina*, quibus designari solent. De his breviter dicendum superest.

§ I. De relationibus divinis.

52. Relationis notio. *Relatio* est ordo seu respectus unius ad alterum; exempli gratia, inter Patrem et Filium existit relatio. Unde ex triplici constat elemento, subjecto nempe, termino et fundamento. Subjectum illud est quod ad aliud refertur; terminus est res ad quam refertur subjectum; fundamentum vero est ratio propter quam subjectum ad terminum refertur; sic in relatione Patris ad Filium, pater est subjectum, filius vero terminus, et generatio fundamentum.

Relatio autem *realis* vel *logica* tantum dicitur, prout in rebus ipsis, v. g., inter patrem et filium; vel in sola consideratione intellectus, v. g., inter pacem et olivam, existit.

Hac præmissa notione, tria de divinis relationibus statuenda veniunt. Itaque

53. Assertio 1ª: *Dantur in Deo relationes et quidem quatuor, æque sunt reales.*

1. *Dantur quidem in Deo relationes*; relatio enim est respectus unius ad alterum; atqui in Deo ratione originis existunt

varii respectus unius ad alterum, videlicet Patris ad Filium; ergo.

2. *Quatuor sunt in Deo relationes.* Etenim duæ sunt in Deo processiones, scilicet Filii a Patre et Spiritus S. a Patre et Filio; atqui singulis processionibus respondent duæ relationes, una producentis ad procedentem, altera procedentis ad producentem; ergo quatuor sunt relationes, scilicet : Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva.

3. *Relationes divinæ sunt reales.* Nam de fide est dari in Deo tres personas realiter distinctas easque non distingui in absolutis, in quibus sunt consubstantiales, ergo in relativis seu relationibus distinguuntur : atqui non in relationibus rationis; hæ enim distinctionem realem facere non possunt; ergo in relationibus realibus. Ergo personarum divinarum relationes reales sint necesse est.

Accedit quod Pater non dicitur nisi a paternitate, et Filius a filiatione; ergo si paternitas et filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter Pater aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ.

54. Assertio 2ª. *Relationes divinæ realiter quidem a relationibus sibi oppositis, sed virtualiter tantum ab iis, quæ sunt tantum disparatæ, et ab ipsamet essentia divina distinguuntur.*

Relationes divinæ conferri possunt vel secum invicem vel cum essentia divina; iterum in prima hypothesi componuntur vel cum relationibus sibi *oppositis*, v. g., paternitas cum filiatione, vel cum relationibus sibi non oppositis, sed, ut aiunt, *disparatis*, qualis est spiratio activa relate ad paternitatem et filiationem. — Duplex insuper distinctio supponenda est, *realis* una, altera *virtualis*; realis, si existit inter plures res, quarum una non est altera; virtualis, si repræsentat rem aliquam unam actu, sed virtute multiplicem. — His præmissis

Constat primum, ex axiomate recepto : Ea realiter distinguuntur in divinis, inter quæ obviat relationis oppositio, si quidem inter præfatas relationes obviat relationis oppositio, aut potius ipsæ sunt relationes, quibus constituuntur et distinguuntur personæ divinæ, quæ inter se relative opponuntur.

Hinc paternitas, filiatio et spiratio passiva realiter a se invi-

cem distinguuntur ; etsi nimirum spiratio passiva paternitati ac filiationi non per se, formaliter, ac directe opponatur, indirecte tamen et propter spirationem activam ab his excluditur ; etenim prima et secunda persona non solum sunt Pater et Filius, sed præterea sunt spirator, et sub illo respectu Spiritui S. opponuntur et ab eo realiter distinguuntur.

Secundum vero probatur — tum. *Conc. Lateranensi IV* (c. 2) definiente non esse in Deo quaternitatem ; quæ tamen quaternitas foret, si, v. g., spiratio activa a paternitate et filiatione realiter distingueretur ; nam darentur paternitas, filiatio, spiratio passiva, et spiratio activa, quæ a tribus prioribus distingueretur, ex hypothesi ; — tum *ratione*. Ex effato ab omnibus recepto, omnia sunt in Deo unum, ubi non obviat originis relatio ; atqui inter spirationem activam ex una parte, et paternitatem et filiationem ex altera, non est oppositio relationis, seu producentis et producti ; nam spiratio activa non procedit realiter a Patre vel Filio ; verum Pater illam communicavit Filio, sicut ipsi communicavit naturam divinam. Ergo.

Tertium, denique patet ex eo quod plura essent entia realia et imperfecta, a natura divina distincta, si divinæ relationes ab essentia divina realiter distinguerentur : quæ quidem suppositio vel imperfectionem in natura divina, vel pluralitatem deorum necessario importare videtur. Ergo.

55. Assertio 3ª : *Tres personæ divinæ formaliter constituuntur et ab invicem distinguntur per relationes oppositas.*

Enimvero id per quod unaquæque persona constituitur ac distinguitur debet esse ipsi proprium ac singulare : atqui in divinis omnia absoluta communia sunt, nec ulla est distinctio, nisi ubi obviat relationis oppositio. Ergo.

Cæterum de hoc unanimes sunt SS. Patres pro quibus audiatur S. Gregorius Naz. : « Communis est, inquit (*Orat.* 23), Patri et Filio et Spiritui Sancto... divinitas ; proprium autem est Patris quidem esse ingenitum, Filii vero generatio ; Spiritus Sancti processio. »

Hinc relationes, quibus distinguuntur ac constituuntur personæ divinæ, merito dicuntur *personarum proprietates :* quæ idcirco, si accurate loqui velimus, tres tantum dicendæ sunt,

nempe *paternitas*, *filiatio* et *spiratio passiva*. His tamen proprietatibus vulgo a theologis additur *innascibilitas*, utpote personæ Patris propria : sed tunc sumitur pro eo quod uni personæ peculiare est, non pro eo quod personam constituit.

Dissentiunt tamen theologi in explicanda ratione, qua divinæ relationes personas divinas constituere dicuntur. Juxta Suaresium et alios relatio divina constituit personam divinam secundum propriam rationem relationis, id est, prout referunt personas ad invicem. Multi e contra, etsi fateantur personas divinas per relationes *formaliter* spectatas *explicite* distingui, existimant easdem prius a nobis concipi debere, quam aliæ ad alias referantur; ac proinde ipsas veluti *in actu primo* constitui ac distingui per relationes, non prout sunt formaliter relationes, sed quatenus sunt quid *subsistens in natura divina*, ordinem dicens ad personas actu secundo ad invicem referendas. Ita Thomistæ post suum Doctorem, qui (1. q. 40, a, 4) hæc docet : « Proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter, uno modo, *ut est relatio*, et sic secundum intellectum supponit actum notionalem (intellige generationem); quia relatio, in quantum hujusmodi, fundatur supra actum. Alio modo, secundum quod *est constitutiva personæ*, et sic oportet quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni. »

56. Scholium I. *De subsistentiis divinis.* Quæstioni de relationibus personalibus altera affinis est de subsistentiis divinis, de qua proinde pauca dicenda sunt.

Jam diximus, ineunte Tractatu, quid *subsistentiæ* nomine veniat (cf. n. 3), simulque adnotavimus has voces *persona*, *subsistentia*, *hypostasis* in divinis pro eodem indiscriminatim accipi. Cum vero apud philosophos subsistentia sumatur in abstracto pro ea formalitate per quam substantia singularis et individua per se subsistit, hoc est, per quam persona est, quæstio exsurgit quot sint in Deo subsistentiæ. Porro

1. Certum est *tres* esse in Deo *subsistentias relativas*. Scilicet hoc nomine donantur illæ subsistentiæ, quæ propriæ sunt personis divinis easque in ratione personæ constituunt; unde etiam dicuntur proprietates personales. Tot igitur sunt ejusmodi

subsistentiæ, quæ nimirum personas constituunt in ratione personæ, quot sunt personæ; quemadmodum tot sunt humanitates, quod sunt homines : sed in Deo tres sunt personæ; ergo tres sunt subsistentiæ relativæ, scilicet subsistentia Patris, subsistentia Filii et subsistentia Spiritus Sancti.

Ex quibus facile intelligitur cur spiratio activa non sit quarta quædam subsistentia relativa; licet enim ipsa sit relatio, tamen non est subsistentia seu personalitas, quia non constituit personam in ratione personæ, sed reperitur in Patre et Filio *jam*, ut ita dicam, constitutis.

Illæ vero subsistentiæ *relativæ* dicuntur, tum quia ex relationibus sibi essentialiter conjunctis enascuntur, tum quia, si non dicerentur relativæ, forent aliquid absolutum; quod quidem esse non potest; in Deo enim absoluta non multiplicantur.

2. Sed quæstio est inter theologos utrum præter tres illas subsistentias relativas alia detur absoluta, quæ nimirum competat naturæ divinæ a tribus subsistentiis relativis præcisæ. Partem negantem tenent plurimi censentes admitti non posse hujusmodi subsistentiam relativam, quin inducatur quarta persona in Deo. Affirmant vero communiter Thomistæ, et dicunt dari in Deo secundum se considerato et relationibus ac personis præintellecto subsistentiam absolutam, qua existit per se independenter ab alio sustentante, et constituitur principium *quod* operandi, non ita tamen ut natura divina ita considerata incommunicabiliter existat adeoque persona efficiatur. Unde tota quæstio est de nomine; in hoc quippe versatur utrum subsistentia incommunicabilitatem necessario importet. Videatur de hoc Billuart (Diss. 4, a. 3).

57. **Scholium II.** *De notionibus divinis.* Notio in divinis nihil aliud est quam propria ratio cognoscendi divinam personam; unde definitur a nonnullis : *nota quæ unam personam divinam ab alia vel a duabus aliis secernit.* — Ad notionem divinam tria requiruntur : — 1. ut sit aliquid proprium uni personæ vel duabus tantum; quia aliter personas ab invicem non secerneret; — 2. ut pertineat ad originem; nihil enim in divinis est distinctum et speciale nisi pertineat ad originem; — 3. ut

aliquam importet dignitatem; quia persona, quæ per eam secernitur, est nomen honoris et dignitatis.— Hinc notio a relatione differt in eo quod notio per se non indicat respectum unius personæ ad alteram, nec proinde aliquam personam divinam directe constituit; exinde videtur quomodo innascibilitas dicatur notio, et tamen inter relationes non numeretur.

Jam vero quinque admittendæ sunt in Deo notiones : *innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa et passiva*, et quinque tantum.

1. *Quinque sunt in Deo notiones.* — De paternitate, filiatione, spiratione activa et passiva nulla est difficultas; ipsis enim et definitio et characteres notionis evidenter competunt. De sola innascibilitate proinde agendum; quæ quidem ideo inter notiones jure annumeratur, quia — 1. est *propria Patri;* nam per eam non intelligimus tantum negationem generationis, sed omnis omnino processionis ab alio, quod soli Patri convenit; — 2. *pertinet ad originem*, non quidem *positive*, sed *eo modo negative, quo negatio reducitur ad affirmationem* ; — 3. *importat aliquam dignitatem*; quamvis enim innascibilitas sit quid negativum quoad nomen, est quid positivum quoad rem; significat nempe Patrem esse sine principio, a quo procedat, dum Filius et Spiritus Sanctus ab ipso tanquam a principio procedunt.

2. *Quinque tantum admittendæ sunt in Deo notiones.* Nam in Deo non datur alia nota, præter quinque assignatas, dotibus ad notionem requisitis præfulgens; ergo in Deo sunt tantum quinque notiones.

His quinque notionibus personæ divinæ perfecte dignoscuntur et a se invicem secernuntur; nam per paternitatem et filiationem Pater et Filius inter se distinguuntur, per spirationem activam et passivam secernuntur a Spiritu S., sicque ternarius numerus personarum ostenditur; et ne plures personæ cogitentur quam tres, additur innascibilitas per quam ostenditur Patrem a nullo principio esse.

58. Scholium III. *De actibus notionalibus.* Hoc nomine designantur actiones, quibus producuntur Filius et Spiritus Sanctus, *generatio* scilicet et *spiratio activa*; quibus respondet

duplex potentia notionalis, *generativa* nempe et *spirativa*. Hi autem actus nihil aliud sunt quam actus intelligendi et volendi essentiales relationibus modificati ; unde important quid simul absolutum et relativum. Idem dicendum est de potentiis notionalibus, quæ nec virtualiter distinguuntur ab actibus, utpote quæ sunt actus purissimi, nec tam dici debent potentiæ ad actum, quam ad terminum a se distinctum. Ex quo patet, ut scite observat Angelicus Doctor (1. q. 41, a. 1, ad 2), actus notionales secundum modum significandi tantum differre a relationibus personarum, sed re omnino idem esse.

Inquirunt vero theologi utrum actus notionales in Deo voluntarii sint. Cui quæstioni ita respondere fas est :

1. Non sunt liberi eo sensu quod abesse potuissent ; a natura quippe divina absolute postulantur. Insuper si actus notionales sic voluntarii essent sicut voluntaria a nobis concipitur productio creaturarum, Filius et Spiritus S. ad rationem creaturarum redigerentur.

2. Juxta plures generatur Filius voluntate concomitante ; quia actus quo Pater generat Filium non est actus Patri ignotus, sed Pater illum cognoscit, vult et in eo complacet. — Juxta alios non adest in Patre nisi complacentia in actu quo Filium producit ; quia nulla admitti potest voluntas, etiam concomitans, ubi de primo intellectus actu agitur, sicut in Filii generatione fit.

3. Productio Spiritus S, a Patre et Filio fit per actum voluntatis antecedentis ; Spiritus S. enim procedit a voluntate, est amor Patris et Filii : porro quod procedit a voluntate supponit voluntatis antecedentis actum ; attamen ille actus nec liber est, nec Spiritu S. tempore prior.

§ II. De missionibus divinis.

59. Prænotanda. — I. *Missionis* nomine intelligitur *processio unius personæ ab alia cum novo modo existendi in alio.* Quæ definitio patet, quia in ratione missionis duo importari merito dicuntur, quorum unum est habitudo missi ad eum a quo mittitur ; aliud vero est habitudo missi ad terminum. Porro in divinis dari non potest habitudo unius personæ ad

aliam qua mitti dicatur nisi secundum processionem primæ a secunda; missio siquidem includit egressum missi a mittente, nec egreditur persona divina ab alia, nisi secundum processionem ab ea. Unde S. Augustinus (*de Trin.*, l. 4, c. 20) dixit : « Filius mittitur, non quia minor, sed quia emanatio quædam claritatis Dei sincera. » Pariter personæ divinæ competere nequit habitudo aliqua quæ sit missi ad terminum externum per mutationem locorum, quasi incipiat esse ubi non erat, sed per novum existendi modum in creatis : sicut Filius dicitur missus a Patre in mundum secundum quod incœpit in mundo esse novo modo per carnem assumptam, et tamen *in mundo erat*, ut ait S. Joannes initio Evangelii. Ergo recte in definitione dictum est : *Cum novo existendi modo in alio.*

Cæterum duplicem habitudinem, quam includit missio in divinis, egregie Christus declaravit (*Joan.*, XVI, 28) his verbis : « *Exivi a Patre*, et *veni in mundum.* » Nam exitus ille per divinam processionem fuit, ut exponit ibi S. Augustinus (Tract. 102), et S. Hilarius (*de Trinit.*, l. 9). Non tamen habuit rationem missionis, donec in tempore Filius venit in mundum ; et ob hanc causam missio *temporalis* dicenda est, quamvis includat processionem æternam, quia ex adepto termino *ad quem* suum habet effectum ; effectus autem ille temporalis est. Iterum cum hujusmodi effectus duplex esse possit, sensibilis unus, et alter spiritualis, ultro sequitur duplicem distingui missionem, visibilem scilicet et invisibilem (cf. Suarez, *de Trin.*; l. 12, c. 1).

60. — II. Quod autem alicui personæ ab alia mitti conveniat, Scriptura Sacra certissime constat ; legimus enim (*Joan.*, III, 17) : « Misit Deus Filium suum in mundum. » Item Christus (*Joan.*, VI) sæpius repetit se missum fuisse a Patre. De Spiritu autem sancto (*Joan.*, XIV, 26 ; XV, 26), ait : « Spiritus, quem Pater *mittet* in nomine meo... Paracletus » quem ego *mittam* vobis. »

61. — III. Ex his statim colligere est quænam personæ divinæ mitti possint, scilicet, Filius et Spiritus Sanctus ; quænam vero mittere possint alias vel aliam, nempe Pater, cui competit mittere Filium et Spiritum Sanctum ; et Filius, cui

una cum Patre competit mittere Spiritum Sanctum. — Quod autem ad Patrem spectat, eum mitti posse nunquam juxta S. Augustinum legitur in Scripturis, prorsusque obstat definitio missionis supra explicata, quæ processionem originis personæ a persona saltem tanquam conditionem exigit. Dicitur tamen Patrem *venire*, ut legimus (*Joan.*, XIV, 23) : « Ego » et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus; » venire enim propria sponte quis potest, non autem a seipso mitti. Nec alia ratione Pater dari dicitur, nisi quatenus ipse seipsum largitur.

Hinc etiam — 1. si quandoque in Scriptura sacra, vel apud SS. Patres quædam occurrunt, quæ innuere videantur Filium a Spiritu Sancto mitti, totamve Trinitatem mittere, intelligenda sunt de missione improprie dicta et inadæquata pro sola habitudine missi ad terminum, seu effectum ad quem mittitur, præcisa habitudine missi ad eum, a quo mittitur, quatenus scilicet Spiritui Sancto attribuitur ille effectus, vel a Trinitate tanquam causa efficiente provenit. Et sic Filius ac Spiritus Sanctus dici possunt se ipsos mittere.

Hinc — 2. dici nequit Spiritum Sanctum dari, mitti a ministro sacramentorum, tum quia principium Spiritus Sancti nullus homo esse potest, tum quia minister sacramenti solum se habet ut *applicans instrumentum*, quo Deus efficit gratiam, per quam venit in animam, tum quia nullam habet auctoritatem in personam missam aut datam; imo vero potius ipse mittitur a Spiritu Sancto, ut suum adventum in animam disponat medio alio a se præparato.

His præmissis, dicendum nobis venit — 1. de missione invisibili; — 2. de missione visibili.

I. *De missione invisibili.*

62. Cum, ex dictis, missionis invisibilis effectus sint spirituales, quæritur quænam supernaturalia bona animæ impertita missio invisibilis importet. Quid hac in re sentiendum sit declarabit sequens

Assertio : *Tunc datur missio invisibilis divinarum personarum, cum infunditur gratia sanctificans in anima; nec alia*

veri nominis datur missio præter illam infusionem gratiæ.

PROB. 1ª PARS, *dari* scilicet *missionem invisibilem, cum infunditur gratia sanctificans in anima,*

1. *Scriptura Sacra.* Huc enim adduci potest multiplex textus B. Pauli; sic (*Rom.*, v, 4) legimus : « Caritas Dei diffusa » est in cordibus nostris *per Spiritum Sanctum qui datus est* » *nobis.* » Item (VIII, 9-18), totus est Apostolus, ut describat justificationem animæ per inhabitationem Spiritus Sancti et ipsius Christi in anima. Quibus consonant quæ scribit idem (*Galat.*, IV, 6) : « Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii » sui in corda vestra clamantem : Abba (Pater); » nec non quæ leguntur (I *Cor.*, III, 16, 17, et VI, 19; et II *Cor.*, VII, 16, etc.) de inhabitatione Spiritus Sancti in fidelibus, quorum etiam membra asserit esse templum ejus.

Ex quibus absque ulla illatione patent hæc duo : — 1. Spiritum Sanctum vere nobis dari, vere mitti in corda nostra, ut *inhabitet*, ut *in nobis sit*, et quidem quatenus est a Patre et Filio; — 2. conjunctam esse communicationem gratiæ sanctificantis, qua justi filiique Dei et hæredes efficimur, cum illa præsentia et inhabitatione Spiritus Sancti in nobis. Ergo tunc datur missio invisibilis Spiritus Sancti, cum infunditur gratia sanctificans in anima. — Nec aliter dicendum est de Filii invisibili missione, cum Apostolus præsentiam et inhabitationem Christi secum afferentis gratiam sanctificantem non separat a præsentia et inhabitatione Spiritus Sancti in nobis, dicens : « Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est » ejus : si autem Christus in vobis est... » Porro Christus verus Dei Filius non est in nobis, nisi ut procedens a Patre, seu ab eo missus. Ergo.

2. *Traditione.* SS. enim Patres multa egregie dixerunt de communicatione gratiæ sanctificantis justis impertitæ per hanc missionem invisibilem Filii ac Spiritus Sancti, quos comitatur Pater. Ita S. Athanasius (I. Ep. *ad Serap.*, n. 30, 31) : « Gratia et donum, quod in Trinitate datur, datur a Patre *per Filium in Spiritu Sancto*... Hujus siquidem participes effecti habemus Patris caritatem, et Filii gratiam, et Spiritus communicationem. » Eadem docet S. Basilius (*de Spiritu Sancto*, c. 9.

n. 23) : « Animæ, quæ Spiritum in se habent illustrantur-que a Spiritu, fiunt et ipsæ spirituales, et in alios (suo modo) gratiam emittunt. » — Unde Theologi communiter post S. Thomam (1, q. 43, a. 3) asserunt missionem invisibilem fieri secundum donum gratiæ gratum facientis (Cf. Franzelin, *de Trin.*, sect. IV, Th. 43).

3. *Ratione.* Tunc persona divina mittitur, quando novo modo existit in alio : atqui per gratiam sanctificantem novo modo existit in homine; gratia enim sanctificans, cum sit communicatio naturæ divinæ homini facta, non potest esse sine novo modo existendi in eo personarum divinarum. Ergo.

PROB. 2ª PARS, nempe non *aliam dari missionem invisibilem personarum divinarum præter infusionem gratiæ sanctificantis*,

1. *Scriptura Sacra.* Enim vero testimonia supra allegata præsentiæ et inhabitationi personarum divinarum in anima hunc effectum adscribunt, ut anima sit justa et amicitiæ Dei particeps. Ergo ubi gratia sanctificans non infunditur, non inhabitant personæ divinæ; ergo non mittuntur invisibiliter. — Confirmatur his Christi (*Joan.*, XIV, 16) verbis jam citatis : « Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut ma-» neat in æternum : » atqui Spiritus Sanctus non manet nisi in justis et sanctificatis per gratiam, juxta illud (*Sap.*, I, 4) : « In malevolam non intrabit (Sapientia), nec inhabitabit in » corpore subdito peccatis; » et insuper (I *Joan.*, IV, 16) : « Qui » manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. » Ergo præter infusionem gratiæ sanctificantis non datur missio personæ divinæ.

2. *Traditione.* Huc etiam adduci possunt textus Patrum supra citati, qui haud obscure innuunt gratiæ santificantis infusionem formalem esse effectum inhabitationis Spiritus Sancti in anima. Unum tantum S. Basilii (*de Spir. Sanct.*, c. 26, n. 61, 63) addere juvat : « Gratia ab eo manans, dum Spiritus habitat in dignis et sua ibi operatur, recte dicitur inesse iis, qui Spiritus sunt capaces. » Ergo gratiæ productio et inhabitatio Spiritus Sancti in anima separari nequeunt; inhabitatio autem Spiritus Sancti terminus est missionis ejus. Ergo. — Nec aliter sentiunt omnes fere theologi.

3. *Ratione theol.* Communis modus, quo Deus est in omnibus, fit per immensitatem, scilicet per essentiam, præsentiam et potentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ejus. Super istum autem modum unus est specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante, quando scilicet creatura rationalis habet Deum invisibiliter sibi præsentem per gratiam et caritatem, et efficitur templum Dei atque habitaculum ejus : porro illud non fit nisi per gratiam sanctificantem, qua homo sic habet Deum, ut illo tanquam amico possesso uti et frui libere possit. Ergo.

63. Corollarium 1um. Ex his colligere est triplicem fieri in homine missionem invisibilem divinarum personarum; *primam*, in hominis justificatione, ut patet; *secundam*, in quolibet augmento gratiæ; quia sicut homo accipit novum gratiæ gradum, ita incipit persona divina esse in eo modo magis perfecto et intimo; *tertiam*, in beatitudine cœlesti, in qua Deus novo et speciali modo erit in anima per unionem suæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis; hæc enim beatitudo aliud non est nisi consummatio gratiæ sanctificantis, quæ, ut ait Angelicus Doctor, est inchoatio quædam gloriæ Dei in nobis.

64. Corollarium 2um. Colligere est etiam non fieri missionem invisibilem, quin tres personæ SS. Trinitatis animæ illabantur, Filius quidem et Spiritus Sanctus quatenus missi, Pater autem ut a seipso veniens, juxta illud Christi (*Joan.*, XIV, 23) : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater » meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud » eum faciemus. » Pater enim nonnisi a seipso venire potest, Filius vero ut a Patre procedens ac proinde ab eo missus. At Spiritus Sanctus ab utroque certe etiam mittitur, cum gratia per ipsum diffundatur in anima. Cæterum una cum Filio Spiritum Sanctum mitti probavimus ex Scriptura Sacra; nec ratio allegata in utraque assertionis parte dubitare sinit tres personas inseparabiles esse in missionibus invisibilibus, quamvis eodem titulo non veniant; homo siquidem naturæ divinæ per gratiam consors effici nequit, quin tres personæ divinæ, quæ

unam et eamdem numerice naturam habent, animam ita deificatam inhabitent.

Attamen, quamvis prædicta inhabitatio tribus personis communis sit, specialiter Spiritui Sancto tribuitur ea potissimum causa quod in charactere personali Spiritus Sancti peculiaris ratio adest talem inhabitationem exigens; quæ quidem ratio in charactere personali aliarum personarum non invenitur (Cf. Franzelin, thes. 47).

65. Corollarium 3um. Ergo per missionem invisibilem personæ divinæ non per dona creata tantum ab eis profecta, id est, per habitus infusos gratiæ et caritatis, sed *personaliter* ac *substantialiter* animæ præsentes sunt, adeo ut, si per impossibile non essent substantialiter ei per immensitatem præsentes, forent nihilominus ratione gratiæ sanctificantis.

Constat — 1. ex dictis de natura illius gratiæ, quam fusius in Tractatu *de gratia* explanabimus; — 2. ex textibus Scripturæ Sacræ in assertione allegatis, quibus clare exprimitur præsentia, inhabitatio personarum divinarum, ut causa donorum gratiæ; itemque ex illis aliis verbis B. Pauli (I *Cor.*, VI, 19), quæ subindicavimus : « Membra vestra templum sunt Spiritus » Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo. » Quæ quidem verba intelligi non possunt de donis creatis, sive quia de ipsa Spiritus Sancti persona sermo est, sive quia templum soli Deo dicatur, non donis creatis, quæ accidentia quædam sunt : unde solent communiter Patres ex his locis probare divinitatem Spiritus Sancti; — 3. ex eo quod, nisi personæ divinæ specialiter præsentes sint per substantiam ratione gratiæ sanctificantis, erunt tantum præsentes per immensitatem, quatenus nempe producerent aliquem effectum in anima; quod est contra rationem in secunda assertionis parte allegatam.

Nec dicatur sufficere illam præsentiam objectivam et moralem, qua cognitum est in cognoscente et amatum in amante; nam, ait S. Thomas (1, q. 43, a. 3), « per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quod libere non solum utatur ipso dono creato, sed ut ipsa persona fruatur, » ad quam habendam gratia disponit. Ergo vere dici potest, quod si per impossibile personæ divinæ substantialiter

præsentes non essent animæ justificatæ, forent nihilominus ratione gratiæ sanctificantis illi intime unitæ. Quæ tamen præsentia ac conjunctio concipienda est tantum ut relatio, *realis* quidem ex parte animæ, in qua scilicet aliquid reale ponit quo referatur ad divinas personas; *rationis* vero tantum, ex parte divinarum personarum, quæ nihil accipere possunt, et in suo esse immutabiliter perseverant. — Qui plura de missionibus divinis desideraverit quoad modum præsentiæ divinarum personarum in anima justa, nec non quoad specialem Spiritus Sancti inhabitationem, utilissime leget quæ scripsit Card. Franzelin (*de Deo Trino*, sect. 4).

II. *De missione visibili.*

66. — I. Missionis visibilis indoles. — Ea est missio visibilis, qua personæ procedentes *novo* simul ac *sensibili* modo suam in creatura præsentiam demonstrant, in ordine ad sanctificationem naturæ rationalis.

Ex qua definitione patet — 1. duo requiri ex parte *modi*, quo personæ divinæ procedentes suam præsentiam manifestant; *signum* nempe *sensibile*, quia, cum invisibiles sint, aliter manifestari visibiliter non possunt; signum *novum*, quod scilicet non sit res antea præexistens sub ea forma et modo quo apparet, sed res peculiari providentia ad illam manifestationem formata et consequenter etiam non durans nisi dum significat. Ratio est quia missio visibilis modo semper extraordinario ac inusitato efficitur, ac proinde fieri debet sub novo signo et ad hunc finem peculiariter facto. « Sic igitur apparet, inquit S. Thomas (1. q. 43, a. 7, ad 2), quod missio visibilis neque attenditur secundum visiones propheticas, quæ fuerunt imaginariæ et non corporales, neque secundum signa sacramentalia veteris et novi Testamenti, in quibus quædam res præexistentes assumuntur ad aliquid significandum; sed Spiritus Sanctus visibiliter dicitur esse missus, in quantum fuit monstratus in quibusdam, sicut in signis ad hoc specialiter factis. »

Ex parte autem *finis*, missio visibilis divinæ personæ respicit hominis sanctificationem, sed mediate tantum, saltem ordinarie, id est, per missionem invisibilem, cujus est manifes-

tatio. Omnis quippe missio est per novum existendi modum Dei in creaturis : atqui non datur novus ille modus, ut jam diximus, nisi secundum ordinem gratiæ gratum facientis; gratia vero confertur per missionem invisibilem. Ergo missio visibilis signum est missionis invisibilis; ergo ordinatur et ipsa ad sanctificationem.

67. — II. Missionis visibilis divisio. Duplex in genere distinguitur missio visibilis, una visibilis *substantialiter*, alia visibilis *repræsentative*. Prior est Verbi divini per Incarnationem, in qua Filius Dei ita missus est, ut non repræsentaretur per humanitatem, sed illi realiter, substantialiter ac personaliter uniretur : unde est ad subsistendum, non ad significandum. Posterior vero Spiritus sancti missio dicitur, quia signum productum personam ejus magis repræsentat et ei magis appropriatur : unde habitudinem ejus specialem ad effectum significatum importare videtur, licet revera tribus personis pertineat.

Hæc Sancti Spiritus missio duplex iterum distinguitur, alia pure *repræsentativa* seu notificativa missionis invisibilis jam factæ, alia autem non solum repræsentativa, sed etiam *effectiva* internæ sanctificationis, aut saltem ita eam repræsentans, ut productionem ejus actualem indicet. Utriusque exempla suppeditabunt quæ dicemus infra.

68. — III. Missionis visibilis convenientia. Quantum conveniat missio visibilis tum Filii, tum Spiritus Sancti, sic S. Thomas (1. q. 43, a. 7) perbelle exponit : « Dicendum quod Deus providet omnibus secundum uniuscujusque modum. Est autem modus connaturalis hominis, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur... et ideo invisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Sicut igitur seipsum Deus et processiones æternas personarum per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodam modo demonstravit; ita conveniens fuit ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur. Aliter tamen Filius et Spiritus Sanctus. Nam Spiritui Sancto, in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum; Filio autem, in quantum est Spiritus Sancti

principium, competit esse sanctificationis hujus auctorem, et ideo Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis indicium. »

69. — IV. Præcipuæ Spiritus Sancti missiones visibiles sic describuntur a S. Thoma (*loc. cit.*, ad 6) : « Specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum, ad Apostolos, et ad aliquos primitivos sanctos, in quibus Ecclesia fundabatur; ita tamen quod visibilis missio facta ad Christum demonstraret missionem invisibilem, non tunc, sed in principio suæ conceptionis ad eum factam.

« Facta est autem missio visibilis ad Christum, *in Baptismo* quidem sub specie columbæ, quæ est animal fecundum, ad ostendendam in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem. Unde vox Patris intonuit (*Matth.*, III, 17) : « *Hic* est *Filius meus dilectus,* » ut ad similitudinem unigeniti alii regenerentur. *In transfiguratione* vero, sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuberantiam doctrinæ. Unde dictum est (*Matth.*, XVII, 5) : « *Ipsum audite.* »

« Ad Apostolos autem sub specie flatus, ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione sacramentorum. Unde dictum est (*Joan.*, XX, 10) : « *Quorum remiseritis peccata, re-* » *mittuntur eis.* » Sed sub *linguis igneis*, ad ostendendum officium doctrinæ. Unde dicitur (*Act.*, II, 4) : « *Cœperunt loqui va-* » *riis linguis.* »

« Ad Patres autem Veteris Testamenti missio visibilis Spiritus Sancti fieri non debuit, quia prius debuit perfici missio visibilis Filii quam Spiritus Sancti ; cum Spiritus Sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem. Fuerunt tamen factæ visibiles apparitiones divinarum personarum Patribus Veteris Testamenti. Quæ quidem *missiones visibiles* dici non possunt; quia non fuerunt factæ ad designandam inhabitationem divinæ personæ per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum secundum Augustinum » (*de Trin.*, l. 2, c. 7).

§ III. De nominibus personarum divinarum.

70. Prænotanda. I. Nomina divinarum personarum sunt vel propria vel appropriata. — Nomen *proprium* est illud quod

uni personæ ita convenit, ut de altera minime prædicari possit. Dicitur etiam *notionale*, quia refertur ad notiones, de quibus supra dictum fuit. — Nomen *appropriatum* illud est quod, licet realiter tribus personis commune sit, tamen propter quamdam relationem cum charactere personali seu notionali uni personæ præ cæteris tribuitur.

71. — II. Quod autem legitime fiat hujusmodi appropriatio, patet — tum ex *Scriptura*, in qua divinæ personæ frequenter distinguuntur prædicatis absolutis, non sane velut propriis cum sint tribus personis communia, sed prout designant characterem personalem singulis proprium. Sic (I *Cor.*, XII, 4 et seq.) dicitur : « Divisiones gratiarum sunt, idem autem *Spiritus*; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus (Filius); et divisiones operationum sunt, idem vero Deus (Pater), qui operatur omnia in omnibus; » — tum ex *modo loquendi SS. Patrum*, qui etiam haud raro appropriatione utuntur, v. g., quando sermonem habentes de creatione angelorum et hominum Patri consilium, voluntatem aut imperium operis, Filio exsecutionem, Spiritui Sancto perfectionem, quæ est in sanctificatione, tribuunt (Cf. Franzelin, *De Deo Trino*, th. 13); — tum *ratione;* nam, ut ait S. Thomas (1, q. 39, a. 7), « licet trinitas personarum demonstratione probari non possit (ut supra dictum est), convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declaretur. Essentialia vero attributa sunt nobis magis manifesta, quam propria personarum; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum, ut supra dictum est. Sicut igitur similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita et essentialibus attributis : et hæc manifestatio personarum per essentialia attributa appropriatio nominatur. »

His præmissis, breviter dicendum superest de nominibus sive propriis, sive appropriatis singularum SS. Trinitatis personarum. Itaque

I. *De nominibus primæ personæ.*

72. — I. Tria sunt nomina primæ personæ propria, nempe : *Pater, ingenitus* seu innascibilis, improductibilis, *et principium* seu *fons totius Trinitatis.*

Hujus enuntiati veritas ex dictis facile eruitur; sola enim prima persona est *Pater*, quia sola generat Filium; est *ingenita* vel *innascibilis*, vel *improductibilis*, quia a nullo procedit; est *principium* seu *fons totius Trinitatis*, quia ab illa procedunt Filius et Spiritus S. Unde Filius dici quidem potest principium Spiritus S., non autem totius Trinitatis, quia Pater ex eo non procedit.

Quærunt auctores an Pater dici possit *auctor* et *causa* Filii et Spiritus S., et respondent negative, saltem juxta sensum latinæ linguæ; ratio est quia voces illæ *auctor*, *causa*, juxta sermonem latinum, important diversitatem naturæ et dependentiam unius ab alio : quæ inter personas divinas admitti nequeunt. — Diximus, *apud latinos*, eo quod illæ voces in græca lingua non videantur aliud sonare ac principium, uti Cardinalis Bessarion in concilio Florentino adnotavit.

Deus dici nequit creaturarum Pater secundum perfectam rei rationem, cum non sit una natura creatoris et creaturæ, sed secundum aliquam similitudinem, quæ quanto perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem.

73. — II. Primæ Personæ per appropriationem tribuuntur *creatio, omnipotentia, æternitas.*

Ratio est quod, quamvis hæc omnia tribus SS. Trinitatis personis æque conveniant, attamen cum Patre, qui est totius Trinitatis fons ac principium, relationem quamdam specialem videntur habere, et ideo ipsi congruenter tribuuntur (Cf. S. Thomas, 1. q. 39, a. 8).

II. *De nominibus secundæ personæ.*

74. — I. Tria sunt nomina secundæ personæ propria, nimirum : *Filius, imago Patris*, et *Verbum.*

1. *Filius;* sola enim secunda persona per generationem procedit, et in Scriptura frequentissime hoc nomine designa-

tur; quo nimirum ejus relatio ad Patrem optime exprimitur.

2. *Imago Patris*, juxta hæc Apostoli verba : « Qui est *imago* » Dei invisibilis » (*Col.*, I, 15). Ratio est quia natura, vi generationis, generantis imaginem producit; ergo cum secunda persona per generationem procedat, *Patris imago* recte vocatur. — Ad imaginem refertur *splendor*, juxta hæc verba Apostoli : « Cum sit *splendor gloriæ* et *figura substantiæ* ejus » (*Heb.*, I, 3).

3. *Verbum*, dicente S. Joanne : « Et *Verbum* caro factum est » (I, 14); quæ denominatio ex verbo humano depromitur; namque sicut in humanis *verbum* internum vocamus hunc secretissimum sermonem, hanc cogitationem scilicet, qua mens omnia et seipsam repræsentat ac cognoscit; ita *Verbum* dicimus Filium Dei, quia est terminus substantialis divinæ intelligentiæ, imago et repræsentatio vivens, in qua Pater seipsum et omnia videt (Cf. S. Thomas, *Comment. in S. Joan.*, c. 1, sect. 1).

75. — II. Secundæ personæ per appropriationem tribuuntur *sapientia* variaque *sapientiæ opera*.

Sic Apostolus (I *Cor.*, I, 24) Christum nominat *Dei sapientiam*. Nec mirum : « Sapientia enim, inquit S. Thomas (1. q. 39, a. 8) similitudinem habet cum Filio cœlesti, in quantum est Verbum, quod nihil aliud est quam conceptus sapientiæ. Unde Pater cuncta creasse per Verbum suum seu sapientiam æternam dicitur.

III. *De nominibus tertiæ personæ.*

76. — I. Tria sunt nomina tertiæ Personæ SS. Trinitatis propria, scilicet : *Spiritus Sanctus*, *donum* et *amor*.

1. *Spiritus Sanctus* est tertiæ personæ nomen proprium, non quidem quia est immaterialis et omnis impuritatis expers, hæc etenim toti Trinitati competunt; sed, ut jam innuimus, quia est *sancte spirata*, et quidem per voluntatem, a qua est omnis sanctitas.

2. *Donum* quoque appellatur eadem persona; ratio est quia Pater et Filius sibi invicem dant affectionem et nihil magis est donum quam amor, ut ait Suaresius (l. 2, c. 4). — Nec

dicatur *Filium* etiam *dari*; datur quidem Filius; sed non velut terminus amoris, quo se mutuo cum Patre diligit.

3. *Amor* denique dicitur tertia persona, quia est terminus subsistens ac personalis mutui amoris Patris et Filii; imo ipse amor personaliter subsistens.

77. — II. Tertiæ personæ per appropriationem tribuuntur omnia opera *bonitatis, caritatis* et *misericordiæ*, et imprimis *sanctificatio* hominum.

Congruit namque ut divinæ caritatis et misericordiæ effectus ei personæ attribuantur, quæ ex perfectissima caritate procedit; unde Apostolus ait : « Caritas Dei diffusa est in cor» dibus nostris per Spiritum Sanctum » (*Rom.*, v, 5). — Hinc Spiritus Sanctus recte vocatur *Paraclitus*, id est, *consolator*; consolatur enim nos per dona gratiæ quibus nos cumulat.

78. Scholium *Traduntur regulæ ad recte loquendum de mysterio SS. Trinitatis.* — Certum est imprimis omnia vocabula, omnesque loquendi modos adhiberi posse, quæ et naturæ unitatem et personarum trinitatem sedulo servant, vel indicant; quidquid autem huic naturæ unitati, et illi personarum trinitati vel minimum officit, respuendum esse. Patet istud principium. — Exinde vero sequentes regulæ defluunt :

Regula I. *Nomina substantiva, utpote quæ divinam naturam, vel attributa Dei absoluta significant, prædicari debent duntaxat in singulari numero.* Hæc regula videtur omnino aperta. Sic dicitur : tres personæ SS. Trinitatis sunt *Deus, creator, dominator;*... non autem : tres personæ SS. Trinitatis sunt *dii, creatores, dominatores*, quia posterior ille loquendi modus divinam substantiam divideret, ac multiplicaret. Pari ratione dici nequit : *Tres* sunt *omnipotentiæ, sapientiæ, bonitates*, quia attributa absoluta sicut natura non multiplicantur in Deo, sed sunt eadem in singulis personis.

Regula II. *Nomina adjectiva quæ personas directe attingunt, et indirecte tantum ad naturam referuntur, in numero plurali adhiberi possunt.* — Sic recte dicitur : *tres* sunt personæ *æternæ, omnipotentes, immensæ*, quia revera æternus est Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, et illa nomina adjectiva sic enuntiata directe ad personas referuntur, et tres

sunt in Deo realiter personæ. — Nec obstat quod in Symbolo Athanasiano reperitur : « Non *tres æterni*, sed unus æternus; non *tres omnipotentes*, sed unus omnipotens. » Nam in hoc loco hæc nomina *æterni*, *omnipotentes* non adjective, sed substantialiter assumuntur, et ideo directe ad naturam, quam sic multiplicant, referri debent.

Regula III. *Voces, quæ exprimunt res vel operationes proprias personis, quæ designant personarum originem aut relationes, quæ significant activam vel passivam in Deo productionem, possunt de personis vel de Deo prædicari, non autem de natura divina.* — Sic recte dicitur : *Deus* generat, et generatur, *Deus* producit et producitur, *Deus* spirat et spiratur, quia vox ista *Deus* non sumitur *absolute*, quatenus divinam naturam directe significat, sed *relative*, quatenus unam e personis divinis, quæ vere Deus est, directe designat. Infauste autem diceretur : *Essentia divina generat et generatur, spirat et spiratur;* hoc enim loquendi modo indicaretur multiplicem esse in Deo naturam, unam scilicet quæ spirat, et alteram quæ spiratur; quod falsum est; et idcirco concilium Lateranense IV ait : « *Natura divina* non est *generans*, nec *genita*, nec *producens*. »

Hinc — 1. recte dicitur : *Deus est trinus; in Deo est trinitas*, quia hæc, juxta significationem in Ecclesia consuetam, ad personas directe referuntur. At dici non posset : Deus est *triplex*, *multiplex*, in Deo est *triplicitas*; nam hæc referuntur ad naturam divinam, quæ singulari numero exprimi debet.

Hinc — 2. recte dicitur : *alius* Pater, *alius* Filius, *alius* Spiritus Sanctus, non autem *aliud* Pater..., quia vox *alius* directe personam, vox autem *aliud* naturam directe significat. Pari ratione dici potest : Pater est *unum* cum Spiritu Sancto et Filio; quia hi tres unam et eamdem habent naturam; male autem diceretur : Pater est *unus* cum Filio et Spiritu Sancto, quia hæc propositio sic esset intelligenda : Pater est *unus*, id est, una persona cum Filio..., quod hæreticum est.

Hinc — 3. erroneæ sunt illæ propositiones : Deus est *singularis*, *solitarius*, *unicus*; illis quippe personarum trinitas excluditur; sed merito pronuntiatur : Deus est *unus*, eo quod hæc unitas ad naturam directe refertur.

Hinc — 4. recte dicitur : Tres personæ sunt a se invicem *distinctæ*, non vero *diversæ;* hæc enim ultima vox multiplicitatem naturæ ostenderet. Pariter dicitur illas tres personas esse *unius* substantiæ, non autem similis substantiæ, quia similitudo multiplicitatem declarat.

Sed hæc sufficiant de mysterio SS. Trinitatis, cui gloria, et honor, et benedictio in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS

DE DEO CREATORE

NOTIONES PRÆVIÆ.

Quo huic tractationi expeditior via sternatur, quædam pro more solito præmittemus : — 1. de ejus objecto ; — 2. de duplici statu in quo constitui possunt creaturæ intellectuales ; — 3. de utilitate et ordine dicendorum.

I. *De objecto tractatus.*

1. In præcedenti de Trinitate tractatu processiones divinarum personarum *ad intra* expendimus ; ut igitur cœptum opus prosequamur, disserendum nobis est de processione creaturarum ad extra. Jam vero processio hæc duplex distinguitur, *activa* nempe et *passiva* ; prior, quæ se habet ex parte principii seu causæ, non alia est ac creatrix Dei actio ; posterior, quæ ex parte termini seu effectus spectatur, ipsæ sunt creaturæ productæ. Porro de actione creatrice, quæ simpliciter dicitur *creatio*, sufficienter agit philosophia christiana, quæ, etsi lumine naturali præsertim innitatur, præviam tamen fidei lucem in obscuris rectricem et adjutricem sequitur. Quod insuper attinet ad creaturas, de mundo materiali et homine multas etiam philosophia christiana agitat quæstiones. Nihil ergo dicendum ducimus sive de creatione, sive de creaturis mere materialibus ; sed pro operis scopo et brevitate tractationem tantum instituimus de Angelis, quos sola fides existere certo nos edocet, atque de homine, qui et ipse in multis maximi momenti ex revelationis duntaxat lumine sibi inno-

tescit. Sed antequam incipiamus, quædam adhuc præmittenda sunt, nempe :

II. *De duplici statu in quo angelus et homo constitui possunt.*

2. — I. Status in genere notio. Nomine status intelligitur *certa conditio seu certus modus se habendi naturæ intellectualis in ordine ad finem ultimum secundum divinæ providentiæ legem.* Complectitur ergo legem et ordinationem Dei ad finem ultimum, media omnia quibus creatura intellectualis disponitur ac juvatur ad illum finem assequendum, et obstacula denique quibus ab ejusdem assecutione impediri potest. Unde non immerito ab auctoribus status sumitur pro *ordine*, cujus hæc est ratio ut sit *apta dispositio mediorum ad finem.*

3. — II. Status divisio. Duplici autem modo potest generatim se habere natura intellectualis ad finem suum; vel enim ad eum assequendum tendit, vel eo jam adepto fruitur. Hinc prima status divisio in *statum viæ*, et *statum termini.*

Sed alia maximi momenti prôfertur; status enim seu ordo adæquate sumptus in *naturalem* ac *supernaturalem* dividitur. Quæ quidem divisio ut recte intelligatur, accuratam utriusque vocis præexigit explanationem.

Porro hic nomine *naturæ* significatur essentia physica rei, prouti est *principium primum operationum passionumque substantiæ.* — Naturale autem dicitur non solum quidquid pertinet ut pars ad ipsam rei essentiam, v. g., corpus et anima in homine; sed etiam quod ab essentia vel ex principiis substantiæ dimanat, v. g., facultates animæ, intellectus, voluntas, memoria; imo quod a natura exigitur ut bene sit aut secundum merita sua persona præmium accipiat, v. g., concursus ad agendum secundum insitas vires, finis proportionati assignatio et concessio merentibus. Quæ quidem omnia a Deo creaturæ deberi non semel dicuntur, in eo nimirum sensu quod, posita voluntate eam e nihilo educendi et ad ipsum ordinandi, non potuerit Deus sine contradictione hæc ei denegare adeoque largiri debuerit. Naturale igitur definiri potest *quod naturæ vel personæ eam terminanti debitum est*, vel etiam *quod est*

secundum constitutionem, facultates et exigentias naturæ meritumque personæ.

Supernaturale vero, si sumatur prout contradistinguitur a *naturali* supra definito, intelligitur *illud quod superat constitutionem, vires et exigentias naturæ meritumque personæ;* seu, *quod naturæ ac personæ indebitum est.* In hac tamen notione, vox *supra* intelligenda non est in eo sensu quod naturale inter et supernaturale intercedat repugnantia aut oppositio : alioquin supernaturale idem esset ac contranaturale; sed in eo sensu sumenda est quod sit perfectio, quam natura propriis suis viribus attingere nequit, nec ulla ratione exigere potest, ut perfectionem omnem acquirat quam fert ipsius conceptus. Hæc vero perfectio concedi potest a Deo; et si concedatur, mirum in modum naturam perficit et exornat : quo in sensu dici potest naturalis, quia naturæ consentanea est. Sic gratia sanctificans, etsi naturam humanam et angelicam excedat ex omni parte, utramque tamen perficiendo extollit et ad Deum ipsum evehit, ut in Tractatu *de Gratia* demonstrabimus.

Hæc *supernaturalis* perfectionis notio clarius adhuc patebit, si attendamus medium quoddam dari posse naturale inter ac supernaturale, quod præternaturale communiter nuncupatur. Porro *præternaturalis* nomine intelliguntur bona quædam, quæ naturæ quidem nullo titulo debentur; sed, si ex libera Dei benignitate eidem adjunguntur, eam intra limites perfectibilitatis quam fert ipsius conceptus multum augent, vel etiam complent. Ejusmodi donum, v. g., erat donum immortalitatis protoparentibus concessum. Hoc certe donum humana natura non exigit; attamen, cum vita, cujus continuatio est ipsa hæc immortalitas, radicem quamdam habeat in illa natura, eam intra limites suas perficit atque complet, et sub hoc respectu naturale bonum est. Participant igitur hujusmodi dona de naturali ac supernaturali, et propterea præternaturalia convenienter nuncupata sunt. Quod si quandoque supernaturalia vocantur, nonnisi in sensu lato hoc nomine donantur.

Supernaturale stricte dictum duplex distinguitur, *relativum* scilicet et *absolutum*. — *Relativum*, cujus plures sunt gradus, illud est quod superat vires et exigentias vel unius naturæ, vel

plurium naturarum, vel omnium naturarum creatarum, sed non creabilium ; sic angelica cognitio homini supernaturalis dici potest, angelorumque superiorum cognitio inferiorum cognitionem transcendit. — Supernaturale *absolutum* illud est quod in se vires et exigentias excedit naturarum intellectualium tum creatarum cum creabilium. Quæ quidem definitio statim innuit supernaturale absolutum reponendum esse in eximia quadam cum Deo conjunctione ac unione, qua natura intellectualis divinæ naturæ consors efficitur. Vix enim quid aliud concipitur quod naturam intellectualem quamlibet omnino transcendat ; creabilis siquidem natura intellectualis, si divinæ naturæ consortium excipiatur, cum finita necessario concipiatur, nunquam hunc perfectionis apicem assequi poterit quo major cogitari nequit : nec unquam aliunde in suo conceptu habere poterit ut exigat prædictum naturæ divinæ consortium, ad quod ex se nullam habet proportionem.

His explanatis, *status naturalis* dicitur ille in quo natura intellectualis ad finem naturalem per media naturalia juxta divinæ providentæ legem ordinatur. Status vero *supernaturalis* ille est in quo natura intellectualis elevata seu esse supernaturali donata ad finem supernaturalem per media supernaturalia assequendum juxta divinæ providentiæ legem ordinatur. Ex quibus patet — 1. in omni statu seu ordine finem naturæ conditioni, media vero fini proportionari, ac proinde ex fine præcipue desumi rationem status seu ordinis. — 2. Statum seu ordinem in suo exercitio spectatum tria complecti, naturæ scilicet convenientem constitutionem vel indebitam elevationem, probationem seu mediorum usum, ultimamque sortem, quæ vel in consecutione vel in amissione ultimi finis consistit, sub directione suprema divinæ providentiæ, cujus lex naturalis aut supernaturalis nuncupatur, prout statum naturalem aut supernaturalem regit.

4. — **III. Utriusque status naturalis et supernaturalis propria indoles.** Hic est duplex status in quo angelum et hominem constitutos fuisse fingi potest : prior quidem resultat ex conditione intrinseca intellectualis naturæ, posterior vero ex gratuito Dei provenit beneficio ; non ita tamen ut unus

alteri successerit, sed ea lege, ut, dato posteriore statu, prior ei subordinatus fuerit, nec potuerit ejus finis in æternum obtineri, quin posterioris possideretur finis, adeoque unus sit tantum angeli vel hominis finis vere ultimus.

Itaque, si in concreto res spectentur, data hypothesi status mere naturalis pro homine, hic finis ei fuisset, quem natura rationalis creaturæ exposcebat : cognitio nempe Dei supremæ veritatis et amor Dei summe boni. Unde inclinationi intellectus ad verum et voluntatis ad bonum plene satisfactum fuisset, atque ideo homo fruitione Dei beari debuisset; sed cognitione Dei abstractiva tantum quæ habetur per speculum creaturarum gavisus esset, nec amor ejus aliud bonum objectum habuisset nisi ab intellectu propositum. Quem quidem finem ut obtineret homo, media habuisset tum voluntatis suæ vires, tum auxilia connaturalia a Deo impertita ut actus bonos eliceret finemque mereretur. — Dato vero statu supernaturali, in quo revera constitutus est, ad visionem Dei intuitivam amoremque beatificum destinatus est, quæ supra vires et exigentias sunt tum intellectus tum voluntatis naturalis. Consequenter, ut finem illum omnino supernaturalem obtineret, gratia sanctificante donatus est, qua natura ejus ad esse supernaturale elevata virtutes et dona accepit, quibus veluti facultatibus supernaturalibus uti potest; nec defuerunt auxilia supernaturalia, gratiæ scilicet actuales, quarum adjutorio opera bona peragere potest atque æternam beatitudinem mereri.

Quæ autem de homine in antecessum præmittimus, pari jure de Angelo dici possunt, cujus finis, elevatio et media eadem omnino sunt. Habenda est tamen quod attinet ad statum naturalem, discriminis ratio quod inter utriusque naturam intercedit.

III. *De utilitate et ordine dicendorum.*

5. — **I. Utilitas.** Maximam esse utilitatem dicendorum ex eo statim colligere est quod plurimi nostra intersit ea quæ Deus operatus est cognoscere, tum ut illi debitam gloriam persolvamus; tum ut opportune creaturarum præsertim intellectualium opera et adjutorio utamur, quibus non ratione tantum

naturæ, sed etiam finis consortio copulati sumus; tum ut eis resistere edoceamur, quæ nos secum præcipites in æternam calamitatem abducere tentant; tum præsertim ut benignitatis Dei erga nos et illius qua donati sumus dignitatis intime conscii, ad propositum supernaturalem finem omni ope atque studio pervenire contendamus.

6. — II. Ordo tractatus. Quæ de objecto tractatus modo diximus, satis indicant duplicem expostulari partem; unam scilicet de Angelis, alteram vero de homine.

PARS I.

DE ANGELIS.

7. Angelorum notio. *Angelus,* juxta vim nominis, idem sonat ac *nuntius;* est proinde nomen officii, non naturæ. Attamen, quia ministerium nuntiandi communiter spiritibus cœlestibus a Deo committitur, usu receptum est ut hoc nomen usurpetur ad significandas illas spirituales substantias hominibus superiores. Cum vero inter illas diversi ordines sint, quandoque significat eos qui sunt in infimo ordine, quandoque generaliter omnes qui continentur variis ordinibus.

Angeli itaque recte definiuntur : *Substantiæ spirituales,* seu *spiritus creati subsistentes absque corpore, quod informent* : quibus verbis exprimitur tum genus proximum, quando nempe dicuntur angeli *spiritus* ipsisque tribuitur natura spiritualis, quam communem habent cum Deo et anima humana, tum differentia specifica, cum additur ipsos *creatos* esse et subsistere *absque corpore, quod informent.* Apud scholasticos dicuntur *intelligentiæ* et *formæ separatæ,* scilicet a materia, ad differentiam animæ humanæ, quæ, licet spiritualis, nata est informare corpus, sine quo incompleta est.

8. Ordo dicendorum. Quæ de Angelis tractari solent quadru-

plici capite absolvemus, disserendo videlicet : — 1. de Angelorum existentia; — 2. de potentiis Angelorum ; — 3. de supernaturali Angelorum statu; — 4. de Angelorum ad invicem et ad homines habitudine.

CAPUT I.

DE ANGELORUM EXISTENTIA.

Tria expendemus : — 1. utrum conveniens fuerit Angelos a Deo creari ; — 2. utrum revera existant Angeli; — 3. quomodo Angeli ab invicem distinguantur. Hinc triplex paragraphus.

§ I. Utrum conveniens fuerit angelos a Deo creari?

9. Angelos existere sola fides certo nos edocet; sed tamen, antequam ad argumenta ex revelatione deprompta recurramus, abs re non erit rationis ope inquirere an conveniens fuerit Angelos a Deo creari, quo inde magis ac magis eluceat Dei sapientia, atque adeo demonstranda veritas persuadeatur. Sit ergo sequens

Assertio. *Sapientiæ Dei congruebat Angelos creari.*

Enim vero Angelos esse exigere videntur ordo rerum, perfectio universi et gloria Dei.

Et quidem — 1. *ordo rerum*. Nam in hoc maxime apparet ordo ille, quod entia creata sibi invicem veluti superponantur, juxta constantem continuitatis legem, ita ut, nova superaddita perfectione, superiora magis ac magis ad Deum accedere videantur : unde creaturæ inveniuntur quibus competit solum esse, ut lapides; aliæ, quæ sunt simul et vivunt, ut plantæ; aliæ, quæ sunt, vivunt et sentiunt, ut animalia; homines denique, quibus esse, vivere ac sentire cum aliis commune quidem est, intelligere vero proprium : atqui, si lex præfata eo tantum modo a Deo observata fuisset, ut in homine series entium clauderetur, deordinatio exinde merito judicaretur adesse, quod

nimium Deum inter et hominem intervallum argueret entis alicujus immaterialis absentia; Deus enim purissimus est spiritus. Ergo dari Angelos seu Spiritus immateriales exigit ordo rerum. — Quæ quidem conclusio ex eo confirmatur, quod, attento conceptu divino rerum, qualis ex inspectione creaturarum manifestatur, homo corpore et anima constans nexus sit mundum materialem inter et spiritualem. Jam vero immerito hujusmodi nexus homo diceretur, si, quemadmodum infra ipsum dantur creaturæ mere materiales, ita et supra eum non starent creaturæ mere spirituales variis classibus distinctæ. Ergo.

2. *Perfectio universi.* Hanc rationem sic evolvit S. Thomas (1. q. 50, a. 1): « Necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim quod præcipue in rebus creatis Deus intendit est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum. Perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum. Deus autem producit creaturam per intellectum et voluntatem, ut supra ostensum est. Unde ad perfectionem universi requiritur, quod sint aliquæ creaturæ intellectuales. »

Nec objiciatur animam humanam intellectu et voluntate gaudere : nam, præter quam anima humana pure intellectualis non est, sed rationalis, corpori etiam alligata est, et in cogitatione a sensibus etiam pendet, nec ideo perfecte assimilatur Deo, qui est corporis expers, nec pendet a sensibus. Unde assimilatio perfecta ad Deum in solis substantiis intellectualibus ac mere spiritualibus invenitur : Ergo perfectio universi exigebat esse Angelos. — Conferatur etiam S. Thomas (*Contra Gent.*, l. 2, c. 46), ubi idem argumentum fusius evolvitur.

3. *Gloria Dei.* Omnia ad suam gloriam creavit Deus, ideoque hominem intellectu ac voluntate prædituin in hoc adspectabili mundo collocavit, ut præstantissima ipsius opera contemplaretur gloriamque celebraret. Jam vero hominem intellectu valde limitatum et a sensibus in intelligendo pendentem multa fugiunt sive in terra, sive in cœlo sidereo, sive præsertim in

rerum nexu. Imperfectam igitur omnino laudem ac gloriam ab eo reportet Deus prorsus necesse est. Propterea, ut respondentem operibus suis gloriam acciperet, perfectiores creare debuit spiritus, qui acutissimo intellectu pollentes abditissima quæque naturæ visibilis arcana penetrarent, claramque vere laudem cum notitia ei persolverent. Hujusmodi autem spiritus Angeli sunt, materiæ conditionibus in intelligendo nullatenus obnoxii. Ergo convenientissimum fuit creari Angelos.

§ II. Utrum existant angeli?

10. Angelorum existentiam denegarunt Sadducæi qui dicebant « non esse resurrectionem, neque Angelum neque spiritum » (*Act.*, XXIII, 8). — Contra quos sit sequens

Assertio. *Existunt Angeli.*

PROB. 1. *Scriptura S.* quæ innumeris in locis de Angelis sermonem facit, et eorum verba atque actiones refert; sic Angelus loquitur Jacobo, cum illo luctatur, necat Ægyptiorum primogenitos, centum octoginta quinque millia militum ex Sennacherib exercitu una nocte interficit. — Nec tantum in Veteri Testamento, sed etiam in periodo christiana multæ Angelorum apparitiones commemorantur, uti videre est apud Knoll (*De Angelis*, § 135). — Et vero nomine Angeli intelligimus substantiam creatam, spiritualem et intellectualem, hominibus superiorem; atqui certo constat dari hujusmodi substantias, nempe quæ sint — 1. *spirituales* simul et *creatæ*, dicente Psalmista (*Ps.* CIII) : « Qui facis Angelos tuos *spiritus*, » quo loco utitur Apostolus (*Hebr.*, I), ad probandam superioritatem Christi supra Angelos; — 2. *Intellectuales*, juxta hæc Christi verba : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui » in cœlis est » (*Matth.*, XVIII, 10); et in Dan. (VIII, 16) dicitur : « Gabriel fac intelligere istam visionem. » — 3. *Superiores hominibus*, dicente propheta de Christo homine : « Minuisti eum paulo minus ab Angelis » (*Ps.* VIII, 6; *Hebr.*, II, 7), et S. Petro (II *ep.*, II, 11) : « Angeli fortitudine et virtute cum » sint majores. »

PROB. 2. *Traditione* quæ quidem nobis innotescit

1. *Ex SS Patribus;* S. Aug. (*loc. citat.*) ait : « Angelos novi-

mus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. » — S. Gregorius : « Esse Angelos et Archangelos pene omnes sacri eloquii paginæ testantur » (Hom. 34 *in Evang.*, n. 7);

2. *Ex Concilio Lateranensi IV* dicente : « Firmiter credimus quod Deus... simul utramque de nihilo condidit creaturam, *spiritualem* et corpoream, *angelicam* videlicet et mundanam. » — Consonat Concil. Vatic. (Const. *de Fide*, c. 1).

3, *Ex praxi totius Ecclesiæ*, quæ Angelos beatos, ut personas natura valde excellentes, veneratur et invocat; tanquam Dei ministros et hominum custodes, beatifica Dei visione fruentes, colit; quæ angelos malos pertimescit et detestatur, illosque a fidelibus pro viribus amovet.

Ecclesiæ doctrinæ concordat omnium fere populorum consensus; nullus est enim pene populus qui, præter Deum, genios quosdam vel dæmones non agnoscat.

11. Quæritur 1. *Utrum Angeli sint prorsus immateriales.*

Resp. *Affirmative*, et probatur

1. *Scriptura Sacra*, in qua Angeli passim vocantur *spiritus* : « *Spiritus* vobis subjiciuntur » (*Luc.*, x, 20). — « Omnes sunt » administratorii *spiritus* » (*Heb.*, i, 14). — « Septem lampades » ardentes ante thronum, qui sunt septem *spiritus* Dei » (*Apoc.*, iv, 5). Nomen autem *spiritus*, dum in Scriptura enti intelligenti tribuitur, significat substantiam incorpoream, ut patet ex *Luc.* : « *Spiritus* carnem et ossa non habet » (xxiv, 39). — « *Spiritus* est Deus » (*Joan.*, iv, 24).

2. *Traditione*, nempe — tum *ex SS. Patribus*, qui asserunt aut supponunt Angelos esse creaturas « incorporeas, materiæ expertes et ab omni parte puros spiritus. » Ita SS. Gregor. Thaum., Eusebius Cæsaraug., S. Greg. Nyss.; — tum ex *Conc. Lateran.* IV (c. *Firmiter*) dicente : « Unus solus est verus Deus... creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui... utramque de nihilo condidit creaturam, *spiritualem* et corporalem, *angelicam* videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem, ex spiritu et corpore constitutam. » Ibi Concilium declarat Deum condidisse triplicem naturam, corpoream scilicet quæ est mundana,

spiritualem, quæ est angelica, et mixtam ex corpore et spiritu, quæ est humana; manifeste autem naturam angelicam opponit tum naturæ corporali seu mundanæ, tum humanæ ex spiritu et corpore constitutæ. Ergo ex Concilio natura angelica diversa est a substantia pure corporea, et a mixta ex corpore et spiritu constanti, ideoque omnino incorporea est. — Neque tamen constat inter doctores an sit de fide catholica Angelos esse prorsus incorporeos. At, fatentibus omnibus, non nisi cum maxima temeritate hæc spiritualitas perfecta in dubium revocaretur.

3. *Ratione*; nam operatio cujuscumque rei est secundum modum substantiæ ejus; est quippe operatio actus substantiæ operantis : atqui operatio propria Angeli, intelligere videlicet, est omnino immaterialis, si quidem eatenus aliquid intelligitur quatenus a materia abstrahitur. — Præterea nedum sit de ratione substantiæ intellectualis in quantum hujusmodi, quod ad materiam naturaliter ordinetur, id e contra accidit alicui substantiæ intellectuali propter aliquid aliud, sicut animæ humanæ competit uniri corpori, quia est imperfecta in genere intellectualium substantiarum, non habens in sua natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporeos a sensibilibus rebus : atqui Angeli sunt substantiæ intellectuales completæ et perfectæ in genere intellectualium substantiarum, non indigentes phantasmatibus et speciebus a sensibilibus haustis. Ergo. — Adde nullam fore differentiam Angelos inter et homines, et a fortiori e medio tolli naturæ angelicæ supra humanam superioritatem, si Angeli ad intelligendum corpore et sensuum adminiculo indigerent. Ergo.

Hinc patet — 1. Angelos immateriales et incorporeos esse tum eo sensu, quod non componuntur materia et forma, tum eo sensu quod non sunt forma corporis, tum denique eo sensu quod corpore non indigent tanquam instrumento ad suas operationes exercendas (Cf. Suarez, l. 1, c. 5, 6).

Attamen licet Angeli ab omni materia expertes sint, nullumque ad corpus sibi naturaliter uniendum ordinem dicant, non ideo dicendi sunt ab omni prorsus compositione immunes; componuntur quippe, secus ac Deus, non tantum ex genere

et differentia, sed etiam ex potentia et actu; Angelus enim non est actus purus et suum esse; sed essentia ejus est in potentia ad actum, suumque esse seu existere a Deo habet,

Hinc patet — 2. Angelos non solum ex gratia, sed etiam ex natura incorruptibiles seu ab intrinseco immortales esse; ratio est, juxta Angelicum Doctorem (1. q. 50, a. 5) : « Quia nihil corrumpitur, nisi per hoc, quod forma ejus a materia separetur. Unde cum Angelus sit ipsa forma subsistens, ut ex dictis patet, impossibile est quod ejus substantia sit corruptibilis. »

12. Quæritur 2. *Quandonam Angeli creati fuerint.*

Resp. Doctores græci cum S. Gregorio Nazianzeno contendunt Angelos ab initio et ante mundum conditos fuisse; auctores vero latini tenent Angelos fuisse creatos eo tempore quo e nihilo eductus fuit mundus. Huic posteriori sententiæ favent hæc verba : « Creavit omnia simul » (*Eccle.*, XVIII, 1). — Insuper, juxta concilium Lat. IV, Deus Angelos ac mundum condidit *simul ab initio temporis;* unde ab illius decreti temporibus in scholis derelicta fuit græcorum sententia; attamen non judicandum est illam fuisse a Concilio damnatam, saltem expresse; is quippe non fuit Synodi scopus; quidam addunt vocem *simul* in definitione Concilii idem significare ac *pariter* sicut in Ps. XLVIII, 11, dicitur : *Simul*, id est, pariter : « Insipiens et stultus peribunt » (Vide Billuart, *de Ang.*, diss. 1, art. 2).

Cæterum Deus Angelos omnes simul, eodem instanti, e nihilo eduxit. « Deus, inquit Theodoretus, confestim universos edidit. Quot enim ipsorum millia procreanda constituit, totidem initio produxit » (Serm. 3, *contra Græcos*).

13. Quæritur 3. *Quænam sit Angelorum multitudo.*

Resp. Quidquid sit de numero Angelorum, quem revelatio non tradit, nec ratio determinare potest, communis est sententia, quam nonnulli fide tenendam asserunt, innumerabiles propemodum Angelos a Deo procreatos fuisse; et hoc patet

1. *Scriptura Sacra*; nam de Angelis (*Dan.*, VII, 10) dicitur : « Millia millium ministrabant ei et decies centena millium assistebant ei; » et (*Apoc.*, V, 11) : « Audivi vocem Angelorum

» multorum ;... et erat numerus eorum millia millium. » Qui numerus pro indefinito sumitur ad designandam maximam multitudinem. Nec aliud sibi volunt quæ de Christo nato (*Luc.*, II, 13) leguntur : « Facta est cum Angelo *multitudo* militiæ » cœlestis laudantium Deum. »

2. *Traditione.* S. Irenæus (*contr Hæret.*, l. 2, c. 7, n. 4) scribit : Multi sunt et innumerabiles circa Factorem Angeli, quemadmodum omnes fatentur Prophetæ. » — Nec desunt SS. Patres, qui existimant eam esse proportionem multitudinis hominum ad Sanctorum Angelorum numerum, quæ est unius ad nonaginta novem, juxta parabolam (*Matth.*, XVIII) relatam, in qua ex centum ovibus una, id est, humanum genus, abiit, cæteræ vero, quibus repræsentantur sancti Angeli in cœlo regnantes, manent fideles. Ita SS. Hilarius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus. — Imo plures, duce S. Dionysio, asserere non dubitant substantiarum incorporearum numero omnem multitudinem rerum materialium transcendi ; unde, juxta S. Cyrillum Hier., Angeli homines numero superant « quantum terram, quæ puncti instar est, cœlorum ambitus exsuperat. »

Hujus autem multitudinis variæ dari possunt congruentiæ. *Prima* petitur ex *majestate Dei* ; enimvero « Angeli creati sunt, inquit Suarez (*de Angelis*, l. 1, c. 11, n. 4), ut Deo assistant eique ministrent, et pro ejus honore pugnent ; est autem Deus purus spiritus et rex infinitæ majestatis ; ergo maxime decuit eum habere infinitam familiam spirituum sibi assistentium ac ministrantium. — *Secunda* desumi potest ex *perfectione Angelorum* ; nam, ut ait S. Thomas (1, q. 50, a. 3), « cum perfectio universi sit illud quod præcipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creanda. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem... Unde rationabile est quod substantiæ immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter. » — *Tertiam* congruentiam affert Suaresius ex *libertate et flexibilitate Angelorum in malum* ; unde infert in tanto numero creatos esse Angelos, ut, licet multi deficerent, adhuc suf-

ficientissimus et copiosissimus numerus spirituum Deum laudantium superesset (Cf. *de Angel.*, l. 1, c. 11).

§ III. Quomodo Angeli ab invicem distinguantur?

14. Prænotanda. Certum est dari inter Angelos diversitatem graduum et dignitatum; id fatentur omnes et patebit ex infra dicendis. — Communiter etiam admittitur dari posse diversas species Angelorum. Id fuse probat Suaresius (*Metaph.*, dist. 35, sect. 3) et deinde (*de Angelis*, l. 1, c. 12) concludit rem esse claram et certissimam videri. — Quod vero ad *factum* attinet, triplex occurrit sententia.

Prima contendit omnes Angelos, sive ejudem sive diversi sint ordinis, in eadem specie constitui, ac solo numero distingui. Ita sentire videntur S. Basilius (Lib. 3, *contra Eunomium*), S. Cyrillus Alex. (Lib. 2, cap. 1, *in Joan.*). Ex eo fit quod omnes cœlestes spiritus merito vocentur Angeli, quamvis nomen illud spirituum ultimi ordinis proprium sit (Vide Petavium, *Curs. comp.*, t. VII, col. 707).

Secunda sententia affirmat alios quidem Angelos, qui ejusdem sunt ordinis, ejusdem etiam esse specificæ naturæ; alios vero, qui diversorum sunt ordinum, etiam natura seu specie differre. Cur enim in classes dividerentur et ejusdem essent naturæ specificæ? Ita Tournely.

Tertia sententia tenet singulos Angelos inter se specie differre, nec dari posse plures Angelos solo numero diversos intra eamdem speciem. Ita S. Thomas ejusque discipuli; cum quibus sit sequens

15. Assertio : *Angeli intra eamdem speciem numerice non multiplicantur.*

Enim vero, sicuti argumentatur Angelicus Doctor (1, q. 50, a. 4), « ea, quæ conveniunt specie et differunt numero, conveniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia et forma, sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei, sicut etiam impossibile est dicere quod essent plures albedines separatæ aut plures humanitates, cum albedines non sint plures nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis. »

Et vero principium multiplicationis numericæ intra eamdem speciem debet esse quid substantiale et intrinsecum, quod ita multiplicet substantiam ut tamen non multiplicet speciem, sed unam et eamdem hanc conservet in pluribus individuis : atqui illud præstari nequit nisi a materia, cujus Angeli sunt expertes ; ratio est — tum quia forma, cum sit de sua natura communicabilis, nihil individuale aut singulare præ se ferens, principium esse nequit, unde exsurgat individuatio ; individuum quippe est alteri incommunicabile ; — tum quia ipsi proprium est speciem constituere, seu præbere prædicata essentialia. Ergo Angeli numerice intra eamdem speciem multiplicari non possunt.

Cæterum hæc specierum Angelicarum multiplicatio in perfectionem universi mirum in modum cedit ; namque species in quavis re melior est individuo bonumque « speciei præponderat bono individui. Unde multo melius est quod multiplicentur species in Angelis, quam quod multiplicentur individua » (S. Thomas, *loc. cit.* ad 3).

Nec dicatur potentiam Dei limitari, quando asseritur plures Angelos ejusdem speciei ab ipso creari non potuisse ; sane, uti arguit D. Vallet (*Prælect. phil.*, Ontol., 3 p. c. 2), « potentia Dei ad impossibilia non porrigitur. Atqui impossibile est creari plures Angelos, nisi substantialiter inter se distinctos ; sed substantialiter distingui non possunt, nisi natura aut specie differant. » Ergo.

CAPUT II.

DE POTENTIIS ANGELORUM.

Dicemus — 1. de intellectu ; — 2. de voluntate ; — 3. de potentia agendi ad extra Angelorum.

ARTICULUS I.

De intellectu Angelorum.

16. Inesse intellectum Angelis sequitur ex dictis; non enim Angelorum nomine, quorum probavimus existentiam, entia tantum intelleximus simplicia, sed etiam intellectuales naturas; quod quidem patet tum ex Angelorum definitione, tum ex probationibus adductis, tum ex conceptu immaterialis entis, quod a materiali contradistinguitur per vim intellectivam, ita ut idem sit immateriale ac intellectuale. Non ergo immorabimur in demonstrando Angelorum intellectu; sed statim inquiremus de *medio* et *objecto* cognitionis angelicæ.

§ I. De medio cognitionis Angelicæ.

17. Status quæstionis. Medium cognitionis angelicæ intelligitur id, per quod Angelus determinatur ad intelligendum. Angelus enim, cum non sit, ex dictis, actus purus ut Deus, nec suum intelligere, ideo in potentia est ad intelligendum, ac proinde determinari indiget. Hæc autem determinatio fit per speciem intelligibilem impressam. Sed quæritur — 1. utrum Angelus indigeat specie impressa proprie dicta, vel intelligat per essentiam suam, quæ speciei intelligibilis munere fungatur; — 2. utrum illæ species fuerint a Deo in ipsa creatione inditæ, ac proinde cogenitæ et connaturales; — 3. utrum Angelus intelligat per species universales, quæ clare et distincte repræsentent inferiora sub eis contenta : quid de his sentiendum nobis videatur, declarabunt assertiones sequentes, quæ S. Thomæ non mentem tantum, sed sæpius etiam verba referunt.

18. Assertio 1ª : *Angelus seipsum cognoscit per suam essentiam gerentem vices speciei impressæ, non expressæ; alia vero a se non cognoscit nisi per species impressas.*

Prob. 1ª pars. — Species impressa objecti vicaria non est necessaria, nisi ut objectum, quod est extra intellectum, fiat illi intime præsens, et id quod est materiale, immateriale fiat

immaterialitate ejusdem ordinis cum intellectu intelligente ; his enim deficientibus conditionibus, superflua omnino foret hæc impressa species. Atqui essentia seu substantia Angeli est intime præsens suo intellectui, nec non immaterialis immaterialitate ejusdem ordinis cum illo. Ergo.

Quamvis vero substantia Angeli secundum se sit intelligibilis, utpote immaterialis, non est tamen in tanto gradu immaterialitatis, ut sit actu intellecta : unde ad hoc requiritur species expressa.

Prob. 2ª pars. — Ex dictis enim, ut objectum cognoscatur, requiritur illud intime præsens esse intellectui in suo esse intelligibili, sive per se, sive per speciem repræsentativam, juxta illud S. Augustini communiter receptum : *ex objecto et potentia paritur notitia.* Atqui entia creata non possunt esse præsentia angelico intellectui per se seu in sua entitate, ut patet; neque substantia Angeli potest esse species illorum repræsentativa, cum non sit illorum similitudo, neque effectus, neque veri nominis causa ; quantumvis ergo suam substantiam Angeli penetrent, non possunt in ea distincte cognoscere alia a se entia. Ergo specie impressa indigent.

19. Assertio 2ª : *Species Angelorum non sunt a rebus acceptæ, sed a Deo in sui creatione inditæ, et ideo connaturales et congenitæ.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* In persona enim regis Tyri (*Ezech.*, xxviii, 12, etc.) Angelo lapso dicitur : « Tu signaculum similitudinis, *plenus sapientia* et perfectus decore.... *perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.* » Jam vero perfectus ac plenus sapientia non fuisset a die conditionis suæ, si speciebus intelligibilibus ab initio carens eas postea debuisset acquirere. Ergo.

Prob. 2. *SS. Patribus.* S. Dionysius (cap. 7, *de Divinis nomin.*) affirmat Angelos res cognoscere « propria ad Dei imaginem effectæ mentis virtute atque natura, » nec cognitionem « ex ipsis rebus haurire. » — Item S. Augustinus (*de Genes. ad litt.*, l. 2, c. 8) docet quod conditio cœli erat in Verbo Dei secundum genitam sapientiam ; deinde facta est in creatura spirituali, hoc est, in cognitione Angelorum secundum crea-

tam in illis sapientiam. Hæc autem intelligi non possunt sine speciebus in ipsa sui creatione Angelo inditis. Ergo.

PROB. 3. *Ratione*, quam sic evolvit S. Thomas (1, q. 55, a. 2): « Substantiæ spirituales inferiores, scilicet animæ, habent esse affine corpori, in quantum sunt corporum formæ; et ideo ex ipso modo essendi competit eis, ut a corporibus et per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur; alioquin frustra corporibus unirentur. Substantiæ vero superiores, id est, Angeli, sunt a corporibus totaliter absolutæ, immaterialiter et in esse intelligibili subsistentes; et ideo suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem influxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. »

Confirmatur ex eo quod nec objectum materiale naturaliter immediate agere potest in potentiam pure spiritualem, suam speciem ei absque phantasmate immittendo; nec Angelus, si non præhabeat species objecti materialis, poterit illis applicare suam virtutem cognoscitivam, quia illud ignorat; nec naturæ angelicæ convenit aliquid perfectionis a corporibus accipere » (Cf. *Sum. cont. Gen.*, l. 2, c. 96, *de Verit.*, q. 8, a. 9).

20. Assertio 3ª : *Angeli intelligunt per species universales, quæ inferiora sub se contenta distincte repræsentent et quidem eo universaliores, quo superiores sunt Angeli.*

PROB. Quanto ens creatum est propinquius et similius Deo in ordine intellectuali, tanto magis participat in eodem ordine perfectionem, qua Deus per unum medium, essentiam nempe suam omnium creabilium repræsentativam, omnia cognoscit; ideo quanto ens creatum est propinquius et similius Deo in ordine intellectuali, tanto per pauciores et universaliores species, id est, quæ plura distincta repræsentent, intelligit: atqui Angeli sunt Deo propinquiores ac similiores quam homines in ordine intellectuali, et Angeli superiores quam inferiores. Ergo Angeli per species intelligunt universales, quæ inferiora repræsentent, et quidem eo pauciores ac universaliores quo Angeli aliis superiores sunt.

Confirmatur ex eo quod species Angelorum intelligibiles, cum a Deo immediate proveniant ex una parte, et, ex altera

parte, recipiantur in intellectu, qui eo majori vi intelligendi pollet quo perfectior est Angelus, debent esse quædam participationes exemplarium seu idearum divinarum, et intellectui angelico in quo recipiuntur proportionari : debent igitur non tantum universales esse multaque sub se distincte continere, sed etiam eo universaliores esse, quo superiores sunt Angeli.

§ II. De objecto cognitionis angelicæ.

21. Prænotanda. Certum est — 1. objectum proprium intellectus angelici ipsas esse rerum creatarum quidditates, quatenus per species intelligibiles ipsi impressas repræsentabiles sunt, seu ipsam creatarum rerum intelligibilitatem puram, absque ullo scilicet elemento sensibili. Nam intellectus angelicus omnia cognoscit juxta modum suum et per species omnino immateriales, quæ nihil scilicet sensibile connotant, ut patet ex dictis supra. — Sed insuper unusquisque intellectus angelicus, cum habeat specificam et essentialem perfectionem, proprium sibi vindicat objectum formale, seu primum intelligibile. Illud autem objectum aliud non est quam propria Angeli substantia ; cum enim intellectus ab ea immediate dimanet eaque sit intelligibilis per se, utpote immaterialis, connaturale est ut hanc propriam suam substantiam postulet intime intueri, et illi immediate conjungi ac proinde ab illa per se primo ad intelligendum moveri.

22. Certum est igitur — 2. quemlibet Angelum primum cognoscere seipsum ; deinde alios Angelos, quorum quidditas immaterialis per se aptitudinem habet, ut repræsentetur per species intelligibiles intellectui angelico infusas ; postea creaturas materiales, quarum quidditas repræsentari quidem potest per species intelligibiles, sed eamdem aptitudinem non habet ; denique singularia etiam materialia, quæ, quantumvis singularia sint et materialia, habent tamen quod intelligibiliter repræsentabilia sint, quatenus scilicet similia sunt ideis divinis. Quæ quidem perbelle pro suo more explicat Angelicus Doctor (1. q, 57, a. 2).

23. Certum est — 3. Angelis Deum naturaliter innotescere, non intuitive et per essentiam : Dei enim essentia per se

excedit omnem intellectum creatum; sed *abstractive* et veluti *in speculo*, modo tamen perfectiori quam hominibus. Angeli namque per suas vires naturales Deum cognoscunt, non tantum per similitudinem ejus in creaturis præsertim pure rationalibus et intellectualibus resultantem, sed etiam ac potissimum per suam propriam essentiam, in quantum est similitudo Dei perfectissima. Unde statim ac essentiam suam speciesque rerum intelligibiles sibi congenitas contemplantur, ad Deum assurgunt ac veluti in seipsis cernunt.

His vero præmissis, quæstio est utrum Angeli naturaliter cognoscant futura contingentia, — secreta cordium — et mysteria gratiæ. Quid de his sentiendum sit declarabunt assertiones sequentes.

24. Assertio 1ª : *Angeli lumine naturali futura contingentia, quæ scilicet a libera voluntate pendent, cognoscere nequeunt cum omni certitudine, sed ea tamen aliquando conjicere valent.*

PROBATUR PRIMA PARS, nempe *futura libera ab Angelis non certo cognosci*

1. *Scriptura Sacra.* In ea enim non semel contingentium futurorum cognitio asseritur ut proprium divinitatis signum. Sic apud Isaiam (XLI, 23) legere est : « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis. » Et iterum (*Id.*, XLVI, 9, 10) ipse Deus sic loquitur : « Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est *similis mei annuntians ab exordio novissima*, et ab initio *quæ nondum facta sunt* dicens : consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. »

2. *SS. Patribus.* Tertullianus (*Ap.*, c. 20) hæc habet : « Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis. » — S. Hilarius (*de Trinit.*, l. 9, n. 61) : « Proprium Deo quid aliud quam futurorum cognitio est. » — Adnotant insuper S. Augustinus (*de Civ. Dei*, l, 11, c. 17), et S. Anselmus (*de Cas. Diab.*, c. 21) nec ab Angelis bonis suam perseverantiam, nec a malis suum lapsum potuisse prævideri.

3. *Ratione.* Futura enim libera ab Angelis cognosci non possunt, nec in se, nec in causis. — Non *primum* ; ideo quippe

Deus illa videt in seipsis, quia æternitate sua toti tempori præsens est ipsumque concludit; angelicus autem intellectus et quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate. — Non *secundum*, quia si agatur de causa creata quæ indifferens est ad utrumlibet, futurum liberum non habet esse determinatum, potest esse aut non esse; si vero agatur de causa increata, libero scilicet decreto Dei, omni intellectui creato est impervium. Ergo.

Nec dicatur Angelis, quia cognoscunt omnia per species congenitas, species inesse futurorum antequam fiant; nec proinde illis deesse medium cognoscendi futura. Nam, ex S. Augustino ac S. Thoma, species angelicæ non repræsentant naturas rerum quomodocumque, sed prout descendunt et derivantur ab ideis divinis, a quibus ipsæ species derivantur et exemplantur : unde species angelicæ habent in repræsentando, quod ideæ divinæ habent in causando; ideæ autem divinæ causant naturas in individuis successive; ergo ipsæ species, quæ derivantur ab his ideis divinis, accipiunt vim repræsentandi individua successive, sicque petunt repræsentare individua, quando sunt producta ab ideis divinis, non vero antequam fiant (Cf. Billuart, *de Ang.*, dissert. 3, a. 2).

Constat secunda pars assertionis ex dictis in Tractatu *de Vera religione* (n. 63), ubi ostendimus Angelos acumine sui ingenii, perspectisque naturæ ac historiæ legibus, multa quæ homines latent conjicere posse.

Diximus in assertione : *futura contingentia, quæ a libera voluntate pendent.* Nam futura necessaria, quæ pendent a causis physicis et naturalibus, Angeli cognoscere possunt, per species, quarum ope illas causas cognoscunt, nisi interveniat Deus aut causa libera creata, uti evidens est.

25. Assertio 2ª : *Angeli naturaliter certo non cognoscunt secretas et occultas cordium cogitationes, quæ scilicet nullo signo proditæ sunt.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Idem recurrit argumentum ac in assertione præcedenti; Deo quippe in pluribus Scripturæ locis reservatur illa cognitio. Sic (II *Par.*, VI, 30) legitur : « Tu » enim solus nosti corda filiorum hominum. » Item (*Ps.* XLIII,

22) : « Ipse enim novit abscondita cordis ; » quæ de Deo tanquam ipsi soli convenientia dicuntur. Consonant etiam hæc (*Jer.*, XVII, 9, 10) : « Pravum est cor hominis et inscrutabile, » quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et re- » nes ; » necnon (I *Cor.*, II, 11) : « Quæ sunt hominis nemo » novit, nisi spiritus ejus qui in ipso est. »

PROB. 2. *SS. Patribus.* Hi nempe ex textibus præfatis Scripturæ vel similibus concludunt cordium cognitionem penes solum Deum esse. Ita S. Hieronymus (*in Jerem.*) : « Hinc discimus quod nullus cogitationum secreta cognoscit nisi solus Deus ; » et (*in Matth.*, c. 9) : « Dominus videns cogitationes eorum ostendit se Deum, qui possit occulta cordis cognoscere ; » demum vero (*in Ps.* XVI) : « Diabolus in anima intrinsecus nescit quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat. » Non aliter cæteri Patres, inter quos S. Chrysostomus (Hom. 30 *in Matth.*).

PROB. 3. *Ratione.* Actus liberi nostræ voluntatis debent esse perfecte sub ejus dominio : atqui non haberet voluntas plenum et perfectum suorum actuum dominium, si, ipsa invita, aliis creaturis naturaliter conspicua esset ejus electio et deliberatio ; esset enim hæc electio, ut ita dicam, quasi juris publici, nec perfecte pertineret ad suum principium. Ergo non patent alienis oculis, etiam angelis, cordis humani secreta.

Confirmat S. Thomas (1, q. 51, a. 4) dicens : « Voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet et ipse solus in eam operari potest, qui est principale ejus objectum ut ultimus finis. Et ideo quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo nota sunt. » Idem autem pari ratione de intellectus cogitatione, quæ intime conjuncta est cum voluntatis determinatione, dicendum esse nemo non videt.

Diximus in assertione : *quæ nullo signo proditæ sunt ;* Angelus siquidem, cum perspicacissimo ingenio polleat, ex externis indiciis secreta cordis conjicere valet et sæpius certo cognoscere.

26. Assertio 3ª : *Angeli suapte vi et natura, citra peculiarem revelationem, non cognoscunt gratiæ mysteria, ea scilicet,*

quæ ex gratuita Dei voluntate pendent, totum naturæ ordinem excedunt, ac in salutem humani generis ordinantur.

PROB. 1. *Scriptura Sacra.* Apostolus (I *Cor.*, II, 11), postquam dixit neminem posse cognoscere quæ sunt hominis, præter spiritum hominis qui in ipso est, addit : « Ita et quæ » Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. » Jam vero ea maxime Dei sunt quæ ad ordinem gratiæ in sensu supradicto pertinent. Ergo. — Huc etiam spectat illud Apostoli testimonium (I *Cor.*, II, 8), ubi sic de sapientia Dei loquitur : « Quam » nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovis- » sent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. » Principes enim sæculi hic dæmones esse multi censent interpretes.

PROB. 2. *Traditione.* Hæc fuit sententia antiquorum Patrum, qui existimarunt Filium Dei non ante conspectum fuisse ab Angelis quam naturam humanam induisset; ita S. Athanasius, S. Chrysostomus, Theodoretus et Anastasius Sinaita, qui immerito tamen revelationem Angelis factam excludere videntur. Hæc est sententia S. Augustini (*de Civit. Dei*, l. 9, c. 11), qui Angelorum et dæmonum scientiam distinguens ait : « Tantum eis innotuit quantum voluit : tantum autem voluit, quantum oportuit... » Nec aliter sensisse cæteros Patres asserit Pius IX refellens placita D. Froschammer (in Brevi *Gravissimas* ad Archiep. Monacensem, 11 decemb. 1862). Concilium vero Vaticanum expresse docet « divina mysteria suapte natura intellectum *creatum* excedere » (Cf. Tract. *de Locis Theolog.*, n. 66).

PROB. 3. *Ratione.* Ea quæ sunt penitus supernaturalia, nullam habent connexionem necessariam cum aliqua causa, effectu vel signo naturali : atqui non possunt aliunde cognosci ab intellectu creato etiam angelico; ergo hunc intellectum excedunt. — Accedit quod ejusmodi mysteria non habeant debitam proportionem cum aliquo intellectu creato; sicut enim sunt supernaturalia simpliciter, ita sunt simpliciter ordinis supernaturalis; ideoque non tantum quantum ad *esse*, sed etiam quantum ad *cognosci* supernaturalia dicenda sunt. — Denique si Angelus naturaliter cognoscere nequit internas hominis cogitationes, a fortiori quæ ex gratuita Dei voluntate pendent.

Diximus in assertione : *citra peculiarem Dei revelationem ;* nam ex sacris litteris et ex traditione colligere licet mysteria quædam Angelis ab initio suæ creationis per fidem innotuisse, quædam vero ab initio suæ beatitudinis per visionem beatificam ; alia autem successu temporis, secundum quod eorum officiis congruebat. Ita S. Thomas, Billuart, Sylvius, etc.

27. Quæritur 1. *Utrum Angeli semper aliquid intelligant?*

Resp. 1. Angelum *semper ac necessario seipsum* intelligere ; ex dictis quippe initio præcedentis paragraphi, substantia Angeli ipsi est primum objectum intelligibile, nec potest concipi substantia vivens ac pure intelligens, quæ actum vitalem intellectus de objecto maxime sibi connaturali semper non habeat ; alioquin actu non viveret.

Resp. 2. Angelum non esse in actu cognitionis respectu omnium, quæ potest cognoscere ; nulla est enim ratio cur ea debeat semper actu considerare, sed liberum est ipsi inadæquate applicare species suas intelligibiles ad hoc vel illud ; quin etiam penes ipsum non videtur plura, simul ut plura, id est, nullum ordinem habentia ad invicem, simul conspicere, tum quia una et eadem potentia non potest plures simul actus elicere, tum quia unus actus unitatem aliquam requirit ex parte sui termini.

28. Quæritur 2. *Utrum Angelus cognoscat per discursum formalem.*

Resp. Angelicus intellectus *formaliter non discurrit ;* quod quidem constat — tum *auctoritate* theologorum, qui Angelos in hoc distinguunt ab hominibus, quod hi *rationales* sunt seu per discursum quasdam cognitiones acquirunt, illi vero *intellectuales naturæ* dici debent, quia in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quæcumque in eis continentur ; — tum *ratione ;* nam discursus formalis duos requirit actus ex parte subjecti ; unum, quo cognoscatur principium ; alterum ex priori illatum, quo ex principio cognito proceditur ad cognitionem effectus : porro angelicus intellectus, cum maxima virtute polleat et per universales species inferiora repræsentantes intelligat, unico intuitu effectum in causa cernit. Ergo discursu formali non indiget, ut cognitionem acquirat.

Contendunt quidem plures Theologi, inter quos eminet Suarez, Angelum discurrere in supernaturalibus vel per conjecturam cognitis; nam in his cognoscitur unum ex alio, et quidem distinctis actibus quorum unus est verus, et alter sæpe falsus aut incertus, ut accidit dæmonibus quoad Christum. Sed Thomistæ contrarium merito sentiunt, tum quia cognoscere sine discursu Angelo proprium ac connaturale est, nec in eo lumen supernaturale cognoscendi modum deprimit; tum quia lumen illud supernaturale non est de se discursivum, sed ratione subjecti, cui inest. Quod spectat vero ad Angelos malos, ideo decepti sunt, quia pravitate suæ voluntatis a divina sapientia remoti eamque non attendentes, præcipiti judicio quandoque judicant aliter quam res, prout subditur divinæ providentiæ, sit aut futura sit, non quidem discursu formali, sed virtuali. Id autem non accidit Angelis bonis, qui, cum in omnibus divinæ dispositioni attendunt, neque de supernaturalibus neque de naturalibus, prout subsunt Dei ordinationi, judicium proferunt certum et absolutum, nisi certam habeant revelationem, sed ex signis probabilibus probabiliter tantum conjiciunt rem posse evenire.

Unde merito concluditur in intellectu Angeli boni non posse inveniri falsitatem, bene vero in intellectu Angeli mali; sed malis æque ac bonis adscribendus est intellectus humanum intellectum omnino superans, qui non tantum uno intuitu conclusiones in principiis videt, sed etiam quid subjecto conveniat, quid vero ab eo removeri debeat statim apprehendit, nec proinde *componendo ac dividendo cognoscit*.

29. Quæritur 3. *Utrum in Angelis distingui debeat cognitio matutina et vespertina.*

Resp. *Affirmative*, et constat auctoritate S. Augustini (l. 11, *de Civit.*, c. 7, et l. 4, *de Genes.*, c. 23) et theologorum post S. Thomam (1. q. 68, a. 6, 7).

Ea vero dicitur *matutina* cognitio, qua Angeli per lumen gloriæ res vident *in Verbo*; *vespertina* autem ea est, qua per species inditas res cognoscunt *in seipsis*. Sed quia res clarius videntur in Verbo quam in seipsis, ideo prima cognitio dicitur *matutina*, et secunda *vespertina*.

ARTICULUS II

De voluntate Angelorum.

30. Certum est Angelis voluntatem inesse. Id quippe insinuat *Scriptura*, quando exhibet Angelos velut ministros Dei ad faciendam voluntatem ejus, aut etiam velut *desiderantes in Christum propicere.* — Probat quoque *ratio;* nam in omni creatura cognoscente potentiam cognoscendi naturaliter consequitur potentia appetitiva ipsi proportionata : sed in Angelis est potentia cognoscendi eaque intellectiva; ergo illam consequitur potentia appetitiva intellectualis, quæ dicitur voluntas. Adde Angelos inclinari in bonum cognitum sub ratione boni, neque tantum in hoc vel in illud particulare bonum, sed in ipsum bonum universale : voluntas autem est potentia, per quam creatura intellectualis inclinatur in bonum sub ratione boni cognitum, et non tantum in bonum particulare, sed in bonum universale. Ergo.

Sed quæstio est utrum voluntas Angelorum libertate arbitrii polleat. Pro cujus solutione sequens sit

31. Assertio : *Angeli libertate arbitrii donantur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua Angeli introducuntur ut creaturæ *rationales*, quorum alii peccaverunt et pro peccatis suis puniuntur, alii vero Deum vident ipsique ministrant : hæc autem omnia eorum sunt duntaxat qui libertate arbitrii præditi sunt.

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum*, pro quibus audiantur S. Basilius, qui (*de Sp. S.*, c. 16) de bonis Angelis dicit : « Habentes in eligendo *liberum arbitrium*, nunquam ab ejus qui vere bonus est consortio excidentes » ; et S. Gregorius Magnus, cujus (*hom.* 7 *in Ezech.*) hæc sunt verba : « Natura angelica, quando creata est, *liberum arbitrium accepit*, utrum vellet in humilitate persistere. »

Prob. 3. *Ratione.* In Angelis est intellectus, sed ubi est intellectus, ibi liberum arbitrium ; enimvero liberum arbitrium est facultas eligendi unum e multis; radix autem ejusmodi libertatis oritur ex indeterminatione judicii intellectus, quia

scilicet potest judicare de multis quodnam sit hic et nunc eligendum; hujus vero indeterminationis et judicii origo est ex eo quod ratio potest judicare de universali ratione boni seu de bono in universum. Ergo. — Etvero libertas arbitrii pertinet ad dignitatem hominis : porro Angeli sunt digniores hominibus, juxta illud Psal. VIII de homine : « Minuisti eum paulo » minus ab Angelis. » Ergo libertas arbitrii multo magis adscribenda est Angelis quam hominibus.

32. Quæritur 1. *Quomodo voluntas Angeli tum ad seipsum, tum ad Deum feratur.*

Resp. 1. Angelus *seipsum necessario* diligit. Et sane Angelus seipsum cognoscit et contemplatur necessario : ergo eadem necessitate se ipsum diligit. Consequentia manifesta est, tum quia si Angelus seipsum necessario semper intelligit, vult necessario seipsum intelligere; hoc autem est seipsum amare; est quippe sibi velle maximum bonum; — tum quia operatio voluntatis proportionatur operationi intellectus, per quam dirigitur et regulatur : ergo si Angelus seipsum necessario et semper intelligit, seipsum pariter necessario et semper diligit. Unde S. Thomas (*de Malo*, q. 16, a. 2, ad 6) loquens de Angelo, ait : « Quantum ad hoc operatio ejus immutabilis est, quod semper intelligit. Et similiter considerandum est circa voluntatem, cujus operatio proportionatur operationi intellectus. »

Resp. 2. Voluntas Angelicà, prout *natura* est, *necessario* etiam *ad Deum fertur*. — Nam in amore naturali, quo Angelus seipsum diligit, includitur motus in Deum tanquam auctorem et conservatorem proprii esse, cui consequenter Angelus non potest non velle existentiam aliasque perfectiones lumine naturali cognitas : ergo si seipsum amat necessario, eadem necessitate in Deum ut auctorem et finem naturalem tendit.

Confirmatur ex eo quod Angelus, cum sit substantia intellectualis media inter Deum et hominem, ex natura sua habere debeat, ut a primo instanti possit se movere et applicare ad volendum quodcumque sibi placuerit, ac proinde ut suum finem naturalem, cujus intentione ad alia movetur, a primo etiam suæ productionis instanti necessario intendat.

Dictum fuit *prout natura est*, quia si spectetur voluntas

Angeli *formaliter ut voluntas*, potest esse a Deo aversa, ut videre est in dæmonibus.

33. **Quæritur 2.** *Utrum et quatenus voluntas angelica peccabilis fuerit.*

Resp. 1. Certum est voluntatem angelicam non fuisse *ex natura sua simpliciter et ex omni parte* impeccabilem. Præterquam enim quod Angeli reipsa peccaverunt, sicut infra probabitur, impeccabilitas absoluta soli Deo propria est, ut constat sive Scriptura, sive doctrina SS. Patrum et theologorum, sive ratione, idque dupliciter, nempe : tum quia quælibet natura creata, eo ipso quod sit ex nihilo, defectibilis est tam in suo operari, quam in suo esse; tum quia nulla creatura intellectualis dari potest, cui connaturalia sint principia operationum, quibus dirigitur in finem supernaturalem, ad quem elevari potest.

Cæterum ex eo quod voluntas angelica peccare possit contra ordinem supernaturalem, nullatenus sequitur angelos, in hac hypothesi, peccare ex errore aut ex passione, quorum sunt expertes. Sed dicendum est ipsos peccare posse ex actuali inconsideratione qua non attendent neque actu considerabunt quæ possent et deberent considerare, regulam scilicet, cui conformanda est eorum operatio : de quo S. Thomas (q. 1, *de malo*, *a.* 3) merito scribit : « Hoc ipsum quod est non attendere actu ad talem regulam, in se consideratum, non est malum, nec culpa, nec pœna, quia anima non tenetur nec potest attendere ad hujusmodi regulam semper in actu. Sed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quod sine actuali consideratione regulæ procedit ad electionem. »

Fatendum est tamen Angelos peccare non potuisse in primo instanti suæ creationis; cum enim primus actus voluntatis in Angelis, licet fuerit a voluntate tanquam a principio eliciente, fuit tamen a Deo specialiter movente et applicante, sequeretur Deo tribuendum esse tale peccatum. Neque revera in primo instanti peccaverunt Angeli, ut patebit ex dicendis.

Resp. 2. Dici potest, illæsa fide, Angelicam voluntatem fuisse ex natura sua impeccabilem circa *legem naturalem* saltem *directe et immediate*, ita ut si Angeli ad statum super-

naturalem erecti non fuissent, peccare non potuissent. Ita communius Thomistæ; ratio est tum quia non potest esse peccatum in voluntate nisi sit error, vel ignorantia, vel inconsideratio in intellectu; quæ quidem inveniri nequeunt in intellectu Angelorum circa naturalia, quippe qui uno intuitu omnia naturalia, tam speculativa quam practica considerant; — tum quia peccare nequit creatura cui connaturalis et necessaria est dilectio Dei ut auctoris naturalis, saltem quoad specificationem; cujusmodi sunt Angeli.

Dixi vero *directe et immediate*, quia hoc ipso quod Angeli peccare possunt directe contra legem supernaturalem, ex consequenti indirecte et mediate possunt peccare contra legem naturalem; lex enim naturalis præcipit obediendum esse legi supernaturali : unde qui transgreditur directe legem supernaturalem, indirecte transgreditur legem naturalem.

ARTICULUS III.

De potentia agendi ad extra Angelorum.

Tria præsertim spectant ad hanc agendi ad extra potentiam, qualis apud Angelos invenitur; quæstio est videlicet an et quatenus Angeli — 1. sint in loco; — 2. localiter se moveant; — 3. corpora assumere possint. Quæ quidem ex infra dicendis de Angelorum ad homines habitudine mox complebuntur.

§ I. An et quatenus Angeli sint in loco?

34. — I. Fatentur omnes Angelos *esse aliquo modo in loco*, non tamen *circumscriptive*.

Patet *primum* ex Scriptura, in qua refertur Angelos circa nos operari immediate, se movere de loco ad locum, et esse in certis locis.

Secundum vero defluit ex dictis de immaterialitate Angelorum; id enim dicitur esse in loco circumscriptive, quod ita est in uno loco, ut non sit in alio, et ulterius ita in illo loco ut totum quidem in toto sit loco, sed non in qualibet parte loci; sed hic modus proprius est corporum. Ergo Angelis adscribi non debet.

Superest igitur ut Angeli sint in loco *definitive*, id est, ita quidem in uno loco, ut in alio non sint, non tamen in illo loco extensive, sed sicut toti in toto loco, sic toti etiam in qualibet parte illius loci.

35. — II. Dicendum videtur cum Thomistis Angelos esse in loco saltem connaturali per *operationem suam virtualiter transeuntem* vel *per applicationem suæ virtutis*. Duplex namque est Angelorum operatio, intellectio nempe et volitio ; quæ quidem secundum se formaliter immanentes sunt, sed virtualiter transeuntes, quatenus aliquos effectus producunt ad extra. Ille vero locus dicitur *connaturalis*, cui Angelus per liberam voluntatem se applicat.

Hanc autem sententiam, cui adversantur haud pauci, sic probant Thomistæ : ex modo, quo corpus est in loco, analogice explicari debet quomodo Angelus sit in loco : porro corpus est in loco per hoc quod applicatur loco secundum contactum dimensivæ quantitatis ; ergo et Angelus per aliquem contactum præsens fit in loco. Sed duplex est contactus, unus proprie dictus, qui fit per quantitatem dimensivam, et hic proprius est corpori ; alter improprie dictus per virtutem, seu per operationem virtualiter transeuntem, et hic competit Angelo. Ergo.

Neque dicatur prius esse quod Angelus sit in loco, quam in illo operari. Idem enim in Angelo est conjungi loco et operari in illo : unde sicut prius non est corpus esse in loco, quam locum tangere, quia contactus loci est ratio fundans localem præsentiam corporis, ita quamvis in Angelo prius sit esse simpliciter quam operari, non tamen prius est esse in loco quam operari in loco, quia operatio est ratio cur Angelus sit in loco, etsi non sit ratio cur Angelus absolute sit.

36. — III. Ex jam dictis de modo quo Angeli sunt in loco, plura consectaria inferunt Thomistæ, scilicet :

1. Unum Angelum non posse naturaliter simul esse in duobus locis *adæquatis*, id est, totam suam virtutem exhaurientibus. Cum enim Angelus sit in loco per operationem, non posset simul esse in duobus locis adæquatis, nisi extra singulos operaretur ; qui proinde jam non essent adæquati. —

Dixi *naturaliter*, quia virtus operativa Angeli supernaturaliter augeri potest; et ita Angelus esse in pluribus locis suæ virtuti naturali adæquatis.

2. Angelum posse esse simul in pluribus locis *inadæquatis*, etiam inter se dissitis, intra spheram suæ activitatis, quin sit in medio, v. g., in quatuor angulis unius aulæ, non existendo in medio; ratio est quia potest operari in angulis, quin in medio operetur; Angelus nempe est in loco per applicationem suæ virtutis non necessariam et naturalem, sed liberam; potest igitur in locis intra spheram suæ virtutis contentis uni parti se applicare, et alteram relinquere; et sic erit in pluribus locis, non quidem ut plura sunt formaliter in ratione loci, sed tamen ut plura sunt materialiter.

3. Plures Angelos non posse simul esse *in eodem loco formali et adæquato*. Eatenus plures Angeli simul essent in eodem loco *formali et adæquato*, quatenus eumdem effectum adæquate simul in eo producerent: sed unius et ejusdem effectus non possunt esse plures causæ completæ et immediatæ. Ergo.

4. Plures Angelos posse simul esse *in eodem loco materiali*. Id quippe fit, si a pluribus Angelis producantur in eodem corpore diversi effectus, ita ut sint quidem in eodem loco, sed non per eamdem operationem: porro plures Angeli in eodem corpore diversimode operari possunt. Ergo.

5. Plures Angelos pariter simul esse posse *in eodem loco formali, sed inadæquato*. Possunt enim circa eumdem effectum ita suum concursum attemperare et ad illum partialiter concurrere, ut locus respectu singulorum sit inadæquatus. Quod quidem factum fuisse videtur in illo energumeno, in quo Scriptura narrat fuisse legionem dæmonum. Rarius tamen id contingit in Angelis bonis; quippe qui effectus suos regulariter loquendo perfecte et non partialiter producere soleant.

§ II. An et quatenus Angeli localiter se movere possint?

37. — I. Certum est Angelos moveri posse localiter; id nimirum non solum ex pluribus Scripturæ locis, in quibus Angeli dicuntur descendere de cœlo, in cœlum ascendere et alia hujusce modi, aperte colligitur, sed etiam evidenti ratione

demonstratur. Cum enim Angeli non sint ubique ob substantiæ et virtutis suæ limitationem, et aliunde intellectu et voluntate prædíti sint, possunt cognoscere et appetere præsentiam in aliquo loco vel absentiam ab alio. Frustra autem natura talem appetitum eis tribueret, si potentiam motivam, qua ad illa loca possent accedere, vel ab eis recedere, denegaret.

Ex quo intelligitur — 1. Angelos se localiter movere non tantum per accidens, seu ratione corporis, cui præsentes sunt, sed *per se*, quia operando successive in diversis corporibus immotis possunt fieri præsentes successive diversis locis; — 2. motum localem Angeli, quo per se movetur, consistere in diversis operationibus circa diversa loca sine quiete intermedia.

38. — II. Angelorum motus duplex esse potest, *continuus* nempe vel *discretus*. Et quidem ille motus localis continuus dicitur, in quo mobile per partes deserit terminum *a quo*, et per partes acquirit terminum *ad quem*, sine quiete intermedia: porro Angelus potest per partes deserere terminum *a quo* et per partes acquirere terminum *ad quem*, absque quiete intermedia; licet enim sit indivisibilis et inextensus, potest tamen unam partem loci deserere, desinendo nempe operari in illa, et alibi operando, alium locum partialiter occupare, absque tamen quiete intermedia. Ergo.

E contra ille motus localis est discretus, in quo mobile deserit totum simul terminum *a quo*, et immediate post, totum terminum *ad quem* accipit: atqui potest Angelus deserere simul totum locum quem occupat, desinendo operari in eo, et statim alium occupare, applicando statim virtutem suam ad illum. Ergo.

Imo Angelus potest motu discreto ad loca distincta transire, *non transeundo per medium*. De quo audiatur ipse D. Thomas, qui (*Quodl.* 1, a. 5) ait: « Cum Angelus sit in loco per contactum virtutis, non subditur loco, ut contentus ab eo, sed magis continet locum sua virtute, supereminens in loco. Unde necesse ei non est, ut sequatur in suo motu conditiones loci, sed voluntati suæ subest quod applícet se per contactum virtutis huic loco et illi, et si vult, absque medio.

39. — III. Motus Angelicus sive continuus, sive discretus,

non potest fieri in instanti. Patet *primum;* nam nullum successivum fieri potest in instanti : sed motus continuus Angelorum est successivus, cum in tali motu Angelus prius applicet suam virtutem uni parti spatii, deinde alteri, priusque ab una parte spatii se retrahat, quam alteram contingat. Ergo.

Idem vero dicendum est *de motu discreto*, qui, cum importet duas operationes Angeli sibi succedentes, unam circa locum quem deserit, alteram circa locum quem acquirit, et ipse successivus est. Non enim per hoc moveri intelligitur Angelus, quod incipiat occupare totum locum sequentem, ita ut operatio, per quam est in loco, quem deserit, ad motum non pertineat; sed omnis motus proprie sumptus constat duobus terminis positivis; et in hoc differt a simplici mutatione qua subjectum transit a simplici negatione ad formam.

Cæterum quamvis motus ille discretus Angelorum uno instanti non perficiatur, duo tamen instantia sufficiunt. Unde velocissime moventur Angeli; qua de causa pinguntur alati.

§ III. An et quatenus Angeli corpora assumere valeant?

40. — I. Indubium est Angelos assumere posse corpora et per ea se visibiles hominibus exhibere; id enim evidenter colligitur ex variis Scripturæ locis, ex quibus apparet Angelos Abrahæ, Loth, Tobiæ et aliis apparuisse. Nec quippe verisimile est eas omnes apparitiones secundum imaginationem contigisse; namque Scriptura sic inducit eos apparentes, ut communiter viderentur ab omnibus; quæ autem sola imaginatione et sensuum delusione fiunt, non ab omnibus communiter videntur, ut observat S. Thomas (1, q. 51, a. 2). Id saltem dici nequit de Christo, cui (*Matth.*, IV, 1 et seq.) apparuisse dicitur Diabolus, eumque in pinnaculum templi ac in excelsum montem assumpsisse; non enim decuit Christum a diabolo ita deludi, ut quod sola imaginatione gereretur, Christus realiter fieri putaret.

41. — II. Duæ conditiones requiruntur ad assumptionem corporis ab Angelo; nimirum : — 1. necesse est ut illud sibi aliquo modo uniat, non quidem sicut forma materiæ unitur, cum sit natura completa et totalis; neque unione hypostatica,

cum nulla personalitas, præter infinitam, possit terminare alienam naturam; sed ut motor mobili; hoc tamen non sufficit ad assumptionem, quia hanc præsentiam habent Angeli ad energumenos, quos torquent : unde requiritur insuper — 2. quod Angelus corpus assumptum ita moveat, ut per ipsum se vel suas aut Dei, cujus est legatus, proprietates nobis repræsentet, utens eo corpore tanquam proprio. Ratio hujus secundæ conditionis desumitur ex eo quod apparitiones Angelorum, quæ leguntur in Scripturis, modo in persona Angelorum, modo in persona Dei factæ sunt.

42. — III. Si vero quæratur ex qua materia et qua virtute efformentur corpora ab Angelis assumpta, respondere sufficiat prædicta corpora regulariter formari ex aere vel vapore, qui facile figuram recipere et retinere, ac per alicujus corporis appositionem diversimode colorari possit. — Id vero naturali Angelorum virtute fieri potest. Si enim homines per artem ex luto aliave materia corpora efformare possunt, quanto magis Angeli. Præterea ipsi Dæmones quandoque corpora assumunt ad malum finem; Deus autem extraordinario concursu ad opus malum concurrere nequit. Unde quando S. Thomas dicit (*loc. cit.*, a. 2, ad 3) quod « Angeli assumunt corpora ex aere condensando ipsum *virtute divina*, » intelligenda est virtus quam Angeli a Deo acceperunt simul cum natura.

43. — IV. Angeli in corporibus assumptis vitæ sensitivæ opera, v. g., loqui, manducare, videre, audire, exercere non valent; nam in hujusmodi corporibus vita sensitiva non vivunt, nec potentias sensitivas habent. Ideo similitudinarie tantum has operationes exerunt in assumpto corpore, ut non obscure significavit Raphael Angelus Tobiæ, quando dixit : « *Videbar* » quidem vobiscum manducare et bibere, » etc. (*Tob.*, XII, 19); neque repugnat veracitati Angelorum quod videantur hominibus viventes, licet non sint, si quidem non ita agunt ut credantur homines viventes, sed ut per proprietates et opera hominis spirituales proprietates et spiritualia opera Angelorum designentur.

CAPUT III.

DE STATU SUPERNATURALI ANGELORUM.

Supernaturalis Angelorum status tria complectitur, eorum videlicet elevationem, probationem et ultimam sortem. De his in totidem articulis disseremus.

ARTICULUS I.

De elevatione Angelorum.

44. Cum naturæ cujuslibet intellectualis elevatio, prout *in via* consideratur, in gratia sanctificante seu habituali potissimum reponenda sit, satis probata erit Angelorum ad statum supernaturalem erectio, modo constet ipsos a primo creationis suæ instanti gratiæ sanctificantis participes fuisse. Illud autem declarabit sequens

Assertio : *Angeli omnes in gratia santificante creati sunt.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Angelos bonos gratia sanctificante, durante eorum via, donatos fuisse, merito colligitur ex textibus infra adducendis, quibus probabitur ipsos beatitudinis supernaturalis consortes esse, gloria siquidem gratiam sanctificantem veluti seminalem rationem præsupponit.

Quod autem Angeli, et quidem omnes, a primo creationis instanti hanc gratiam acceperint, aperte innuunt quæ in Scriptura dicuntur de malis Angelis; quod enim de malis respectu gratiæ asseritur, a fortiori de bonis prædicandum est. Porro (*Isa.*, XIV, 12) legitur : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, » qui mane oriebaris, » etc.; quod dictum fuisse de diabolo in persona regis Babylonis sensit Hieronymus; his autem verbis non tantum exprimitur amissio cujusdam dignitatis eminentis antea habitæ, quæ in re præsenti alia esse nequit ac sanctitas, sed etiam clare indicatur hujusmodi sanctitatem a primo existentiæ initio concessam fuisse. Ergo.

Insuper (*Ezech.*, XXVIII, 12 et seq.) hæc habentur : « Tu si- » gnaculum similitudinis, plenus sapientiæ et perfectus decore, » *in deliciis paradisi Dei fuisti*; omnis lapis pretiosus operi- » mentum tuum. Tu Cherubim *perfectus in viis tuis, a die con-* » *ditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* » Quod etiam de Lucifero in persona Regis Tyrii dictum fuisse docent SS. Patres. Unde sic arguere licet : Lucifer fuit perfectus a die conditionis suæ, donec inventa est iniquitas in eo; igitur aliquid per peccatum amisit, quod a die conditionis suæ acceperat, alioquin non fuisset *perfectus a die conditionis suæ, donec inventa est in eo iniquitas.* Sed hoc non potuit esse aliqua perfectio naturalis, cum nullam perfectionem naturalem per peccatum amisit. Ergo fuit aliqua perfectio supernaturalis, seu gratia sanctificans, sub nomine *signaculi similitudinis Dei* merito expressa, cum sit singularis participatio naturæ divinæ, et cum ab ea dimanent virtutes supernaturales sicut proprietates ab essentia, quibus etiam, tanquam lapidibus pretiosis, Lucifer insignitus dicitur ac decoratus.

Confirmatur demum, saltem quoad gratiæ largitionem ante lapsum Angelorum malorum, sive ex verbis Christi de diabolo (*Joan.*, VIII, 44) dicentis : « Et *in veritate non stetit*; » juxta enim communem interpretationem, *veritas*, de qua agitur, non alia est ac rectitudo gratiæ et justitiæ; sive ex doctrina Apostolorum, dicente B. Juda (*Ep.*, v, 6) : « Angelos vero, qui non » servaverunt *suum principatum*,.. vinculis æternis sub caligine » reservavit; » hunc videlicet principatum de supernaturali gratia omnes interpretantur.

PROB. 2. *Auctoritate SS Patrum*; S. Basilius (*in Ps.* XXXII) ait : « Angelos initio ut essent, Verbum opifex omnium condidit; *sanctificationem* vero *simul* impendit ipsis Spiritus Sanctus. » Similiter S. Joannes Damascenus (*de Fide*, l. 2, c. 3) scribit : « Per Verbum Angeli omnes creati sunt ac *per Sancti Spiritus sanctificationem* omnes perfectionis numeros acceperunt. » Sed imprimis notus est S. Augustini locus, in quo (*de Civit. Dei*, l. 12, c. 9) dicit de bonis Angelis : « Cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, *simul in eis condens naturam et largiens gratiam;* » de malis vero subdit : « Isti autem,

qui, *cum boni creati essent*, mali sunt, » etc. Hæc sufficiunt omnemque claritatem præ se ferunt.

Prob. 3. *Ratione theol.* Angeli creati sunt a Deo, ut per condigna merita beatitudinem supernaturalem consequerentur; patebit ex dicendis. Atqui ad hoc gratiam habitualem seu sanctificantem necessariam esse ostendemus in Tractatu *de Gratia*. Ergo Angeli illam habuerunt et quidem ab initio, cum ad beatitudinem statim pervenerint, qui fideles Deo permanserunt.

Hinc patet Angelos una cum gratia sanctificante virtutes etiam supernaturales sive theologicas sive morales, necnon dona Spiritus Sancti accepisse. Ratio est quia, uti jam innuimus et fusius in Tractatu *de Gratia* declarabitur, hæc omnia a gratia sanctificante, sicut proprietates ab essentia, dimanant; sed insuper

45. Quæritur 1. *Utrum præter gratiam habitualem Angelis collata fuerit gratia actualis.*

Resp. *Affirmative.* Audiatur S. Augustinus : « Si hoc adjutorium, inquit (l. *de Corrept. et gratia*, c. 2, n. 32), vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. » — Suadet quoque ratio; nam nulla voluntas potest ferri in id quod est supra naturam et naturæ vires, nisi sit adjuta aliquo alio principio supernaturali, quod dicitur auxilium gratiæ, quia naturalis inclinatio voluntatis non est nisi ad id quod est conveniens secundum suam naturam : atqui Deus, prout est finis supernaturalis, est supra omnem naturam creatam et naturæ vires. Ergo.

46. Quæritur 2. *Utrum Angeli per aliquam sui dispositionem gratiam sanctificantem acceperint.*

Resp. *Affirmative*, saltem *probabilius*. Docet enim S. Thomas (1, q. 63, a. 5, ad 3 et 4) Angelos perfectiores intensiorem gratiam accepisse, quia efficacius sese in Deum converterunt, ac proinde supponit talem conversionem fuisse dispositionem ad gratiam. — Ratio etiam id innuit; nam perfectior modus est habere gratiam per propriam dispositionem quam sine illa, ut iterum docet idem Angelicus (3 p., q, 19, a. 3, et

q. 34, a 3); sed in Angelis, utpote perfectioribus creaturis hujus universi, perfectior modus habendi gratiam admittendus est. Ergo. — Cæterum nihil vetat quod dispositio et forma sint in eodem instanti, quia antecessio temporalis inter dispositionem et formam non requiritur necessario, sed sufficit prioritas naturæ et causalitatis, ut constat in augmento gratiæ, quod justo rependitur in eodem momento, quo elicitur actus intensior, habitu præexistente.

Nec tamen Angeli gratiam meruerunt, si quidem actus ille conversionis ad Deum tanquam finem supernaturalem, quo ad gratiam se disposuerunt, a gratia actuali effective procedebat; adde principium meriti non cadere sub merito, secundum commune theologorum effatum.

47. Quæritur 3. *Utrum Angeli juxta mensuram suæ perfectionis naturalis gratiam acceperint?*

Resp. *Affirmative*, non ita tamen quasi naturales Angelorum perfectiones fuerint dispositiones ad gratiam, sed in eo sensu, quod Deus, ex beneplacito suæ voluntatis, quamdam proportionem inter naturalia Angelorum et sua dona supernaturalia servare voluerit. Ita communiter censent non tantum theologi post S. Thomam, sed etiam SS. Patres, pro quibus appellare satis erit S. Basilium, qui (*de Spirit. S.*, c. 16) dicit : « Cœlorum virtutes non suapte natura sanctæ sunt, sed juxta proportionem, qua se invicem superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram. » — Cujus quidem rei duplicem rationem profert S. Thomas (1, q. 62, a. 6) : *Prima* petitur « ex parte ipsius Dei, qui per ordinem suæ sapientiæ diversos gradus in Angelica natura constituit. Sicut autem natura Angelica facta est a Deo ad gratiam et beatitudinem accipiendam, ita etiam gradus naturæ Angelicæ ad diversos gradus gratiæ et gloriæ ordinari videntur. » *Secunda* desumitur « ex parte ipsius Angeli. Non enim Angelus est compositus ex diversis naturis, ut inclinatio unius naturæ impetum alterius impediat aut retardet, sicut in homine accidit, in quo motus intellectivæ partis aut retardatur, aut impeditur ex inclinationibus partis sensitivæ. Quando autem non est aliquid quod retardet aut impediat, natura in id secundum totam suam

virtutem movetur. Et ideo rationabile est quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius et efficacius ad Deum sint conversi, » ideoque majorem gratiam habuerint, si quidem per hanc conversionem sub impulsu gratiæ moventis, proportionaliter secundum cujusque naturam, non æquali gradu, ad gratiam sanctificantem se disposuerunt.

ARTICULUS II.

De probatione Angelorum.

48. Prænotanda. — I. Angelos sua creatione rectos in statu viæ constitutos fuisse et alicui probationi subjectos aperte colligitur — tum ex *Scriptura*, quando nempe dicitur diabolum in veritate non stetisse, quosdam Angelos non servasse principatum suum. Unde Isaias (XIV, 12) ad hanc probationem alludens exclamat : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui » mane oriebaris; » imo S. Joannes (*Apoc.*, XII, 7, 8) sic eam describit : « Et factum est prælium magnum in cœlo : Michael » et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat » et Angeli ejus; et non valuerunt; neque locus inventus est » eorum amplius; » — tum *ex disertis SS. Patrum testimoniis;* unanimi enim ore asserunt SS. Patres Angelos pro suæ libertatis arbitrio perseverasse vel cecidisse. Audiatur præ cæteris S. Augustinus : « Deus, inquit (*de Correct. et Grat.*, c. 10), sic ordinavit *Angelorum* et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium; » — tum *ex ratione;* nam præterquam quod naturæ intellectuali et liberæ magis congruum est ut ad finem suum libere tendat, non essent mali angeli, nisi per exercitium liberi arbitrii a rectitudine defecissent, ac proinde alicui probationi subjecti fuissent. Omnes quippe Angeli a Deo boni creati fuerant, ex jam dictis, nec fieri potest creaturam esse natura sua malam.

49. — II. Non consentiunt theologi in determinanda natura hujus probationis. Et sane debuit consistere in eo quod cuidam objecto sibi proposito intellectu et voluntate adhærerent Angeli; quodnam vero fuerit objectum illud valde dis-

putatur. Satis erit ad finem nostrum præcipuas sententias referre.

Prima est eorum qui dicunt objectum probationis Angelorum non aliud fuisse quam ipsammet excellentiam divinam, cui se subjicere debuerint Angeli, eam non appetendo; quod quidem merito colligi autumant ex his Scripturæ verbis de Lucifero prolatis : « Ascendam super altitudinem nubium, si-» milis ero Altissimo » (*Isa.*, XIV, 14); — « eo quod elevatum » est cor tuum et dixisti : Deus ego sum et in cathedra Dei sedi » in corde maris » (*Ezech.*, XXVIII, 2); et ex responsione Archangeli Michaelis : « *Quis ut Deus.* » Cui sententiæ multi inter SS. Patres suffragantur.

Secunda patronos habet illos, qui asserunt Angelis propositam fuisse tanquam probationis objectum unionem hypostaticam Verbi divini cum natura humana : Deus nempe Incarnationis mysterium in natura humana perficiendum Angelis revelavit, eosque jussit futurum Christum adorare secundum hæc Apostoli (*Hebr.*, I, 6) : « Et cum iterum introducit primo-» genitum in orbem terræ, dicit : *Et adorent eum omnes Angeli* » *ejus.* »

Tertia sententia, probationis de qua agitur, objectum repetit ex propria Angelorum excellentia modo debito æstimanda et amanda, videlicet, ita ut non appeterent velut finem ultimum id ad quod virtute suæ naturæ poterant pervenire, avertentes appetitum suum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei; vel si appeterent ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quæ est ex gratia, illam haberi non posse per virtutem suæ naturæ, sed ex divino auxilio, secundum Dei dispositionem, agnoscerent. Ita sensit D. Thomas (cf. 1, q. 63, a. 3). Hæc vero sufficiant.

Quidquid igitur sit, omnes norunt non eumdem fuisse probationis exitum ; alii nempe inter Angelos Deo subjecti manserunt æternamque beatitudinem meruerunt; alii rebelles facti defecerunt. De utroque exitu pauca seorsim nunc exponemus.

§ I. De merito bonorum Angelorum.

Duo imprimis statuenda veniunt, nimirum plures Angelos

Deo fideles fuisse ipsosque supernaturalem beatitudinem meruisse ; quæ quidem declarabit sequens

50. Assertio. *Plures ex angelicis spiritibus, Dei auxilio cooperante, in justitia perseveraverunt et beatitudinem supernaturalem meruerunt.*

CONSTAT PRIMUM — sive *Scriptura Sacra*, variis scilicet nominibus, quibus Angeli boni ab Angelis desertoribus secernuntur; dicuntur enim *Angeli electi* (I *Tim.*, v, 21); *Angeli Domini* (*Matth.*, I, 20); *Angeli boni* (II *Mach.*, XI, 6, et XV, 23); *Angeli Dei* (*Ps.* XC, 11); *Angeli Christi* (*Matth.*, XXIV, 3), etc.; — sive *doctrina SS. Patrum*, et imprimis S. Augustini, qui docet omnes Angelos ita conditos fuisse ut lux essent et Deum ac in Deo creaturas cognoscerent; deinde Angelos se convertisse ad contemplandam sui aliarumque creaturarum excellentiam in propriæ naturæ cognitione, quam *vespertinam* appellat; tum Angelos sanctos in liberam Dei laudem caritatemque consurrexisse et factum in eis mane; Angelos autem malos seipsis delectatos nequaquam laudibus et amore fuisse Deum prosecutos, sed in tenebras noctemque sese commutasse (cf. Berti, l. 10, c. 15, apud Knoll, II, § 165).

SECUNDUM vero evinci etiam potest — 1. *Scriptura Sacra*, in qua dicitur (II, *Tim.*, II, 5) : « Non coronatur, *nisi qui legitime* » *certaverit;* » et (*Prov.*, XII, 14) : « Unicuique secundum *opera* » *manuum suarum retribuetur* »; quæ quidem et similia non solum de hominibus, sed etiam de Angelis valent ob generalitatem verborum.

2. *Auctoritate SS. Patrum*, qui diserte asserunt Angelos bonos meruisse suam beatitudinem. S. Isidorus (l. 1, *Sentent.*, c. 10) ait : « Post Angelorum ruinam, hi qui permanserunt firmitatem meruerunt æternæ perseverantiæ et beatitudinis. » Idem affirmant S. Augustinus (*De correct. et grat.*, c. 10 et 11) et Papa Gelasius (*decr. contra Pelag.*).

3. *Ratione* ; namque quælibet res, cui finis non est naturalis, ad illum pertingit per suam operationem ; quæ quidem operatio in finem ducens vel est factiva finis, quando finis ille non excedit virtutem operantis propter finem, vel est meritoria finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem.

Beatitudo autem ultima excedit naturam angelicam (Cf. S. Thomas, 1, q. 62, a. 4). Ergo. — Et vero beatitudo est præmium virtutis; ergo conferri debet propter opera meritoria. — Accedit demum quod omnes conditiones ad meritum requisitæ in Angelorum probatione facili negotio reperiri possunt. Sed de hoc satis.

51. Quæritur 1. *Quot Angeli in sanctitate durante via perseveraverint.*

Resp. Plurimos certo perseverasse, uti colligi potest ex textibus allatis, ubi de multitudine Angelorum; qui textus ad bonos Angelos potissimum spectant. Sed eorum numerum omnino incertum esse, probant etiam rationes ibidem allatæ.

Inter eos eminet S. Michael, qui fuit eorum dux et propterea merito appellatur *Princeps exercitus Angelorum* vel etiam *militiæ cœlestis*. Non consentiunt tamen auctores cujus ordinis fuerit ille Michael.

52. Quæritur 2. *Utrum Angeli uno caritatis actu beatitudinem meruerint.*

Resp. *Affirmative*. Etenim sicut Angelus se habet ex natura sua ad suam naturalem perfectionem, ita se habet ex merito gratiæ ad gloriam : atqui naturalem suam perfectionem non acquirit per discursum, sed statim eam habet per naturam. Ergo similiter gloriam post unum actum obtinere debuit.

Ille tamen actus non intelligendus est de primo motu, quo Angeli, in instanti suæ creationis, sub Dei motione ad Deum se converterunt; quippe qui non simpliciter liber, malisque Angelis sicut et bonis communis fuerit; sed de illo actu caritatis immediate subsequenti, quo ex propria et perfecta deliberatione in suum objectum se movere potuerunt, ita ut bonum et malum eligere valerent. — Item nihil vetat quin sub illo unico caritatis actu tanquam sub principaliore comprehendantur cæteri actus, fidei nempe, spei, cæterarumque virtutum, quos Angeli durante via produxerunt.

§ II. De culpa malorum Angelorum.

53. Plurimos inter cœlestes spiritus Deo rebelles fuisse jam innuerunt quæ supra diximus tum de elevatione, tum de pro-

batione Angelorum. Hic tamen operæ pretium erit speciali demonstratione doctrinam hanc fulcire. Sit igitur sequens

Assertio : *Plurimi Angeli propria culpa a primæva justitia defecerunt.*

PROB. 1. *Scriptura Sacra*; namque (*Job.*, IV, 18) legitur : « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et *in Angelis suis repe-* » *rit pravitatem.* » — Item (*Joan.*, VIII, 44) Christus ad Judæos ait : « Vos ex patre diabolo estis... Ille *homicida erat* ab initio » et *in veritate non stetit.* » — Consonant Apostoli, si quidem S. Petrus (II *Ep.*, II, 4) dicit : « Deus Angelis *peccantibus* non » pepercit ; » et S. Joannes (I *Ep.*, III, 8) : « Qui facit peccatum » ex diabolo est, quoniam *ab initio diabolus peccat...* » Alia omittimus quæ vel jam citata fuerunt vel facile citari possent. His vero et similibus malorum Angelorum existentia indubitanter asseritur ; constat itaque plures Angelos a sanctitate, in qua creati sunt, defecisse.

PROB. 2. *Traditione*. Etenim SS. Patres unanimiter affirmant dari Angelos, qui per peccatum mali facti sunt. Sic S. Chrysostomus (Hom. *de Patientia Job*) ait : « Diabolus non naturæ nomen, sed *præsumptionis est...* non enim diabolus factus est a principio, sed Angelus creatus est. » S. Augustinus (l. 1. *de Nupt. et concup.*, c. 23) : « Diabolus spiritus immundus est, et utique quoniam spiritus est natura, *immundus est de vitio,* bonus quod spiritus, malus quod immundus ; quorum duorum illud a Deo, hoc ab ipso ; » docet pariter S. Joannes Dam. (l. 2, *de Orthod. fide*, c. 4) « principem malorum Angelorum adversus opificem suum Deum se extulisse et rebellare contra eum in animum induxisse. »

Suffragantur Concilia, quando contra Manichæos definiunt Angelos omnes bonos creatos fuisse, malos autem per peccatum factos esse. Sufficiat appellare Conc. Lateran. IV quod (cap. 1, *Firmiter*) hæc habet : « Diabolus a Deo quidem natura creatus est bonus, sed *ipse per se factus est malus.* »

Confirmat denique praxis Ecclesiæ, quando scilicet exorcismos aliosque ritus adhibet ad effugandos dæmones.

54. Quæritur 1. *Qua specie peccati mali Angeli inquinati sint.*

Resp. 1. Certum est *primum* et *principale* Angelorum peccatum fuisse *superbiam*. Constat

1. *Scriptura Sacra*; Isaias (XIV, 11) dicit : » Detracta est ad » inferos *superbia tua*, qui dicebas : in cœlum conscendam, si- » milis ero Altissimo. » Item (*Ezech.*, XXVIII, 17) legitur : « Elevatum est cor tuum in decore tuo ; et (*Tob.*, IV, 14) : « In » ipsa enim (*superbia*) initium sumpsit omnis perditio, » id est, sive Angelorum, sive hominum ; quod iterum affirmatur (*Eccli*, X, 15) quando dicitur : « *Initium omnis peccati superbia.* »

2. *Ex SS. Patribus*, apud quos peccatum Angelorum semper appellatur superbia. S. Hieronymus (Epist. 83) scribit : « Judicium et ruina diaboli nulli dubium, quin arrogantia sit ; et S. Joannes Chrys. (hom. 13 *in Joan.*) : « Non esset cœlo ejectus, neque in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi se hoc scelere (superbiæ) coinquinasset. »

3. *Ratione*. Attenta enim Angelorum natura, videtur primum peccatum, quo se maculaverunt, non fuisse nisi ex inordinato affectu ad bona spiritualia : atqui inordinatus affectus ad bona spiritualia non potest esse nisi peccatum superbiæ ; namque in bonorum spiritualium amore non datur excessus, quin proveniat ex eo quod superioris regula non servetur ; quod quidem est peccatum superbiæ. — Quoad autem propriam indolem hujusce superbiæ, redeunt variæ sententiæ supra recensitæ, ubi de objecto probationis Angelorum.

Resp. 2. Post peccatum superbiæ secutum est in Angelis peccantibus peccatum *invidiæ* ; qua scilicet et de hominis bono et de divina excellentia doluerunt, et hinc est quod aliquando invenitur dictum diabolum *periisse invidia*. Cæterum, præter malitiam superbiæ et invidiæ, alia etiam peccata in agendi ratione Dæmonum deprehenduntur a SS. Patribus, qualia sunt odium Dei, arrogantia, ambitio, inanis gloria, inobedientia, blasphemia, inordinatus amor sui, etc.

55. Quæritur 2. *Quonam numero et ordine lapsi sint mali Angeli.*

Resp. 1. Communis est sententia quod tertia pars Angelorum ceciderit, Joannes siquidem loquens de Angelis sub stellarum figura, ait caudam draconis traxisse tertiam partem

stellarum cœli et misisse eas in terram (*Apoc.*, VIII, 12 et XII, 4). Quod autem Angeli ex plerisque ordinibus ceciderint, patet ex Apostolo, qui inter hominum hostes recenset *Principatus* et *Virtutes* (*Rom.*, VIII, 38).

RESP. 2. Inter rebelles Angelos existit aliquis dux, princeps et antesignanus, qui cæteros in ruinam præcipitasse creditur, quique *diabolus* et *Satanas*, et vulgo *Lucifer* nominatur. — Non pauci tenent hunc dæmonum antistitem fuisse Angelorum omnium principem, ac longe creatis omnibus spiritibus præstantiorem, aut saltem inter præstantissimos numerandum esse. — Is exhortatione vel exemplo cæteros ad peccandum induxit. Justo autem judicio decrevit Deus, ut cujus suggestione culpam admiserant Angeli, ejus imperio subderentur in infernis, et ideo in Scripturis de principe dæmoniorum sæpe fit sermo (Vide Petavium).

56. Quæritur 3. *Utrum Angeli resipiscere potuerint.*

RESP. Negandum videtur, quia hoc est Angelis casus quod hominibus mors, seu, aliis verbis, impossibilis evasit malorum Angelorum pœnitentia, quia post culpam jam non fuerunt in via. Unde SS. Patres asserere non dubitant nullam Angelis factam fuisse pœnitendi facultatem. — Quidquid sit, certum est nullum Angelum de facto pœnitentiam egisse, dicente S. Petro (II *Ep.*, II, 4) : « Deus Angelis peccantibus non pe-» percit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit » cruciandos. » — Nec etiam desunt rationes, quibus ostendi possit Deum juste ac sapienter negasse pœnitentiam, quam hominibus largitus est ; quod expendi solet in Tractatu *de Deo Redemptore*.

57. Scholium. *De duratione probationis seu viæ Angelorum.* Quæstio expendi potest vel relative ad Angelos, vel relative ad tempus nostrum. Porro

1. In via angelica *triplex tantum instans* secernitur. Instans angelicum illud est in quo Angeli nullam mutationem in statu suo experiuntur ; tot igitur erunt in via Angelorum instantia quot invenientur in eorum statu mutationes : porro triplex mutatio assignari potest in via angelica, ac proinde triplex instans. In primo instanti Angeli creantur, donis gratiæ or-

nantur ac Deum agnoscunt et amant. — In secundo instanti viatores fuerunt proprie Angeli et gloriam vel supplicia æterna meruerunt. — In tertio instanti beatitudinis præmium acceperunt SS. Angeli, dæmones vero in tartara detrusi sunt.

Non desunt tamen qui contendunt viam bonorum Angelorum duplici instanti completam fuisse, quia perseverando in actu dilectionis, quem in primo instanti elicuerunt, unicam duntaxat operationem ac proinde unicum instans habuerunt, post quod statim glorificati fuerunt. At prima sententia probabilior videtur.

2. Si relative ad tempus nostrum considerentur instantia angelica, hæc dici solent : primum instans, seu creationis instans, fuit brevissimum. Secundum instans viæ proprie dictæ per aliquod tempus, cujus mensura præfiniri nequit, perseveravit. Nonnulli theologi designant unius diei spatium, quidam unius horæ quadrantem. Nihil est certum, quinimo nihil vere probabile, nisi quod Angeli ante mundum non exstiterunt, ut supra dictum est, et jam extra viam erant tempore quo Adamus peccavit, siquidem diaboli invidia protoparens noster cecidit.

ARTICULUS III.

De ultima sorte Angelorum.

58. Cum duplex fuerit exitus probationis Angelorum, aliis perseverantibus, aliis vero peccantibus, duplex etiam eorum est sors ultima. Dicemus ergo — 1. de beatitudine bonorum Angelorum; — 2. de pœnis malorum Angelorum, seu dæmonum.

§ I. De beatitudine bonorum Angelourm.

59. Bonorum Angelorum beatitudo duplex distinguitur ; naturalis una, supernaturalis altera. Jam vero

Constat — 1. Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali; beatitudo siquidem naturalis consistit in perfectissima Dei contemplatione et amore ut auctoris naturæ : atqui Angeli, quorum intellectus non est formaliter discursivus, perfectam Dei ut auctoris naturalis cognitionem ideoque dilec-

tionem ab initio creationis habuerunt. Ergo in beatitudine naturali conditi sunt. Sed, quidquid dixerint nonnulli, in solis Angelis bonis permansit illa beatitudo; cognitio enim et dilectio Dei ut auctoris naturæ ea tantum conditione beatitudo est, quod sit perfecte subordinata Deo quatenus est naturæ conditor. Sed sola Angelorum bonorum cognitio et dilectio Dei naturalis hanc servavit subordinationem; nec jam in Angelis malis concipi aliter potest intellectus præsertimque voluntas nisi deordinata a Deo etiam ut auctore naturæ. Ergo.

60. Constat — 2. Angelos non fuisse creatos in beatitudine supernaturali. Nam, ex dictis, probationi obnoxii fuerunt promissamque beatitudinem mereri debuerunt.

Superest igitur ut expendamus quatenus eam consecuti sint ac possideant. Hæc declarabit sequens

61. Assertio : *Angeli boni post felicem probationis exitum beatitudine supernaturali, visione scilicet Dei intuitiva, donati sunt, eaque in æternum perfruuntur.*

Prob. 1ª pars, *Angelos* nempe *bonos visione intuitiva Dei donatos esse.*

1. *Scriptura Sacra.* Enim vero ipse Christus (*Matth.*, xviii, 10) dicit : « Angeli eorum *semper vident faciem Patris mei*, » qui in cœlis est. » Jam antea ipse Raphael Angelus (*Tob.*, xii, 15) dixerat se *adstare ante Deum* ; Daniel autem (vii, 10) mente viderat multitudinem Angelorum Deo *ministrantium et assistentium.* Sed insuper iterum ipse Christus (*Marc.*, xii, 25) simpliciter asserit angelos versari « in cœlis ; » demumque Apostolus (*Hebr.*, xii, 22) eos vocat « *Cives in cœlesti Jerusa-* » *lem.* » Porro videre faciem Patris, qui in cœlis est, ministrare et assistere Deo, esse in cœlis cives esse cœlorum, tum ex ipsa vi verborum, tum ex unanimi interpretatione, visionem Dei intuitivam significant. Ergo.

Confirmatur etiam ipsis nominibus, quibus jam diximus Angelos bonos appellari ; hæc enim nomina de bonis tantum Angelis intelligi possunt, qui bonitate supernaturali gaudent vere consummata per gloriam ex visione Dei resultantem, cum jam ex dictis constet eos nunc amplius non esse in *viæ* stadio,

2. *SS. Patribus*, qui unanimes sunt in extollenda beatitudine supernaturali Angelorum bonorum. Pro quibus citare sufficiat S. Gregorium : « Angeli vident (Deum) et videre desiderant; sitiunt intueri et intuentur... desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satietas est sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. »

3. *Ratione theologica.* Quoties sive in Scriptura, sive in Traditione, agitur de beatitudine electorum hominum, Angelis pares ii dicuntur, juxta illud (*Luc.*, xx, 36) : « Æquales » enim Angelis sunt; » atqui electorum hominum beatitudo supernaturalis in visione Dei intuitiva consistit, ut probaturi sumus, ubi de novissimis hominis finibus. Ergo. — Præterea Angeli boni gratia sanctificante in creatione sua donati sunt: atqui gratia sanctificans ratio seminalis est gloriæ, quæ non nisi in strictissima cum Deo conjunctione et visione ipsius intuitiva, fide evacuata, consistere potest. Ergo.

SECUNDA PARS ASSERTIONIS, *Angelos* nempe *bonos visione Dei intuitiva in æternum perfruituros esse*, pariter constat

1. *Scriptura Sacra.* In textu enim supra citato asserit ipse Christus Angelos Patris sui cœlestis *faciem semper videre*: atqui hæc verba *semper*, græce διὰ παντός, idem sonant ac *in perpetuum*; et insuper ex illis verbis saltem colligitur Angelos in visione Dei fixos esse ac immutabiles, cum hæc suapte vi ac natura excludat peccatum. Ergo.

Confirmatur quoque ex iis Scripturæ Sacræ locis, in quibus beatitudo nostra vocatur *vita æterna, immarcessibilis gloriæ corona, corona incorruptibilis.* Atqui Angelorum et electorum sortem esse communem dixit Christus his verbis : « Et erunt sicut Angeli in cœlis; » idemque aperte colligitur ex eis quibus allocuturus est bonos ac malos in ultimo judicio (*Matth.*, xxv, 31-46). Ergo.

2. *SS. Patribus*, quorum una est omnino sententia, si Origenes excipiatur, Patribus sæpius annumeratus, qui censuit post certas sæculorum revolutiones futurum esse, ut et Angeli boni peccarent, ac peccati merito in gehennam mitterentur; dæmones vero pœnitentiam agerent et ad felicitatem pervenirent: sed S. Augustinus, S. Epiphanius et Philastrius opi-

nionem Origenis inter hæreses recensent, et ideo præcipue ab utraque Synodo œcumenica IV et V hæreseos notatur ille auctor.

3. *Ratione.* Et vero si Angelorum beatitudo desitura foret, illud proveniret vel ex eo quod Deus finem huic præstituisset, vel ex eo quod Angeli peccando a Deo deflectere possent : atqui neutrum dici potest; non *prius*; Deus enim, qui res creavit ut in esse permanerent, Angelos in sua perfectione consummatos ipsique similes per gloriam effectos a suo gradu decidere permittere nequit; non *posterius*, « Angeli siquidem beati, inquit S. Thomas (1. q. 62, a. 8), peccare non possunt. Cujus ratio est quia eorum beatitudo in hoc consistit quod per essentiam Deum videant. Essentia autem Dei est ipsa bonitatis essentia. Unde hoc modo se habet Angelus videns Deum ad ipsum, sicut se habet quicumque non videns Deum ad communem rationem boni. Impossibile est autem quod aliquis quidquam velit vel operetur nisi attendens ad bonum, vel quod velit divertere a bono in quantum hujusmodi. Angelus igitur beatus non potest velle vel agere, nisi attendens ad Deum; sic autem volens vel agens non potest peccare. Unde Angelus beatus non potest peccare. » Ergo beatus in æternum sit omnino necesse est.

§ II. De pœnis dæmonum.

62. Certum est — 1. Angelos malos semel lapsos dona omnia gratiæ, quibus ornati erant, perdidisse, et ex amicis inimicos Dei factos fuisse; gratia enim cum peccato consistere nequit, dicente Psalmista (*Ps.* v, 7) ad Deum : « Odisti omnes » qui operantur iniquitatem. »

63. Certum est — 2. Angelorum malorum intellectum obcæcatum fuisse per peccatum, uti docent omnes. Naturalia quidem in eis integra manserunt quoad vim intelligendi et species intelligibiles intellectui inditas, quia Angeli secundum naturam sunt intellectus vel mens; sed tantum in ordine ad cognitionem naturalem *speculativam*, quæ eorum naturam consequitur, non vero in ordine ad *praxim*, in qua, stante speculativa cognitione vera, possunt deficere et errare, uti jam

diximus. — Nec etiam cognitio speculativa supernaturalis totaliter ab eis ablata est, sed valde diminuta ; ratio est quia de secretis divinis tantum eis revelatur quantum oportet, vel mediantibus bonis Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis effecta. — At vero cognitio supernaturalis affectiva et effectiva, quæ producit amorem Dei et ad donum sapientiæ pertinet, simul cum caritate omnino evanuit; nec enim ullum habent affectum bonum ad Deum aut ad quidquam in ordine ad Deum.

64. Certum est — 3. Angelorum malorum voluntatem post peccatum obstinatam in malo ita immobiliter permanere, ut ne unum quidem opus exerceant quod vel moraliter bonum sit. — Constat *Scriptura Sacra*; legitur enim (*Ps.* LXXIII, 23) : « Superbia eorum qui oderunt ascendit semper; » si semper ascendat, nunquam ergo cessat. Item (*Ps.* VI, 6) : « In inferno » autem quis confitebitur. » Haud aliter demum (*Eccl.*, IX, 10) : « Nec opus. nec ratio, nec scientia erunt apud inferos. » — Docent etiam Patres semper Angelos malos operari vel ex odio, quo divinæ voluntati obsistere nituntur, vel ex affectione ad malum finem, vel ex prava aliqua circumstantia, adeo ut etiam tunc quando aliquod opus ex objecto bonum faciunt, male agant, non bene id quod bonum est facientes. Ideo Angelus rebellis per antonomasiam vocatur *Diabolus*, *Satanas*, id est, adversarius, quia consiliis Dei semper resistere conatur. Christus de ipso dicit (*Joan.*, VIII, 44) : « Non est veritas in » eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia » mendax est. » Nec demum immerito passim apud auctores aliis nominibus appellatur, quæ nequitiam ejus significant. — Ratio autem cur diabolus ita obstinetur in malo, repetenda videtur tum ex privatione divini auxilii, quo caret in termino; tum ex odio quo afficitur contra Deum vindicem; tum demum, ut S. Thomæ videtur, ex naturali inflexibilitate voluntatis angelicæ post electionem finis. Remanere tamen videtur quoad media dæmonis libertas, nec verum est eum omnia mala quæ facit in particulari necessario facere; voluntate igitur peccata committit, quibus tamen non demeretur, cum jam in via non sit.

Sed præter exitiales effectus supra recensitos, qui peccatum Angelorum malorum consecuti sunt, alii sunt proprie pœnales, quos sequens declarabit

65. Assertio. *Angeli mali seu dæmones in vindictam peccati sui æternis addicti sunt suppliciis, quæ non tantum in privatione beatitudinis supernaturalis, sed etiam in ignis materialis pœna consistunt.*

Prob. — Ut constet assertio, tria requiruntur et sufficiunt, nempe, Angelos malos in peccati sui vindictam — 1. beatitudine supernaturali privatos fuisse; — 2. ignis materialis suppliciis addictos esse; — 3. hæc supplicia æterna fore; atqui hæc tria constant :

Primum aperte colligitur — tum ex *Scriptura Sacra* (*Apoc.*, XII, 7) et (II *Petr.*, II, 4) ubi legitur Angelos malos non prævaluisse in pugna contra bonos, nec servasse suum principatum, sed dereliquisse domicilium suum, nec amplius inventum fuisse eorum locum in cœlo; — tum ex SS. Patribus, qui etsi in loco assignando dæmonibus non conveniant, in hoc tamen consentiunt, quod e cœlo ejecti visione Dei beatifica privati sint; — tum demum ex illa theologica ratione, quod visionis beatificæ privatio gratiæ sanctificantis amissionem, in iis qui ad terminum pervenerunt, ex sese consequitur.

Secundum constat etiam — 1. *Scriptura Sacra.* Enim vero ipse Christus (*Matth.*, XXV, 41) de pœna ignis diabolo inflicta dixit : « Ite maledicti, in *ignem* æternum, *qui paratus est diabolo* et *Angelis ejus.* » Hunc autem ignem esse materialem, quamvis ab igne nostro distinctum, patet ex plurimis Scripturæ Sacræ locis parallelis, in quibus ignis reprobis destinatus dicitur *succensus in furore Dei et ardens usque ad inferni novissima, ignis devorans et intolerabilis, ardores sempiterni, flamma ignis dans vindictam, gehenna ignis, stagnum ignis, clibanus ignis.* Quæ sane verba de igne materiali, non metaphorico, intelligenda esse dictat hæc interpretationis regula a S. Augustino tradita : verba scilicet Scripturæ Sacræ in sensu obvio et naturali sumenda esse, quoties sensus ille nec absurditatem præ se fert, nec pugnat cum aliis scripturæ locis; neutrum

enim dici potest de igne virtute prorsus divina Angelos malos torquente. Ergo.

Constat — 2. *SS. Patribus.* S. Cyprianus infernum sic describit; « sæviens locus, cui gehennæ nomen est... *eructantibus flammis* per horrendam spissæ caliginis noctem *sæva semper incendia camini fumantis* expirat. » S. Hieronymus Origenem carpit quod ignem inferni metaphorica translatione explicaverit. S. Augustinus et S. Gregorius expresse tradunt ignem gehennæ dæmonibus et hominibus reprobis inflictum esse corporeum. Ne multa; communis est inter catholicos sententia eadem, quæ tamem nullo Ecclesia expresso judicio hactenus definita est.

Tertium, supplicia scilicet dæmonum *æterna* fore, Scriptura et traditio Ecclesiastica in dubium revocari non ferunt. — Nam — 1. Christi verba supra citata *æternum ignem* diabolo et angelis ejus fuisse præparatum exprimunt : quibus ipse Christus iterum subjungit : « Ibunt hi in supplicium *æternum;* » justi autem in vitam æternam. » Ter etiam (*Marc.*, IX, 43) repetit : « Ubi vermis eorum *non moritur*, et ignis *non extin-* » *guitur*, » ne quis, uti observat S. Augustinus, verum omnino esse dubitet quod ibi asseritur. Denique idem confirmatur a S. Joanne (*Apoc.*, XVI, 11) de damnatis dicente : « Fumus » tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum, » et (XX, 10) : « Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. » — 2. Ecclesiastica traditio de æternitate pœnarum diabolo inflictarum adeo constans et universalis est, ut suo jam tempore dixerit S. Augustinus (*in Ps.* LXXVII, n. 28) : « Esse diabolum et Angelos ejus tam malos utique, ut eis ignis præparetur æternus, nullus fidelis ignorat. » Ergo.

66. Quæritur *quomodo dæmones ab igne materiali torqueri valeant?*

Resp. 1. Dæmones non torqueri sola apprehensione ignis ut cruciantis, qui tamen non cruciet, ut quidam dixerunt; ratio est quia hujusmodi apprehensio, si revera ignis non cruciet, esset falsa et delusoria sicque pœna dæmonum esset deceptoria, dum scilicet apprehenderent se cruciari ab igne, cum revera non cruciarentur.

Resp. 2. Dæmones torqueri ab igne inferni per eorum alligationem ad ipsum. Ita S. Thomas (*C. Gent.*, c. 90), ubi dicit quod « substantiæ incorporeæ patiuntur ab igne corporeo per modum alligationis cujusdam. » Et revera absque hujusmodi pœna non possunt plura ex locis Scripturæ salva consistere; qualia sunt illud Epistolæ cononicæ Judæ : « Angelos qui non servaverunt suum principatum, *vinculis æternis* sub caligine reservavit; » et istud B. Petri (II *Epist.*, II, 4) : « Deus An- » gelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detrac- » tos in tartarum tradidit cruciandos; » item illud Apocalypsis (XX, 2) : « Apprehendit draconem et alligavit eum per annos » mille, et misit eum in abyssum et clausit. » — Cæterum hæc dæmonum alligatio possibilis est valdeque afflictiva; possibilis quidem, quia non fit virtute naturali ignis, sed supernaturali, quam Deus ei tanquam instrumento suæ justitiæ communicavit; afflictiva vere, quia nobilissimam creaturam rei ignobili submittit, ejusque captivam facit.

Resp. 3. Non constat inter theologos utrum Dæmones, præter hanc alligationem, alia pœna acerbiori ex parte ignis torqueantur. Affirmant non pauci, dicentes ita verificari illud S. Augustini (*de Civit.*, l. 21, c. 10), nempe dæmones « torqueri ab igne *miris et ineffabilibus, veris tamen modis.* » Thomistæ vero communius negant, eo quod prædicta dæmonum alligatio acerbissimum producit cruciatum, ita ut vix aliud acerbius tormenti genus in substantiis incorporeis excogitari possit.

CAPUT IV.

DE ANGELORUM AD INVICEM ET AD HOMINES HABITUDINE.

In triplici articulo dicemus — 1. de mutuis Angelorum relationibus; — 2. de ministeriis SS. Angelorum; — 3 de impugnatione Dæmonum.

ARTICULUS I.

De mutuis Angelorum relationibus.

67. Triplici ratione Angeli ad invicem referuntur, nimirum : locutione, illuminatione et ordinatione. De his tribus seorsim agendum habemus.

§ I. De locutione Angelorum.

68. Certum est Angelos mutuo seipsos alloqui ; constat tum Scriptura, tum ratione. *Scriptura* quidem, in qua (*Isai.*, VI, 3) dicitur : « Seraphim *clamabant alter ad alterum*, » et (*Apoc.*, VII, 2) : « Vidi Angelum ascendentem ab ortu solis, et clamavit » voce magna quatuor Angelis. » — *Ratione* etiam, siquidem non minus competit naturæ mere intellectuali, cum voluerit, sua secreta alteri manifestare, quam, cum non libuerit, eadem intra se occultare; hoc insuper requirit ordo perfectæ societatis. Sed quæstio est quomodo unus Angelus alterum alloqui possit; pro cujus solutione sit sequens

69. Assertio : *Locutio Angelorum in eo sita est quod unus ad alterum suum conceptum dirigat et ordinet.*

Probatur multiplici ratione.

Etenim loqui nihil aliud est quam conceptum mentis interius latentem exterius manifestare : atqui per hoc quod unus Angelus dirigit et ordinat conceptum suum ad alterum, eum ipsi manifestat; sic quippe cedit Angelus dominio et juri quod habet talem conceptum alteri occultandi, ac proinde velamen tollit quo proprius conceptus claudebatur. Hoc autem velamine sublato, nihil jam impedit quominus alteri manifestus fiat internus conceptus. Ergo.

Confirmatur ex eo quod in illo dicendi modo reperiantur omnia ad locutionem requisita. Namque talis locutio non est tantum interni conceptus de se manifestativa, ut patet ex dictis, sed etiam — 1. facile concipitur quomodo Angelus cui fit, ab Angelo loquente moveri et excitari possit, ad hoc ut attendat locutioni; cum enim Angelus sit semper in actuali consideratione sui ipsius, et per consequens eorum quæ ad

ipsum pertinent, sola directione seu ordinatione conceptus Angeli loquentis statim movetur et excitatur ad audiendum ille quem vult alloqui; — 2. item salvatur quod angelica locutio possit esse secreta et conceptus iis solis innotescat, quibus Angelus loquens hunc vult manifestare, quia pro sua voluntate ad hunc vel illos prædictum conceptum dirigere potest; — 3. explicatur demum quod detur locus mendacio; enimvero Angelus, si velit decipere, duos conceptus formare potest; unum, quo exprimit et cognoscit suos affectus, prout sunt, et hunc retinere; alterum, quo exprimat se tales affectus non habere, et hunc ad alterum Angelum, cui fit locutio, ordinare : quo in casu evidens est quod aliud manifestabit quam quod habet in mente ac ideo mentietur. Ergo.

70. Corollaria. Ex his colligere licet — 1. Locutionem Angelorum fieri posse in quavis distantia; quod quidem sic explanat Angelicus Doctor : « Locutio Angeli, inquit (*loc, cit.*, a. 4), in intellectuali operatione consistit : intellectualis autem operatio Angeli omnino abstracta est a loco et tempore... Unde in locutione Angeli nullum impedimentum facit distantia loci. » — 2. Linguam Angelorum, de qua (1 *Cor.*, XIII, 1) fit sermo, quando dicitur : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, » non esse aliud ac potentiam expeditissimam, quam habet Angelus ordinandi suum conceptum ad alterum; quæ quidem residet tum in intellectu, tum in voluntate.

§ II. De Angelorum illuminatione.

71. Angelorum *illuminationis* nomine intelligitur manifestatio veritatis non simpliciter, quod fit per locutionem, sed *cum magisterio* et doctrina, id est, ita dispositis ab uno rebus aut veritatibus manifestandis, ut vi talis dispositionis alter eas perspicere valeat. — Ab illuminatione sic intellecta non re, sed tantum ratione differunt purgatio et perfectio; nimirum eadem actio, quatenus est manifestatio, dicitur *illuminatio;* quatenus removet nescientiam, dicitur *purgatio*; quatenus tribuendo cognitionem jam habitam, aliquam perfectionem addit, nuncupatur *perfectio*. Quibus præmonitis, sit sequens

72. Assertio : *Angeli superiores illuminant inferiores; hæc*

autem illuminatio fit per solam objecti propositionem accommodatam capacitati inferioris.

Primum, *inferiores* scilicet *Angelos a superioribus illuminari*, 1. *Innuitur Sacra Scriptura*, quando (*Psal.* xxiii) introducuntur quidam Angeli interrogantes : « Quis est iste Rex gloriæ; » et alii respondentes : « Dominus Virtutum ipse est Rex gloriæ. »

2. *Traditur SS. Patribus*, et imprimis S. Dionysio, qui (*De cœlest. hierar.*, c. 7) de hac illuminatione dicit : « Hoc theologi plane tradunt inferiores cœlestium naturarum ordines a superioribus rite divina opera explicantes scientias discere. » Ita etiam S. Joannes Damasc. (l. 2, *Fidei*, c. 3).

3. *Ratione firmatur*; tum quia Angeli superiores, utpote perfectius, subtilius, atque altius intelligentes, hos conceptus universaliores dividendo et explicando, eosdem intelligentiæ inferiorum aptare et communicare possunt et naturali inclinatione volunt; tum quia sapientia divina omnia operari solet mediis causis secundis, subordinando scilicet infima mediis, et media supremis, ut ita magis eluceat divina bonitas.

Secundum, quo asseritur illuminationem fieri *per propositionem objecti accommodatam captui Angeli inferioris*, luculenter explicat D. Thomas (q. 9, *de verit.*, a. 5) post S. Dionysium, qui et ipse suam doctrinam accepisse testatur a Summo Theologo ac beatissimo præceptore suo Paulo. Sic autem breviter statui potest : ad illuminationem requiritur ut manifestetur objectum incognitum per aliquam potentiæ illuminatæ confortationem : sed propositione objecti manifestati accommodata captui Angeli inferioris, id est, ita ut superior Angelus, qui per species universaliores et perfectiores intelligit, veritatem manifestandam distinguat, dividat, sicque aptet intellectui inferioris Angeli, non tantum manifestatur objectum prius ignotum, sed etiam proprio Angeli superioris lumine veluti collustratur ac splendescit; quod quidem potentiam illuminatam confortat, cum proprium luminis est potentiam confortare. Ergo.

73. Corollaria. Hinc — 1. illuminatio duplici modo a simplici locutione differt : primo scilicet, quia locutio est simplex

manifestatio conceptus latentis, illuminatio autem potentiæ intellectivæ confortationem superaddit; secundo, quia locutio potest esse de falso dum illuminatio, utpote actus perfecti-
5 vus, est semper de vero.

Hinc — 2. licet Angeli inferiores alloqui possint superiores, illos illuminare nequeunt, siquidem fieri non potest ut per illustriorem veritatis propositæ manifestationem eorum intellectivam potentiam confortent.

Hinc — 3. Dæmones, etsi sint superiores, alios sibi inferiores non possunt illuminare. Ratio est quia in Dæmonibus nunquam erit certitudo de veritate rei manifestatæ; semper enim dubitare possunt an qui rem ignotam manifestat, verum dicat.

§ III. De Angelorum ordinatione.

74. Prænotanda . — Angeli boni, de quibus solis præsens movetur quæstio, ad invicem ordinantur hierarchiis et choris. Porro *hierarchiæ* nomine, quod idem sonat ac *sacrorum principatus*, intelligitur collectio personarum aliquo modo sacrarum sub aliquo principe. Unde hierarchia nec in rebus irrationabilibus inveniri potest, quia non sunt capaces principatus proprii; nec etiam Deo propter trinitatem personarum attribui potest, cum inter illas nec sit principatus nec ordo dignitatum (Cf. Suarez, *de Angelis*, l. 1, c. 13). Duplex itaque hierarchia distingui potest; *cœlestis*, quæ est inter Angelos; et *terrestris*, quam Christus in Ecclesia instituit. Agitur nunc de cœlesti. — At multitudo sub uno principe non esset bene ordinata, sed confusa, si in multitudine non essent diversi gradus seu *ordines*. Constat igitur hierarchia ordinibus seu *choris*, atque ideo nomine *chori* significatur collectio seu multitudo magis specialis et intra hierarchiam contenta personarum sacrarum peculiarem similitudinem in aliquo munere gratiæ inter se habentium; quod quidem ex infra dicendis magis patebit.

Jam vero, juxta S. Dionysium, Angeli omnes in tres hierarchias distribuuntur, quorum singulæ tres continent ordines seu choros, ideoque novem sunt chori Angelici. In prima

hierarchia sunt Seraphim, Cherubim, Throni; in secunda seu media, Dominationes, Virtutes, Potestates; in tertia seu infima, Principatus, Archangeli et Angeli. Quidam tamen hunc ordinem paululum immutantes Principatus loco Virtutum et Virtutes loco Principatuum collocant.

His præhabitis, quæstio est utrum legitima sit hæc Angelorum distributio. Id autem sequens declarabit

75. Assertio : *Angelorum multitudo in tres hierarchias præsertimque in novem choros jure distribuitur.*

PROB. 1ª PARS hoc brevi discursu ex S. Thoma (1, q. 108, a. 1) deprompto : Multitudo ordinata sub principe multiplicatur secundum modos, quibus ab illo recipit gubernationem : atqui Angeli triplici diverso modo, divinam gubernationem, seu illustrationes quibus a Deo gubernantur, recipiunt; alii nempe rationes, seu secreta divinæ Providentiæ, intuentur in prima et universalissima causa; alii in causis secundis universalibus; alii in causis particularibus, — seu, cum Billuart (*de Angelis*, diss. 8, a. 1), alii veritatis lumen hauriunt immediate in primo principio, quod est Deus, et hi pertinent ad primam hierarchiam, quæ immediate occupatur circa Deum, et *quasi in vestibulis Dei collocatur*, ut dicit Dionys. (c. 7, *de Cœlest. hier.*). Quidam hauriunt illud in universalioribus principiis et causis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur, et hi pertinent ad secundam hierarchiam, ad quam proinde spectat generalis dispositio rerum agendarum. Alii demum in propriis et particularibus causis, et hi pertinent ad tertiam hierarchiam, cui pertinet executioni mandare et applicare causis particularibus ordinem divinæ Providentiæ. Ergo.

SECUNDA PARS, quæ versatur circa *distributionem Angelorum in novem choros*, evinci potest

1. *Scriptura Sacra*. Enim vero de *Seraphim* mentio fit (*Isai.*, VI, 2) his verbis : « *Seraphim* stabant super illud ; » et paulo post : « Volavit ad me unus de *Seraphim*. » — De *Cherubim* (*Genes.*, III, 24) : « Collocavit ante paradisum voluptatis » *Cherubim* ; » et (*Ezech.*, X, 3) : « *Cherubim* stabant a dextris » domus. » — *Thronos*, *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates* commemorat S. Paulus (*Colos.*, I, 16), quando dicit : « Sive

» *Throni*, sive *Dominationes*, sive *Principatus*, sive *Potestates*, » omnia per ipsum et in ipso creata sunt. » — *Virtutes* addit (*Eph.*, I, 20, 21), ubi etiam recensentur alii ordines. « Consti- » tuens ad dexteram suam... supra omnem *Virtutem*. » — Memorantur *Archangeli* (1 *Thess.*, IV, 15) : « In jussu et in » voce *Archangeli*. » — Demum frequens occurrit mentio de *Angelis*, v. g. (*Rom.*, VIII, 38) : « Neque *Angeli*, neque Prin- » cipatus, neque Virtutes. » Ergo.

2. *Traditione*, et imprimis auctoritate SS. Patrum, qui Angelorum choros frequenter et passim appellant. Ex Græcis Patribus, audiatur S. Chrysostomus : « Si ad invisibiles virtutes venias, inquit (Hom. 4, *in Gen.*), et animum intendas ad *Angelorum* exercitus, *Archangelorum*, cœlestium *Virtutum*, *Dominationum*, *Principatuum*, *Potestatum*, *Cherubim*, *Seraphim*, quæ mens, quæve oratio ad eloquendam inexplicabilem ipsius magnitudinem par esse possit? » — Inter Patres Latinos, præ cæteris notus est locus S. Gregorii M. qui (Hom. 34 *in Evang.*) dicit : « Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. Esse namque Angelos et Archangelos, pene omnes sacri eloquii paginæ testantur, Cherubim vero atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque Ordinum nomina Paulus apostolus ad Ephesios scribens enumerat, dicens : « Supra » omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Domi- » nationem » (I, 21). Qui rursus ad Colossenses scribens ait : « Sive Throni, » (I, 6). Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim ac Seraphim adjuncti sunt, procul dubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur. »

Confirmatur ex sensu Ecclesiæ, quæ in sua liturgia Angelorum Ordines velut distinctos multoties commemorat, v. g., in Cantico *Te Deum*, in diversis præfationibus, in Antiphona ad primas Vesperas festi Omnium Sanctorum (Cf. S. Thomas, 1. q. 108, a 2).

76. Corollarium 1. Hinc Angelorum in tres hierarchias distributio desumenda est ex diversa eorum habitudine sive respectu Dei, sive ad se invicem, sive ad res ipsas gubernandas. Videlicet :

1. Respectu *Dei*, prima hierarchia ea est quæ, ut ait S. Dionysius, circa Deum assidue versatur, illique jugiter inhærere ac præ cæteris immediatius uniri traditur (*de Cœl. hier.*, c. 6); — secunda, quæ ita ad Deum refertur ut divinas illustrationes per primam hierarchiam recipiat, easque ad tertiam transmittat; — tertia, quæ divinas illustrationes a superioribus accipit sed nulli inferiori Angelorum ordini transmittendas.

2. Respectu *Angelorum*, alii illustrant, nec per alios illustrantur, et ad primam hierarchiam pertinent; alii et per alios illustrantur, et alios illustrant, et hi secundam hierarchiam efformant; alii ab aliis illustrantur, sed non alios illustrant, et sunt de tertia hierarchia.

3. Respectu *rerum gubernandarum*, alii Angeli recipiunt rationes rerum, secundum quod procedunt a causa universali, quæ est Deus; et iste modus convenit primæ hierarchiæ, quæ immediate ad Deum extenditur et quasi in vestibulis Dei collocatur, ut dicit Dionysius (*de Cœl. hier.*, c. 7); alii vero prout hujusmodi rationes dependent ab universalibus causis creatis quæ jam aliquo modo multiplicantur, et hic modus convenit secundæ hierarchiæ; alii tandem secundum quod hujusmodi rationes applicantur singulis rebus, prout dependent a propriis causis, et hic modus convenit infimæ hierarchiæ (S. Thomas, 1, q. 108, a. 1). Vide de hoc Perriot (*de Angelis*, p. 2, sect. 1, c. 1).

77. Corollarium 2. Hinc diversi Angelorum ordines inter se distinguuntur sive secundum dona gratiæ, sive secundum dona naturæ. Et quidem — 1. secundum *dona gratiæ;* nam « ordo gubernationis qui est ordo multitudinis sub principatu existentis attenditur per respectum ad finem. Finis autem (Angelorum)... consistit in visione divinæ essentiæ, et in immobili fruitione ipsius; ad quem finem pertingere non possunt nisi per gratiam; unde secundum respectum ad hunc finem ordines distinguuntur in Angelis » (S. Thomas, 1, q. 108,

a. 4). — 2. Sed insuper distinguuntur secundum *dona naturæ*, quia Angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem naturalem, ut jam dictum fuit.

Quia vero imperfecte Angelos et eorum officia cognoscimus, non adeo clara est ipsa ordinum sigillatim sumptorum distinctio. Potest tamen ex proprio cujusque nomine aliquatenus illustrari : *Seraphim* sic dicuntur, quasi incensores a Deo ; quia amore divino accenduntur, cæterosque accendunt. — *Cherubim*, quasi sapientia prædíti ; quia a Deo illuminati, fluenta scientiæ cæteris refundunt. — *Throni*, quasi sedes sapientiæ et justitiæ Dei ; quia divina judicia et imperia cæteris denuntiant. — *Dominationes*, quasi divinam auctoritatem et majestatem exprimentes ; quia præcipiunt agenda, quæ a Thronis acceperunt. — *Virtutes*, quasi virtute divina pollentes ; quia causas universales movent. — *Potestates*, quasi potentiam Creatoris habentes ; quia curant ne Virtutum actio a causis inferioribus perturbetur. — *Principatus*, quasi prælationem gerentes ; quia more principum in exequendis divinis mandatis cæteros mittunt et ducunt. — *Archangeli*, quasi præcipui missi ; quia majora annuntiant. — *Angeli*, quasi inferiores nuntii ; quia minora prædicant.

78. Corollarium 3. Hinc hierarchia, quantum ad gratiam et gloriam pertinet, non potest esse in Dæmonibus. Ratio evidens est. — Aliqua tamen prælatio apud Dæmones existit, quantum ad naturam et ad naturæ gradum, quia eam retinent et hoc convenit divinæ Sapientiæ, quæ nihil in universo inordinatum reliquit. Unde (*Luc.*, XI, 18) dicitur : « Si Satanas in » seipsum divisus est, quomodo stabit *regnum ejus*. » Item (*Marc.*, III, 22) : « In *principe dæmoniorum* ejicit dæmonia ; » nec aliud significat Christus, quando de igne inferni dicit quod paratus sit *Diabolo et Angelis ejus*.

Adnotant tamen auctores Dæmonum subordinationem et concordiam non ex amicitia, quam inter se habent, sed ex communi nequitia, qua homines odio habent et justitiæ Dei repugnant, procedere. Nihil igitur dignitatis vel gloriæ his qui præsunt, accrescit, sed potius augmentum miseriæ.

ARTICULUS II.

De bonorum Angelorum ministeriis.

79. Tria bonis Angelis ministeria adscribi solent, nempe; rerum in genere præsidentia, hominum peculiaris custodia, missiones quædam extraordinariæ. De singulis pauca dicemus.

§ I. De generali præsidentia bonorum Angelorum.

80. Etsi Deus rerum omnium supremus sit gubernator nulliusque in eis regendis auxilio indigeat, hunc tamen Angelis bonis honorem impendere voluit, ut eos imperio suo ministros adsciscerel, rebusque omnibus præficeret. Hæc autem bonorum Angelorum præsidentia res materiales ac visibiles, populos et Ecclesiam ipsam complectitur.

Et quidem — 1. *rebus materialibus præfici* Angelos bonos constat Scriptura Sacra (*Apoc.*, VII, 23; XIV, 18; XVI, 1, etc.), ubi est sermo de Angelis bonis, qui potestatem habent *supra ignem*, aquas, ventos, fruges terræ, et ideo haberi possunt ut elementis præpositi. — Cui quidem interpretationi suffragantur SS. Patres : « Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, inquit S. Augustinus (*Quæst.*, l. III, q. 79.), sicut aliquot locis Scriptura testatur... S. Gregorius (*Moral.*, l. 9, c. 17) ait etiam : « Per hoc quod dicitur : *sub quo curvantur qui portant orbem*, possunt et Angelicæ potestates intelligi. Ipsæ enim orbem portant quæ regendi mundi curas administrant. » — Idem denique confirmat S. Thomas (1, q. 90, a. 1) sic arguens : « Tam in rebus humanis quam in rebus naturalibus, hoc communiter invenitur, quod potestas particularis gubernatur et regitur a potestate universali,... et ideo sicut inferiores Angeli qui habent formas minus universales, reguntur per superiores, ita omnia corporalia reguntur per Angelos. Et hoc non solum a SS. Doctoribus ponitur, sed etiam ab omnibus Philosophis qui incorporeas substantias posuerunt. »

2. *Populis* quoque *regendis* præficiuntur Angeli boni. Colli-

gitur ex Danielis prophetia (x, 20, 21) ubi legere est descriptam contentionem inter Angelos Persarum et captivorum Judæorum nomine principum designatos, qui, cum populi sibi commissi causam sollicite agant, eo ipso ostendunt bono cujusque gentis spirituali potissimum procurando Angelos præfici. Ita sentiunt SS. Dionysius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Ex antiquioribus autem S. Epiphanius (*Hæres.* 51) ait: « Regna et gentes sub Angelis posita sunt. » Nec non Clemens Alex. (*Stromat.*, l. 6) hæc habet : « Per gentes et civitates divisæ sunt Angelorum præfecturæ. »

3. *Ipsius* demum *Ecclesiæ rebus gerendis* Angeli præponuntur : constat enim ex Danielis capite citato Archangelum Michaelem principem fuisse Synagogæ; hodie vero ab ipsa Ecclesia idem invocatur et habetur ut patronus suus ac defensor ; eum quippe constitutum esse decet principem super populo Dei, qui militiæ cœlestis obtinuit principatum, potiorisque conditionis esse debet Ecclesia quam omnia regna mundi. Quin etiam docent SS. Patres singulis Ecclesiis regendis et custodiendis præfici Angelos ; idemque asserunt probatissimi auctores de singulis ordinibus religiosis, monasteriis, parochiis, sodalitatibus, seminariis. Unde communiter ac pie creditur Pontifices, reges, prælatos, superiores et alios rectores sibi habere ratione muneris obeundi specialem Angelum, ab eo distinctum cujus assistentia gaudent ut personæ privatæ.

81. Scholium. Ex omnibus autem Angelis, quos Deus sibi in administrandis rebus naturalis simulque supernaturalis ordinis consociavit, septem eminere videntur quibus universalior sublimiorque potestas concessa est; de his quippe mentio sæpius fit in Scriptura. Sic legitur apud Tobiam (XII, 15) : « Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus » ante Deum ; » et in Zacharia (IV, 10) hæc occurrunt : « Sep» tem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam ter» ram. » Quibus omnino consonat S. Joannes in Apocalypsi (I, 4 ; V, 6 ; VIII, 2 ; XV, 6). Præter autem Michaelem, Gabrielem et Raphaelem, cæterorum nomina aut ignota sunt aut vix conjiciuntur.

§ II. De Angelorum bonorum custodia.

82. Angelos bonos hominum viatorum custodiam gerere fide certum est; apertissime enim colligitur ex plurimis Scripturæ Sacræ testimoniis, quorum duo tantum citare satis est. In libro Psalmorum (XC, 11, 12) de homine qui habitat in adjutorio Altissimi legimus : « Angelis suis (Deus) mandavit de te, » ut custodiant te in omnibus viis tuis; » Apostolus etiam (*Hebr.*, I, 14), scribit : « Nonne omnes sunt administratorii » Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem » capiunt salutis? » Quæ certe verba absque argumento rem evincunt. De qua cæterum constans est et unanimis SS. Patrum sententia, et Ecclesiæ doctrina, et fidelium sensus. In hoc demum patet ac splendescit mirabilis illa caritatis lex, qua Deus Angelos cum hominibus, superiores cum inferioribus devinciri voluit.

Inquiritur autem utrum singulis hominibus singuli Angeli deputentur. Jam vero, etsi propositio affirmans communiter doceatur, inter veritates tamen definitas recenseri non debet. Ad illam igitur merito propugnandam sequens sit

83. Assertio. *Suum Deus cuique homini custodem Angelum deputat.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* — Præter enim textus modo citatos qui facili negotio in sensu assertionis intelligi possunt, hæc ipsius Christi verba adducuntur (*Matth.*, XVIII, 10) : « Vi- » dete ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis » quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei; » ex quibus sic arguimus : Christus ne *unum* quidem ex *pusillis* quos ostendit, scandalo exponi gestiens, hanc rationem scandalizantibus objicit, *Angelos eorum* semper videre faciem Dei, apud quem scilicet causam pupillorum agunt; atqui tum verba Christi *ne unum ex his pusillis, Angeli eorum*, tum ratio scandali avertendi quam suggerit, cuique puero ac proinde cuique homini suum custodem Angelum assignari manifeste evincunt : Ergo.

Confirmatur pluribus Veteris ac Novi Testamenti factis. Sic Agar Angelum habuit qui eam angustiis in deserto pressam

solatus est et e periculo eripuit; Jacob etiam Angeli sui subsidio tribuit (*Gen.*, XLVIII, 16) quod a multis malis erutus fuerit, eumque filiis Joseph benedicens invocat; Judith (XIII, 20) victoriam suam et populi salutem Angelo comiti referendam esse gaudens celebrat: cum demum liberatus e carcere Petrus ad domum, ubi fideles erant congregati, pulsaret, et ancilla nuntiaret adesse Petrum, fideles *dicebant* (*Act.*, XII, 15) : « Angelus ejus est, » quod iis in mentem venire nisi ex communi fide potuit.

PROB. 2. *SS. Patribus.* Suum cuique deputari custodem Angelum asserunt SS. Patres, inter quos S. Hieronymus ait « magnam esse dignitatem animarum ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum » (in c. 8 *Matth.*, n. 19). — S. Chrys. : « Unusquisque fidelis habet Angelum » (Hom. 3, in c. 1 *epist ad Colos.*, n. 3).

PROB. 3. *Ratione*, quam sic explanat S. Thomas (1, q. 113, a. 2) : « Angelorum custodia est quædam executio divinæ providentiæ circa homines. Providentia autem Dei aliter se habet ad homines et ad alias corruptibiles creaturas, quia aliter se habent ad incorruptibilitatem. Homines enim non solum sunt incorruptibiles quantum ad communem speciem, sed etiam quantum ad proprias formas singulorum, quæ sunt animæ rationales, quod de aliis rebus corruptibilibus dici non potest. Manifestum est autem, quod Providentia Dei principaliter est circa illa quæ perpetuo manent : circa vero ea quæ transeunt providentia Dei est in quantum ordinat ipsa ad res perpetuas. Sic igitur providentia comparatur ad singulos homines sicut comparatur ad singula genera vel species corruptibilium rerum. »

84. Corollaria. Ex dictis merito colligitur — 1. non solum justis sed etiam peccatoribus et infidelibus præsto esse custodes Angelos; nulla enim exceptionis est ratio. Sed eo majori subsidio indigent peccatores ac infideles, quo periculosius a virtutis veritatisque tramite procul aberrant. — 2. Ab ipsa saltem nativitate custodem Angelum cuique dari, ut aperte significant verba Christi de pusillorum Angelis, asserunt Patres, et exigit cujusque hominis natura rationalis propriam a nativitate viam

ingrediens. Nec desunt auctores qui hac eadem ratione angelicam custodiam ab ipso instanti infusionis animæ in corpus incipere docent. Ita sentire videntur Tertullianus, S. Bonaventura, S. Anselmus, cujus hæc verba citat Suarez : « Unaquæque anima dum in corpus mittitur, Angelo committitur. » — 3. Angeli custodiam per totam vitam perdurare nec nisi in morte finiri; quippe cujus usque ad ultimum vitæ exitum momentum ac necessitas eadem sint. — Hominem tamen sibi commissum Angelus ad aliquid interdum dimittit, inquit S. Thomas (*loc. cit.*, c. 6), prout scilicet non impedit quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem judiciorum divinorum.

85. Quæritur 1. *Quænam sint functiones custodiæ Angelicæ?*

Resp. Præcipua quæ hominibus sibi commissis munera præstant Angeli custodes, sic recensentur : — 1. Eos a periculis et malis imminentibus liberant. Dicit Jacob : « Angelus » qui eruit me de cunctis malis. » (*Gen.*, XLVIII, 16; cf. IV *Reg.*, VI, 17; XIX, 35; *Tob.*, VI, 1). — 2. Impediunt ne dæmones hominibus noceant : « Raphael Angelus apprehendit » dæmonium, et relegavit illud in deserto » (*Tob.*, VIII, 3), ne videlicet noceret Tobiæ. — 3. Pias cogitationes suggerunt ad prosecutionem boni et fugam mali (*Exod.*, XXIII, 21 ; *Genes.*, XVI, 9; *Exod.*, XXIII, 23; *Judith.*, XIII, 20; *Tob.*, VI, 11 et XII, 6). — 4. Preces nostras Deo offerunt, suasque ipsi nostris conjungunt. « Alius Angelus venit... ut daret de orationibus » Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante » thronum Dei » (*Apoc.*, VIII, 3; *Tob.*, III, 25; XII; 12). — 5. Pro nobis orant, etiam cum non oramus, nec bonum agimus, imo etiam cum peccamus, ut nobis conversionis gratias impetrent. — 6. Suos clientes pœna medicinali corripiunt. — 7. Clientum suorum animas in Purgatorio consolantur, easque plene purgatas ad cœlum deducunt, ut colligitur ex Luc. (XVI, 22) : « Factum est autem ut moreretur mendicus, et por- » taretur ab Angelis in sinum Abrahæ. »

Non putandum tamen Angelos custodes dolere ex eo quod sæpe sæpius eorum monita spernamus; nam dolor supponit mentis tristitiam et voluntatis oppositionem : cum autem

Angeli beneplacito divino plenissima mente adhæreant, nihil contra eorum voluntatem accidere potest. Abhorrent quidem ab hominum peccatis, sed Dei voluntatem ea permittentis ac vindicantis approbant et venerantur.

86. Quæritur 2. *Quisnam sit Angelorum custodum ordo?*

Resp. Angeli privatorum hominum ex ultimo Angelorum choro, id est, ex ordine angelico desumi creduntur. Angeli vero qui ad multitudinis custodiam, aut eorum qui multitudini præsunt, deputantur, ex ordinibus superioribus probabiliter desumuntur. Quin etiam nil obstat quin Angeli ad custodiam virorum pietate eximiorum, ut SS. Apostolorum, et imprimis hominum ac Angelorum Reginæ, deputati, ex ordinibus sublimioribus desumpti dicantur. — (Vide Knoll, *de Creatione*, § 172, 173).

87. Quæritur 3. *Quænam Angelis custodibus homines retribuere teneantur?*

Resp. Præclare pro suo more S. Bernardus ea quæ nobis erga Angelos tutelares incumbunt officia exponit; expendens enim hæc Davidis verba, *Angelis suis mandavit de te*, etc. : « Quantam, inquit, tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam; reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. — De *reverentia* autem hæc subdit : « In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe; tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. » — De *grati animi sensu* sic disserit : « Etsi ille (Deus) mandavit, ipsis quoque qui et ei ex tanta caritate obediunt, et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus. » — Ut *fiduciam* demum nobis suadeat mellifluus Doctor, Angeli tutelaris invocationem his verbis commendat : « Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem Angelum tuum, doctorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus et tribulationibus, inclama eum et dic : Domine, salva nos, perimus. » — Ex quibus concludere fas est Ecclesiam sanctis Angelis custodibus merito

persolvere præcipuum cultum duliæ (Cf. *Breviarum Rom.*, 2 octob.).

§ III. De missionibus extraordinariis sanctorum Angelorum.

88. Angelorum ministeria extraordinaria duplicis generis sunt: missiones nempe speciales, in quibus a Deo per imperium procedunt, ut incipiant esse ubi non erant sive ad aliquid nuntiandum, sive ad aliquid hominibus præstandum, sive ad aliquid exequendum majoris momenti; et apparitiones divinarum personarum in persona Angelorum. De utroque hujus modi ministerio hæc nobis tenenda videntur.

89. — I. Angeli quandoque in ministerium extraordinarie mittuntur. De fide est in variis locis Scripturæ Sacræ tradita. Enim vero ipse Deus (*Exod.*, XXXIII, 2) Moysi dixit : « Mittam » præcursorem tui Angelum; » legtiur etiam (*Matth.*, XIII, 41) : « Mittet Filius hominis Angelos. » Sed factis præsertim constat missio Angelorum; sic Raphael Angelus ad Tobiam deputatus est, ut eum sanaret et Saram filiam Raguelis a dæmonio liberaret; Angelus Dei missus est, ut exercitum Sennacherib bellatorum strage dissiparet; Gabriel Angelus ad B. V. Mariam missus est, ut de Incarnatione Verbi divini ac salute mundi ipsius Dei nomine cum ea ageret... Hujusmodi autem missionis hanc rationem affert S. Thomas (1, q. 116, a. 1) : « Creatura corporalis per Angelos administratur. Cum igitur aliquid est faciendum per aliquem Angelum circa aliquam creaturam corpoream, de novo applicatur Angelus illi corpori sua virtute, et sic Angelus incipit de novo ibi esse. Et hoc totum procedit ex imperio divino. Unde sequitur secundum præmissa quod Angelus a Deo mittatur. Sed actio quam Angelus missus exercet procedit a Deo sicut a primo principio, cujus nutu et auctoritate Angeli operantur, et in Deum reducitur sicut in ultimum finem. Et hoc facit ratione ministerii; nam minister est sicut instrumentum intelligens. Instrumentum ab alio movetur et ejus actio ad aliud ordinatur. Unde Angelorum actiones ministeria vocantur et propterea dicuntur in ministerium mitti. »

90. — II. Soli Angeli inferiores qui *ministrantes* vocantur,

missiones peragunt; nunquam vero Angeli superiores qui dicuntur *assistentes*. Ratio est quia *ministrantes*, ex suo nomine, ad operandum exterius ordinantur; non vero *assistentes*, quorum nomen nullam operationem externam significat, sed immediate illuminantur a Deo et circa ipsum veluti occupantur : porro proprietates Angelorum et eorum officia ex eorum nominibus manifestantur, ut docet S. Dionysius (*Hier.*, c. 7); nec ulla esse potest causa cur inter Angelos prætermittatur ordo statutus secundum dona gratiæ nec superiorem habens, cum præsertim in ministeriis divinis nihil sit quod per ordines inferiores exerceri nequeat; ergo. Hinc inferunt theologi, præsertim Thomistæ, Angelos quatuor priorum ordinum nunquam mitti, sed tantum Angelos quinque inferiorum ordinum.

91. — III. Omnes apparitiones Dei sub Veteri Testamento, nec non sub Novo Testamento, excepta Incarnatione Verbi divini, in persona Angelorum factæ sunt.

Quoad apparitiones sub Veteri Testamento, res constare videtur tum ex apparitione in qua tres Angelos sub specie virorum vidit Abraham, et unum adoravit, nempe Deum, cui soli debetur adoratio; tum ex apparitionibus quibus dignatus est pluries Jacob in somnis, nec non Moyses sive in igne rubi sive in Sina monte; tum ex testimonio B. Pauli dicentis legem veterem per Angelos ordinatam fuisse, etsi ipse Deus loqui videretur. — Constat etiam SS. Patribus, inter quos S. Dionysius et S. Augustinus expresse asserunt Deum per Angelos visibilem factum fuisse Patriarchis et aliis sanctis viris. — Suffragatur denique ratio, siquidem, ex dictis, constat inferiora per superiora Deum gubernare; nec enim a divina gubernatione deficiunt apparitiones prædictæ, etsi extraordinariæ sint.

Quoad apparitiones Dei quæ sub Novo Testamento contigerunt, nulla dari potest ratio cur, excepta Incarnatione, ab eadem regula excludantur; Angelis igitur tribuendæ videntnr.

ARTICULUS III.

De impugnatione dæmonum.

92. Triplici modo a Dæmonibus homines impugnari solent,

nempe : tentatione, alicujus mali physici inflictione, et obsessione vel possessione. De hac triplici impugnatione nunc agendum venit.

§ I. De impugnatione dæmonum quæ fit per tentationem.

93. « Homo tentari dicitur, inquit Knoll (*de Angelis*, § 179), dum per inordinatos stimulos, qui excitantur, per fallacia motiva, quæ suggeruntur, per blandas occasiones, quæ suppeditantur, ad peccandum inducitur. » Plurimas hujusmodi tentationes ex concupiscentia carnis et mundi seductione oriri omnes norunt. Hic vero inquiritur utrum et quatenus homines a Dæmonibus in peccatum alliciantur.

94. Assertio : *Homines a dæmonibus frequenter tentantur, non tamen absque permissu divino, neque ita, ut ad peccandum cogantur.*

Prima pars, homines videlicet a dæmonibus *tentari* constat

1. *Scriptura Sacra*, in qua diabolus vocatur *tentator* (*Matth.*, iv, 3), *qui tentat* (I *Thess.*, iii, 5), *qui seducit universum orbem* (*Apoc.*, xii, 9), *homicida ab initio* (*Joan.*, viii, 44); quæ quidem appellatio non de occisione corporis, sed præsertim animæ intelligenda est ; — plura exhibentur tentationis diabolicæ exempla; sic diabolo tribuuntur protoparentum seductio (*Gen.*, iii, et seq.), Judæ proditio (*Joan.*, xii, 2, 27), Ananiæ et Saphiræ agendi ratio (*Act.*, v, 3), etc. ; — homines monentur ad præcavendas dæmonum tentationes : nota sunt præ cæteris verba S. Petri (I *Epist.*, v, 8) : « Sobrii estote et vigilate, quia » adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret : » cui resistite fortes in fide. » Similia leguntur in sexcentis aliis locis.

Prob. 2. *Traditione ;* enimvero SS. Patres unanimi ore tentationum diabolicarum existentiam profitentur. Audiatur solummodo S. Augustinus (*Solil.*, c. 16) dicens : « Diabolus omnibus modis instat die ac nocte sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. » Narrant insuper plurimi ex SS. Patribus varias tentationes, quas a dæmone passi sunt Sancti nonnulli, quorum vitam describunt.

Prob. 3. *Ratione*; triplex quippe assignari potest causa,

propter quam homines a dæmonibus tententur : prima est quia dæmones hominibus *invident :* invidia enim excitatur malitia adversus eos, quibus invidetur; unde S. Thomas (1, q. 114, a. 1) de dæmonibus dicit : « Propter invidiam profectum hominis impedire nituntur. » — Secunda est *superbia*, qua scilicet dæmones, uti prosequitur Angelicus doctor (*loc. cit.*), divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem, sicut et Angeli Deo ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem. » — Tertia est *odium* Dei quo fit ut homines etiam, utpote Dei opus et imaginem, odio prosequantur et peccato maculare studeant; hujusmodi rationem indicat Theodoretus (l. 3, *de Græc. affect.*), dicens « malos Angelos rabie quadam contra humanum genus incitatos, quod ad imaginem Dei factum videbat, atrox bellum adversus hominem accepisse. » Ergo.

Secunda pars, qua asseritur homines non tentari a dæmonibus, nisi *Deo permittente*, similiter evincitur

1. *Sacra Scriptura*, quando nempe dicitur Deum Satanæ permisisse ut servum suum Job diversimode vexaret; quod quidem indicat dæmonum potestatem a Deo physice regulari, non tantum in infligendis malis ordinis physici, sed etiam et a fortiori in tentationibus adhibendis; quippe cum Deus multo magis curet de spirituali animæ profectu quam de salute corporis.

2. *Auctoritate SS. Patrum*, pro quibus audiendi sunt S. Augustinus (*in Psal.* c) dicens : « Diabolus nulli nocet, nisi acceperit potestatem a Deo; » et S. Joannes Damascenus (l. *de Fide*, l. 2, c. 4) scribens : « Nullam adversus quemquam vim ac potestatem habent nisi ea ipsis Dei consilio ac dispensatione concedatur. »

3. *Ratione* ; si enim divina Providentia ita omnia gubernat, ut ne unus quidem ex passeribus sine voluntate Dei super terram cadat, multo minus sine permissione divina nihil homini accidere debet.

Tertia pars, in qua dicitur homines nunquam a dæmonibus *ad peccandum cogi*, probatur quoque

1. *Scriptura Sacra* ; testatur enim Apostolus (I *Cor.*, x, 13)

nunquam eam esse vim tentationis, ut ab homine gratia divina adjuto superari nequeat, his verbis : « Fidelis autem Deus est, » qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis ; sed fa- » ciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » Quod quidem præstat Deus præsertim per bonorum Angelorum custodiam.

2. *Testimoniis SS. Patrum* idem unanimi ore docentium. Audiatur solummodo S. Hieronymus, qui (in c. 4 *Matth.*) hæc verba a dæmone ad Christum prolata : *Mitte te deorsum*, ita exponit : « Vox diaboli est, qui semper omnes cadere deorsum desiderat : sed persuadere potest, præcipitare non potest. »

3. *Ratione*. Peccatum namque in voluntate consistit : sed dæmones, etsi voluntatem inclinare possint, immutando nempe inferiores hominis vires, illam tamen cogere nequeunt; solius quippe Dei est voluntatem immutare. Ergo.

95. Corollarium. Ex modo dictis colligere fas est tentationes diabolicas, etsi a malitia dæmonum procedant, divinæ tamen ordinationi subjacere ; nedum vero a sapientia et suavitate divinæ providentiæ alienum sit quod humanum genus in tam evidens et gravissimum periculum multiplicandi peccata constituatur, summa e contra bonitate et sapientia Deus hoc permisit ac disposuit ; multæ siquidem afferri possint rationes, ob quas justi et sancti a dæmonibus tentari legitime et convenienter permittuntur. Nimirum

1. *Ex parte Dei*, conveniens fuit homines a dæmonibus tentari, tum quia divinæ gratiæ efficacia in hominibus arrogantem hostem summa fortitudine superantibus illustrior evadit, tum quia ipsemet casus eorum qui labuntur in majorem ostensionem gratiæ Dei redundat, tum quia per tentationem ostendit etiam Deus quam gratis donetur gratia sua; quippe qui, licet omnibus hominibus, quos a dæmone tentari permittit, auxilium præbeat, quo possint, si velint, tentationem vincere, gratiam tamen efficacem ad vincendum dat cui vult et quantum vult.

2. *Ex parte hominis*, multæ rationes adduci possunt. Una est major hominum gloria, quæ ex victoria tentationum resultat; nam ut ait Apostolus (II *Tim.*, II, 5), « non corona-

» bitur, nisi qui legitime certaverit : » addit vero S. Bernardus (serm. 64, *in Cantic.*) : « Quomodo certabimus, si desit qui impugnet. » — Secunda ratio est ad continendos homines in humilitate et tremore, suæque imbecillitatis agnitione. — Tertia, ut necessitatem gratiæ profiteatur et ad orandum cum humilitate excitetur.

Addi potest hominem in statu innocentiæ a dæmone tentari permissum fuisse, ut virtus ejus exerceretur, constantia et obedientia probaretur, et ut, intercedente pugna, gloriosior esset corona; post vero lapsum humani generis tentationem dæmonum non tantum esse virtutis exercitium, et viam ad victoriam et coronam, sed etiam pœnam peccati.

3. *Ex parte dæmonis*, ante hominis peccatum data est illi hæc facultas ad ejus majorem confusionem et dejectionem; nam si ab homine fuisset in prima tentatione victus, statim ejus imbecillitas ostenderetur; si vero tunc homines vinceret, ut de facto vicit, et Deus ita futurum esse prævidit, nihilominus inde pararetur via, seu præberetur occasio Deo altiori et potentiori modo triumphandi de diabolo per eamdem humanam naturam non solum in Christo deificatam, sed etiam lapsam, et per gratiam Christi adjutam ac reparatam. Unde licet per peccatum hominis nova quædam ratio orta fuerit ex parte dæmonis, ut illi facultas tentandi homines concederetur, quia ipsos superaverat, hæc tamen potestas in majorem ejusdem confusionem redundavit. Neque potest inde gloriari quod plures homines vicerit et a paucioribus fuit victus; præterquam enim quod in his quos vicit, solum voluntatem infirmam hominis vicit, non Dei potentiam et gratiam, saltem victus est Dæmon ab omnibus hominibus, quos Deus ad reparandas sedes cadentium Angelorum prædestinaverat.

96. Quæritur 1. *Utrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli?*

Resp. Fatentur omnes cum S. Thoma omnia hominum peccata a dæmone *indirecte* causari, quia nempe « instigavit primum hominem ad peccatum, ex cujus peccato consecuta est in toto genere humano quædam pronitas ad omnia peccata. »

Non tamen dicendum videtur dæmonem esse causam direc-

tam omnium peccatorum ; seu aliis verbis, non omnia peccata committuntur instigante diabolo, sed quædam ex mobilitate liberi arbitrii vel etiam ex carnis corruptione procedunt. Dicitur enim (*Genes.*, VIII, 21) : « *Sensus et cogitatio humani cordis* » in malum prona sunt ab adolescentia sua ; » et (*Jac.*, I, 14 et 15) : « Unusquisque tentatur *a concupiscentia sua* abstractus » et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit pec- » catum. » — Suffragantur SS. Patres et imprimis S. Joan. Chysostomus, qui (hom. 54, *in Acta*) ait : « Multi etiam absque diabolo pereunt. Profecto non omnia ipse efficit, sed multa etiam fiunt a sola nostra ignavia. » — Confirmat demum ratio, siquidem in homine ob defectibilitatem liberi arbitrii sufficiens adest causa peccati, semota diaboli immediata tentatione. Ita docet S. Thomas (1, q. 114, a. 3) contra nonnullos Patres qui senserunt omnia hominum peccata esse ex tentatione dæmonis; momenta vero hujus sententiæ exponit Suaresius (*de Angelis*, l. 7, c. 19, n. 14 et seq).

97. Quæritur 2. *Quomodo dæmones hominem ad peccatum moveant?*

Resp. Dæmon multiplici modo homines tentare potest, videlicet :

1. *Excitando passiones in appetitu sensitivo* : « Per modum disponentis, inquit S. Thomas (*de Malo*, q. 3, a. 4), potest (diabolus) esse causa peccati, in quantum per similem commotionem spirituum et humorum facit aliquos magis dispositos ad irascendum vel ad concupiscendum. Manifestum est enim, quod corpore aliqualiter disposito, est homo magis pronus ad concupiscentiam et iram et hujusmodi passiones, quibus insurgentibus homo disponitur ad consensum. »

2. *Objectum ad peccatum alliciens proponendo;* hoc autem facere potest diabolus juxta Angelicum Doctorem (*loc. cit.*) « visibiliter et invisibiliter. *Visibiliter* quidem, sicut cum in aliqua specie homini sensibiliter apparet et ei sensibiliter loquitur et persuadet peccatum, sicut tentavit primum hominem in paradiso in specie serpentis; et Christum in deserto, in aliqua specie ei visibiliter apparens. » — *Invisibiliter* vero, sive movendo aut perturbando imaginationem ; constat enim

apparitiones imaginarias causari interdum in nobis ex locali mutatione corporalium spirituum et humorum (Cf. S. Thomas, 1, q. 111, a. 3) ; sive sensus immutando : quæ quidem immutatio naturalem Angelorum ac proinde dæmonum virtutem non excedit ; « potest enim Angelus, inquit D. Thomas (1, q. 111, a. 4), opponere exterius sensui sensibile aliquod vel a natura formatum, vel aliquod de novo formando, sicut facit, dum corpus assumit... Similiter etiam potest interius commovere spiritus et humores..., ex quibus sensus diversimode immutantur. »

Ex quibus patet dæmonem *exterius* quidem homines ad peccandum movere, non vero *interius*, id est, immediate agendo in ipsam voluntatem et eam ad malum inclinando ; ratio est, juxta Doctorem nostrum (1, q. 111, a. 2), quia sicut « inclinatio naturalis non est nisi a Deo, qui dat naturam, ita inclinatio voluntaria non est nisi a Deo, qui causat voluntatem. Imo ne potest quidem dæmon objectum ad peccatum alliciens proponere, immediate agendo in ipsum intellectum eumque immutando ; Angelus enim intra potentiam spiritualem, qualis est intellectus, illabi nequit, neque proinde in hominis intellectu efficienter et immediate operari (Cf. C. Mazzella, *de Angelis*, a. 9).

98. Quæritur 3. *Utrum sit cuilibet homini malus Angelus ad pugnam, sicut cuique est bonus ad custoidam?*

Resp. Affirmant nonnulli dicentes Luciferum, qui propter superbiam et æmulationem opera Dei audet usurpare, cuilibet homini dæmonem tentatorem deputasse, ut colligi posse videtur ex I Petr., v. — Alii vero negant, tum quia hæc opinio de Angelo tentatore cuilibet homini deputato nullum habet solidum fundamentum neque in S. Scriptura, neque in Traditione, sed potius videtur ortum habere ex superstitione gentilium, qui duos genios homini affingebant ; tum quia plures sunt homines incapaces exercitii ad virtutem, quales sunt pueri et amentes ; tum quia non verisimile est Deum permittere quod dæmones continuo insidientur hominibus, qui jam aliunde sunt admodum infirmi. Ita Billuart (*de Angelis*, diss. 8, a. 3).

§ II. De impugnatione dæmonum quæ fit per inflictionem mali physici.

99. Certum est — 1. dæmones corpora localiter movere posse : ratio est quia naturam Angelicam integram servaverunt, cujus ea est vis ut naturam inferiorem, corpoream scilicet, locali motu, agitare possit. Hæc tamen dæmonum sicut et Angelorum naturalis virtus limitata est, quia non est proportionatum naturæ ipsorum, ut mutent ordinem elementorum mundi; sed, etsi limitata sit, virtute nostra major est : virtus quippe nostra ad corpus unitum contrahitur, nec nisi per illud alia movere potest; angelica autem virtus corpora etiam non conjuncta, quæ ipsi proportionata sunt, localiter movere valet (Cf. S. Thomas, 1, q. 110, a. 3 ; *de Malo*, q. 16, a. 10 ad 8).

100. Certum est — 2. dæmones, motus localis ope, alios motus causare posse, adhibendo scilicet agentia corporalia ad effectus sibi connaturales producendos, sicut faber adhibet ignem ad emollitionem ferri. Qua de causa, quamvis dæmones non possint materiam reducere in actum formæ substantialis, non adhibita naturali causa, quia nempe non habent similitudinem cum compositis naturalibus, nec in sua virtute composita hujusmodi continent quantum ad materiam et formam, quod solius Dei proprium est; attamen possunt adhibere semina quæ in elementis mundi inveniuntur, et causis naturalibus uti ad omnes effectus producendos qui ad hæc semina vel naturales hujusmodi causas spectant.

101. Certum est — 3. ex dictis, dæmonum potestatem iis efficiendis imparem, quæ vires naturæ corporalis excedunt, maximam tamen esse ad sensus sive interius sive exterius immutandos, quippe qui in eos agere possint tum ab interiori, per mutationem localem corporalium spirituum et humorum, tum ab exteriori, objiciendo formam corpoream ex aere aliave substantia formatam.

Ex quibus statim inferre licet multa mala physica a dæmonibus infligi posse hominibus. Quo vero evidentius res pateat, sit sequens

102. Assertio : *Dæmones, juxta præfixos a Deo limites, mala physica hominibus non semel infligunt.*

PROB. 1. *Scriptura Sacra.* Malorum physicorum, quæ, permittente Deo, hominibus dæmones inferunt, plura nobis exempla exhibet Scriptura. Sic Job non bonis tantum fortunæ agente dæmone nudatur, sed filiis omnibus orbatur, et ipse in corpore suo ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem percutitur; sic dæmonium, Asmodæus nomine, Saræ filiæ Raguelis septem viros occidit (*Tob.*, III, 8); et insuper (*Psal.* LXXVII, 49) legimus : « Misit in eos (Ægyptios) iram » indignationis suæ : indignationem et iram et tribulationem; » immissiones per Angelos malos. »

PROB. 2. *Traditione.* Nocumenta, quæ hominibus dæmones infligunt, sæpius etiam testantur SS. Patres, sive cum sacras litteras interpretantur, sive cum fideles adhortantur et edocent. S. Gregorius Magnus (super 7 Psal. pœnit., *Ps.* VII, 11) hæc habet : « Diabolus occupat incautos, inermes sauciat, timidos expoliat, alios cæcat, alios captivat, alios suffocat. » Nec aliter S. Augustinus (Enarr. *in Ps.* CXXX, 7) : « Dolores, inquit, corporis plerumque immittuntur ab Angelis Satanæ, sed hoc non possunt nisi permissi. » Unde Ecclesia in sua liturgia nos Deum orare edocet, ut « dentes retundat invidi... fuget catervas dæmonum... hostemque nostrum comprimat. » Quas quidem petitiones in oratione Completorii sic concludit : « Visita, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle. »

PROB. 3. *Ratione.* Qui alteri invidet, nocumentum omne quod est in sua potestate inferre ei satagit. Diabolus autem invidia in homines ardens gravissima quæque mala, pro ea qua pollet virtute in naturam corpoream, causare eis potest. Ergo.

Diximus in assertione *juxta præfixos a Deo limites;* ex adductis enim testimoniis patet nihil in homines posse dæmones nisi juxta mensuram ordinationis divinæ; nec aliunde providentiæ divinæ fides et ratio sentire sinunt homines ac res corporeas eorum usui destinatas dæmonum libitui relinqui. Sed tamen noxiam suam virtutem exerere dæmones, eas ob

rationes permittere potest Deus, quas supra ubi de tentatione diabolica enumeravimus, præsertim vero ut elucescat patientia justorum, majorique invidia ipsi tabescant, uti ex historia Job colligitur.

§ III. De impugnatione dæmonum quæ fit per obsessionem.

103. Obsessionis notio. Obsessionis quidem nomine plures intelligunt actionem dæmonis extra hominis corpus existentis, et eum ad malum impellentis, non tantum interne pravis cogitationibus, sed etiam externe quibusdam effectibus sensibilibus; sed istiusmodi obsessio revera non distinguitur a tentatione juncta inflictioni mali physici de quibus modo egimus. Obsessio igitur rectius pro possessione sumitur, et in eo sensu definitur : *Actio dæmonis qui corpus hominis intrat, in illo habitat, et in illud agit, turbando sensus et membra, hominem torquendo variis modis, quandoque etiam insolitas vires ei præbendo.* « Signa obsidentis dæmonis, ait Rituale Romanum (*de Exorcit.* Obsess. a Dæm.), sunt : ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere et alia id genus. »

104. Errores. Obsessionis seu possessionis diabolicæ possibilitatem negarunt ii omnes qui dæmonum existentiam, ut olim Sadducæi et hodie rationalistæ et increduli rejecerunt : quibus annumerandi sunt plures Deistæ, qui, Voltairio duce, Scripturas irrident eo quod de dæmoniacis eorumque curatione testimonium ferunt. — Veritatem autem possessionum impugnarunt non pauci præteriti vel præsentis ævi philosophi, Protestantes, aliique nomine tenus catholici, inter quos medici plures, qui dæmoniacorum nomine in sacris litteris lunaticos, epilepticos aliove morbo laborantes designari contendunt. — Alii denique nullum a dæmone obsessum post mortem Christi, a quo dæmon victus est et ex mundo ejectus, existere posse contendunt. Quid vero sentiendum sit declarabit sequens

105. Assertio : *Veri nominis possessiones sive ante sive post mortem Christi datas fuisse omnino compertum est.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Sæpius enim in sacris litteris de

possessionibus mentio fit absque ulla verborum ambiguitate, et eas contextus a morbis et infirmitatibus sedulo secernit. Sic (*Matth.*, IV, 24; VIII, 16) legitur: « Obtulerunt ei omnes » male habentes, variis languoribus et tormentis comprehen» sos, *et qui dæmonia habebant*, et lunaticos et paralyticos, » et curavit eos... Obtulerunt ei *multos dæmonia habentes* et » ejiciebat Spiritus verbo; et omnes male habentes curavit. » Quibus omnino consonant quæ leguntur in aliis Evangelistis (*Marc.*, I, 32, 34; *Luc.*, VII, 21; VIII, 2; XIII, 32). Agendi autem ratio Christi idem plane evincit; Christus enim dæmones alloquitur, eis imperat, permittit ac comminatur, et ex eorum ejectione infert destrui regnum Satanæ; quæ certe conciliari nequeunt cum morbo infirmitateve naturali (*Luc.*, VIII, 30; IV, 41; XI, 17). Ipse demum Christus tristitiam ac mœrorem expulsi dæmonis describit, Apostolosque concessa sibi in dæmones potestate gloriantes ad humilitatem hortatur, hac præsertim ratione innixus, quod ipsis superbia ruinæ causa fuerit. Quis autem non videt hæc inepte dicta fuisse morbi naturalis occasione? — Ergo.

Quod autem etiam post mortem Christi acciderint possessiones diabolicæ invicte probatur — tum ex verbis Christi Apostolis suis potestatem ejiciendi dæmones concedentis, cum jam ab eis discessurus erat, ut constat ex S. Matthæo (X, 1) et S. Marco (XVI, 17); — tum ex usu acceptæ potestatis ab Apostolis, quam efficaciter adhibitam fuisse ex Actibus Apostolorum compertum habemus (*Act.*, V, 16; VIII, 6, 7; XIX, 12, 15, 16).

Nec dicatur per dæmonium specialem quemdam morbum in Scriptura designari, v. g., morbum comitialem, furorem, amentiam, phrenesim, vel aliquid hujusmodi: nam, etsi obsessi his infirmitatibus obnoxii quandoque fuerint, expresse testatur Scriptura illas infirmitates possessionis diabolicæ consectarium fuisse, nec semel solius obsessionis mentio fit. Sic de Magdalene in civitate peccatrice dicitur tantum (*Luc.*, VIII, 2) septem dæmonia ex ea exiisse. Item puella *Spiritum Pythonem* (*Act.*, XVI, 16) habuisse dicitur, qui per ipsam divinabat.

Prob. 2. *Traditione.* Enimvero legenti SS. Patrum opera

patebit illos docuisse dari veros dæmoniacos; — inesse in Ecclesia potestatem dæmones expellendi e corporibus eorum quos possident; — hanc potentiam sæpissime ad actum redactam fuisse. Reperietur insuper paganos ab illis haud raro provocatos fuisse, ut experientia confirmarent utrum reipsa christiani dæmones valerent ejicere. Appellare sufficiat Tertullianum; hic nempe (*Apolog.*, c. 23) ait : « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constat : jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. » Postea concludit : « Jam ergo subjecta christianis divinitas vestra. »

Consonat Ecclesiæ praxis. — Constat enim in omni liturgia dari exorcismos ad dæmones e corporibus hominum ejiciendos; constat pariter esse in Ecclesia ordinem specialem ministrorum, quorum ministerium principale et primarium est dæmonum expulsio : porro hæc duo esse nequeunt quin vel sint aut esse possint reales possessiones, vel erret Ecclesia; sed cum posterius dicere absonum sit, confitendum superest veras adesse possessiones.

Prob. 3. *Ratione.* Si enim admittendæ non essent possessiones diabolicæ, foret præsertim vel quia physice sunt impossibiles, vel quia moraliter repugnant. Atqui neutrum dici potest. — Non *prius*, quia « dæmones, ait S. Bonaventura (*in* 2, dist. 8), per naturam suæ subtilitatis et spiritualitatis possunt quæcumque corpora penetrare, et in eis sine aliquo obstaculo et impedimento subsistere; ratione vero suæ potestatis possunt ea corpora, in quibus sunt, commovere ac conturbare. » — Non *posterius*, quia neque Dei attributis, neque fini hominis obstat diabolica obsessio. Deus siquidem dominium suum rerumque gubernationem nihilominus servat, nec in ea dæmonem intervenire permittit nisi ob sapientissimas rationes, probationem scilicet bonorum pœnamque malorum, timorem malorum quæ animæ haud secus ac corpori inferre potest, virtutemque demum ac gloriam Christi dæmones expellentis extollendam. Fini autem hominis non obstat etiam obsessio; nunquam enim ea est obsidentis dæmonis in hominem actio, ut ipsius tollat libertatem quoad actus internos vimque merendi

ei adimat. Quin etiam justus, in tanta afflictione positus, actus patientiæ cæterarumque virtutum summe meritorios elicere potest; impius vero per ea quæ patitur mala, ad pœnitentiam admissorum peccatorum inducitur: nedum igitur impediatur homo a fine consequendo, ad illum contra efficacius tendere admonetur. Ergo.

106. Scholium. Ubi de possessione diabolica pronuntiandum est, maxima utendum est cautione. Negari enim non potest, multorum ignorantia aut etiam malitia, possessionum numerum ob leves rationes temere quandoque auctum esse. Sed tamen eorum etiam excessus vitandus est, qui possessiones e medio tollere vellent. Etsi enim hodie rariores sint in Christianorum regionibus, eas tamen Deus permittere potest, ac de facto interdum permittit.

PARS II.

DE HOMINE.

107. Cum de natura et facultatibus hominis fusius agatur in Philosophia, hic nobis satis erit disserere de ejus — 1. origine; — 2. elevatione; — 3. lapsu; — 4. futura vita.

CAPUT I.

DE HOMINIS ORIGINE.

108. Vix ulla est quæstio quæ nostris temporibus tanto æstu agitata fuerit ac hominis origo. Nos, prætermissis iis quæ a philosophis tradi solent de animæ humanæ origine, nonnulla breviter exponemus — 1. de protoparentum creatione; — 2. de totius humani generis ab uno Adam propagatione; — 3. de humani generis antiquitate.

ARTICULUS I.

De protoparentum creatione.

109. Errores. Non defuerunt inter veteres, qui contenderunt hominum genus non immediate a Deo conditum fuisse, sed ex naturæ tellurisve fecunditate productum fuisse, vel infinita quadam generationum serie semper extitisse. — Ex recentioribus incredulis, plurimi materialismo indulgentes, asserere non dubitarunt homines ex ovo, vel ex putredine, vel ex mari aut ex piscibus aliisve bestiis ortos esse. — Hic vero potissimum occurrit systema eorum qui *Transformistæ* nunc vocari solent. Juxta illos, Deus immediate condidit materiam vel quasdam species inferiores, quæ naturali et continua, licet lentissima, evolutione in alias perfectiores transformatæ sunt, donec tandem post varias intermedias formas prodiret homo. Si autem ab eis quæratur ex quanam inferiori specie homo immediate traxerit originem, simiam assignant anthropomorpham; si quæratur insuper quænam fuerint primi hominis formæ primordiales, alii cum Lamarch duas formas esse dicunt, quas vocant *proto-organismos*, qui et ipsi a materia rudi et inorganica per generationem spontaneam educti sunt; alii quinque formas admittunt, quas vocant *prototypa;* ita Darwin, qui tamen innuit spem fore ut tempore et studio omnes formæ ad unam revocentur; unde fatetur se hactenus primam vitæ originem ignorare.

Hæc mera esse figmenta veraque mentis deliria nemo non videt ; attamen cum ubique proclamentur ut scientifica ratio originis humanæ naturæ, abs re non erit catholicam doctrinam de immediata creatione primi hominis paucis stabilire; sit igitur sequens

110. Assertio : *Primi parentes non tantum quoad animam, verum etiam secundum corpus, immediate a Deo conditi sunt.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*; hæc quippe leguntur in Genesi : « Et *creavit* Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem » Dei *creavit* illum : masculum et feminam *creavit* eos (I, 27).

» — *Formavit* igitur Dominus Deus *hominem de limo terræ*, et » inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo » in animam viventem (II, 17). — Immisit ergo Dominus Deus » soporem in Adam : cumque obdormisset, *tulit unam de costis* » *ejus*, et replevit carnem pro ea. Et *ædificavit Dominus Deus* » *costam*, quam tulerat de Adam, *in mulierem*. Dixitque Adam : » *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea* » (*Ibid.*, 21-23). His vero aperte declaratur primos parentes, Adamum scilicet et Evam, per specialem et immediatam Dei actionem productos fuisse. Ergo.

Nec dicatur totam hanc narrationem de formatione hominis et præsertim mulieris non litteraliter, sed allegorice exponendam esse; nedum enim aliquid proferri valeat, quo innuatur præfata verba in sensu tropico intelligenda esse, contextus e contra sensum litteralem exigit; sic non recte Adam expergefactus dixisset, uxorem sibi a Deo oblatam designans : « *Hoc* » nunc *os de ossibus meis* et caro de carne mea », nisi revera Deus Evam ex costa Adæ produxisset.

Cæterum, quæ in Genesi narrantur de protoparentum productione, pluribus aliis Scripturæ locis confirmantur; namque (*Eccli.*, XVII, 1, 5) dicitur : « Deus *creavit de terra hominem*, » et secundum imaginem suam fecit illum... *Creavit ex ipso* » adjutorium simile sibi. » Apostolus vero (I *Tim.*, II, 13) scribit : « *Adam primus formatus est, deinde Eva;* » et (I *Cor.*, XI, 8) : « Non vir ex muliere, sed *mulier ex viro*. Etenim non » est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. »

PROB. 2. *Traditione*. Enimvero SS. Patres non tantum litteraliter mosaicam narrationem de hominis creatione interpretantur, sed etiam — expressis verbis distinguunt triplicem Dei actionem : creationem materiæ, formationem corporis humani, et inspirationem animæ; ita S. Gregorius Naz. (*orat.* 38), S. Augustinus (*de Civit. Dei*, l. 14, c. 11); — hominis formationem, etiam quoad corpus, velut speciale divinæ potentiæ opus admirantur; ita Tertulianus (*de Resur. carr.*, c. 16), S. Joannes Chrysost. (in c. II *Genes.*, hom. 12, n. 4); — varias rationes afferunt cur Deus ex Adæ costa mulierem fecerit; ita S. Augustinus (tract. 9 *in Joan.*, n. 10); — quæs-

tionem instituunt utrum Deus, in producendo corpore protoparentum, Angelorum ministerio usus fuerit; ita S. Basilius (hom. 6 *in Hex.*). S Ambrosius (*Hex.*, l. 6, c. 7).

Suffragantur theologi scholastici, quorum una est ea de re sententia; imo non desunt qui docent immediatam a Deo productionem corporis protoparentum catholicam esse doctrinam; ita Suarez (*de Opere sex dier.*, l. 3, c. 1, n. 4 et 6). Cf. etiam Perrone (*de Deo Creat.*, p. 3, c. 1, prop. 1).

Accedit denique auctoritas Concilii Later. IV idem his verbis (cap. *Firmiter*, proponentis : « Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, corporalem et spiritualem, angelicam scilicet et mundanam, et deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. »

Prob. 3. *Ratione* contra Transformistas, quorum principium omnino arbitrarium esse, simulque experientiæ et sanæ philosophiæ repugnare absque negotio ostenditur.

Et quidem — 1. hujus sententiæ patroni nullam dictorum suorum solidam rationem afferunt : frustra quippe invocant varietates et stirpes, quæ ex individuis unius ejusdemque speciei oriri et propagari possunt; nam exinde male concluditur species et ipsas posse variari ac mutari; quod enim ad speciem pertinet essentiale est, quod vero constituit varietates aut stirpes ut mere accidentale habendum est. Quod quidem ipsa natura nos edocet; dum enim conjunctio individuorum diversæ speciei omnino sterilis est vel producit tantum individua hybrida, quæ infecunda remanent, species contra indefinitam habet fecunditatem semperque generat juxta typi identitatem.

2. Experientia constat pisces a piscibus, animalia ab animalibus, hominem ab homine propagari; unde Transformistæ et ipsi legem quamdam permanentiæ specierum, quæ perfectionem attigerunt, admittere coguntur. — Nullibi etiam apparet vestigium formarum intermediarum, quas vegetalia et animalia percurrere dicuntur, ut ad formas perfectiores assurgant. — Imo nostra animalia ab iis non differunt quæ Aristoteles, Plinius, Homerus et alii in suis operibus describunt; unde de Quatrefages (*Charles Darwin et ses précurseurs Français*, p. 337, Paris 1870, dicit : « Tout nous conduit à conclure que

les lois n'ont pas plus changé dans le monde organique que dans le monde inorganique; et que dès les temps paléontologiques, l'hybridation et le métissage réglait le rapport des espèces et des races comme ils le font aujourd'hui. Admettre qu'il a pu en être autrement d'une manière, soit régulière, soit accidentelle, c'est opposer à tout ce que nous savons sur le présent et le passé de notre globe, le *possible*, *l'inconnu*, en d'autres termes, l'hypothèse prenant pour point de départ notre ignorance même. »

3. Sanæ philosophiæ Transformistarum placita adversantur; docet quippe sana philosophia ens quodcumque ad conservationem, non ad destructionem suam tendere : sed, admisso Transformistarum systemate, ad destructionem suam vere tenderet, si transmutari appeteret quoad suam speciem. Mutata enim specie seu essentia, ens præcedens omnino destruitur (S. Thom., 1, q. 63, art. 3). — Insuper natura determinata determinatas habet activas vires, propriasque ideo operationes elicit; nunquam vero elicere potest operationes alterius naturæ, quæ scilicet ex vi ejus intrinseca promanant. Jam vero admissa Transformistarum hypothesi, animal unius speciei operationes eliceret animalis ad aliam speciem pertinentis, imo operationes animalis natura superioris, ac proinde produceret effectum cui omnino impar est; quæ quidem manifeste repugnant. — Nec juvat dicere concursum agentium exteriorum vi illius intrinsecæ aliquid addere; horum enim influxus quoad speciem determinatur ab ipso subjecto illum recipiente; sic plantæ diversæ speciei in iisdem circumstantiarum adjunctis positæ modificantur secundum modum naturæ suæ consentaneum, nec individua suæ naturæ producere desinunt.

Plurima quidem argumenta in favorem suæ sententiæ adducunt adversarii; hæc autem referre ac refellere non necesse est. Non possumus tamen illis non applicare quæ dicit regius vates (*Ps.* XLVIII, 13) : « Homo quum in honore esset non » intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis » factus est illis » (Cf. Mazella, *de Deo creante*, disp. 3, art. 1).

ARTICULUS II.

De totius humani generis ab uno Adam propagatione.

111. Errores. Nonnulli, quorum primus fuit, juxta quosdam, Clemens Alexandrinus, docuerunt ante Adam alios homines extitisse; unde vocati sunt *Præadamitæ*. Quidquid sit de Clemente, cujus opera, hac de re, corrupta fuisse non pauci autumant, hunc errorem anno 1655 renovavit Isaacus de la Perreyre, librumque edidit, in quo dicebatur Adamum nonnisi Judæorum patrem merito prædicari. — Præadamitis annumerandi sunt *Coadamitæ;* hi nimirum asserunt unitatem speciei humanæ cum tanta hominum in variis mundi partibus existentium varietate consociari non posse, et exinde plures protoparentes hominum agnoscendos esse, sive ante, sive postea extiterint. — Utrumque errorem refellet sequens

112. Assertio : *Universum humanum genus ab Adam et Eva omnium protoparentibus propagatum est.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*; legitur enim in Genesi : « Creavit » Deus *hominem* ad imaginem suam... masculum et feminam » creavit eos (I, 27). Et *homo non erat*, qui operaretur terram » (II, 5). Adæ vero *non inveniebatur adjutor* similis ejus » (*Ibid.*, 20). Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva : eo quod » *mater esset cunctorum viventium* » (III, 20). — Idem vero confirmatur ex Apostolo (*Act.*, XVII, 26) dicente : « Fecitque » *ex uno omne genus hominum* inhabitare super universam » faciem terræ. » Quæ quidem omnino perspicua sunt nullamque exceptionem admittunt.

Prob. 2. *Ex traditione.* S. Augustinus (tract. 9, *in Joan.*) ait : « *In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant*, non tantummodo Judæorum. » Similia habent S. Joannes Chrysostomus (Hom., *de Carit.*), S. Hieronymus (l. 16, *in Isa.*), Theodoretus (l. 3, therap.). — Cæterum ipse Isaacus Perreyre fatebatur « hypothesim... de primis hominibus ante Adamum conditis, diversam penitus abiisse ab opinione SS. Patrum, necnon aberravisse a toto orthodoxorum Conci-

liorum canone. » — Confirmat quoque constans et universalis persuasio sive Judæorum, sive Gentilium.

Prob. 3. *Ratione.* Præterquam enim quod firmum argumentum contra adversarios depromi potest ex propagatione peccati originalis, quod ab uno Adam in omnes homines derivare certo non posset, si aliqui in mundo existerent homines ab Adam originem non trahentes, nullius roboris sunt rationes, quibus asseritur non unicum esse totius humani generis protoparentem. Triplex quippe affertur ratio : prima deducitur ex corporis organismo, quem ita diversum nonnulli judicant, ut plures hominum species agnoscendæ sint ideoque plures protoparentes; — secunda eruitur ex linguarum varietate; tanta nimirum reperitur inter varia linguarum genera disparitas, ut hæc idiomata ab uno stipite oriri non potuerint; ex quo merito infertur plurimam et non unicam fuisse ab initio hominum linguam, ac proinde homines communem non habuisse originem; — tertia desumenda est ex impossibilitate immensos Oceani tractus transfretandi et ad dissitas insulas necnon in Americam perveniendi. Sed nullum ex his tribus quidquam confert adversus unitatem speciei humanæ.

Non *primum;* constat enim, ex studiis physiologicis, in tanta hominum varietate nullam reperiri notam, quæ discrimina specifica in humano genere indicet, omnesque diversitates hucusque detectas ex adjunctis externis commode explicari.

Non *secundum;* namque, consentientibus ethnographis hodiernis, linguæ, quantumvis multiplicentur, ita affines sunt, ut eas ab uno fonte provenire merito credatur; imo, ex eorumdem confesso, præfata multiplicatio idiomatum violenter et subito evenit : hæc autem duo narrationem mosaicam de unico omnium hominum protoparente luculenter confirmant.

Non *tertium;* siquidem minime probant adversarii Adæ posteros ad præfatas regiones pervenire non potuisse; ars quippe navigandi antiquissima est, ideoque contingere potuit ut navigantes præter intentionem, Deo providente, vi ventorum ad insulas sibi ignotas, etiam in Americam, devenerint; insuper geographi detexerunt duo hemisphæria ferme con-

tigua esse; neque etiam desunt ritus traditionesve his populis aliisque Europæ aut Asiæ incolis communes, ex quibus merito infertur communis istorum cum aliis hominibus origo. Ergo.

ARTICULUS III.

De antiquitate humani generis.

113. Status quæstionis. Constat ex narratione mosaica sex aut ad summum, pro textuum varietate, octo annorum millia a primi hominis creatione effluxisse. At vero Rationalistæ, hodierna præsertim ætate, contendunt hominem longe ante tempus a Moyse assignatum extitisse, idque probare nituntur tum ex populorum annalibus, tum ex observationibus astronomicis, tum ex inventis paleontologicis vel geologicis. — Hoc autem frustra tentari declarabit sequens

114. Assertio : *Neque ex populorum annalibus, neque ex observationibus astronomicis, nec demum ex inventis paleontologicis aut geologicis quidquam eruitur, unde chronologia mosaica infirmetur.*

Probatur 1ª pars. — Populorum annales, aliquali fide historica dignos, non progredi ultra tempora mosaica, unanimi ore affirmant auctores in rebus historicis peritissimi. — De populis occidentalibus scribit Cuvier : « La chronologie d'aucun de nos peuples d'Occident, ne remonte par un fil continu, à plus de trois mille ans. Aucun d'eux ne peut offrir avant cette époque, ni même deux ou trois siècles depuis, une série de faits liés ensemble avec quelque ressemblance. » — De Egyptiis hæc habet Champollion : « Je demontre qu'aucun monument égyptien n'est réellement antérieur à l'an 2000 avant notre ère. C'est certainement une très haute antiquité, mais elle n'offre rien de contraire aux traditions sacrées, et j'ose même dire qu'elle les confirme sur tous les points. » — De Indis sic loquitur William Jones : « Admettant l'antiquité jusqu'à l'époque à laquelle on peut, avec une apparence de raison, faire remonter les annales de l'Indoustan, nous ne voyons pas de gouvernement établi dans ce pays avant les 2000 ans qui ont précédé l'ère vulgaire,

c'est-à-dire avant l'âge d'Abraham. » Et Heeren : « Nous trouvons avec Jones que le temps d'Abraham est l'époque historique la plus ancienne d'une organisation politique dans l'Inde. » — De Sinensibus Klaproth fidenter negat dari aliquam certitudinem historicam in imperio Sinensi ante annum 732 Christi venturi. Abel Remusat admittit equidem facta historica certa usque ad annum 2200, probabiles traditiones usque ad annum 2637 Christi venturi ; sed quid inde contra Moysen cum juxta LXX interpretes a diluvio ad Christum 3058 anni effluxerint? Ergo veræ populorum traditiones historicæ non contradicunt mosaicæ chronologiæ.

PROBATUR 2ª PARS. — Ex astronomia tria imprimis objiciuntur, scilicet : observationes astronomicæ, quas Chaldæi ab Alexandri ætate, texte Diodoro Siculo, a 472000 annis servabant; tabulæ astronomicæ Indorum, quibus major adhuc antiquitas a nonnullis tribuitur, et zodiaci e locis ægyptiacis Esneh et Denderah extracti et in Galliam adducti, quibus etiam remotissima antiquitas vindicatur : hæc autem nullius ponderis sunt; nam — 1. quod attinet ad observationes astronomicas Chaldæorum ostendit Laplace eas octingentis annis non excedere æram christianam. — 2. De tabulis astronomicis Indorum hæc scribit Klaproth : « Les tables astronomiques des Indous auxquelles on avait attribué une antiquité prodigieuse, ont été construites dans le VIIe siècle de l'ère vulgaire, et ont été postérieurement rapportées par des calculs à une époque antérieure » (Wiseman, 8. disc., 2. part.). — 3. Demonstrarunt Champollion et Letrone duos zodiacos, de quibus supra, in temporibus Antonini Pii imperatoris delineatos fuisse.

PROBATUR 3ª PARS. — Ex paleontologia et geologia duplex affertur argumentum. *Primum* desumitur ex tempore necessario, ut homo a statu inculto ad statum civilitatis pervenire potuerit. Experientia enim constat hominem nonnisi lento progressu ad vitam civilem evocari. Quod quidem confirmant tum instrumenta lapidea, ærea et ferrea, quorum situs et profunditas in imis terræ stratis innuunt homines successive percurrisse periodos correspondentes lapidis, æris et ferri per longissima temporum intervalla; tum monumenta quædam Megalith no-

mine), quorum etsi magna quandoque sint, nulla tamen mentio in ulla historia occurrit, quæque proinde non nisi ad periodum lapidis pertinere possunt.

Hoc vero argumentum corruit, si attendatur falso supponi hominem primum barbarum fuisse et per lentum progressum ad civilitatem assurgere debuisse; non enim ex testimonio Geneseos tantum, sed etiam traditionibus populorum, qui auream ætatem primum fuisse credunt, constat hominem conditum fuisse intelligentia et moribus perfectum. Insuper ex historiæ documentis compertum est plures olim in Asia et Africa florentes gentes a statu decidisse civilitatis, nullam vero gentem propriis viribus et sine aliarum excultarum nationum ope ad statum civilem pervenisse. — Quoad vero instrumenta lapidea, ærea et ferrea quæ adeo jactitant, inverso quandoque ordine inventa sunt : non semel instrumenta unius periodi cum instrumentis alterius et tertiæ periodi commixta occurrerunt : quin etiam instrumenta quæ præ se ferunt civilitatem cum instrumentis quæ barbariei signa dicuntur detecta sunt. — Nec magis ad rem faciunt monumenta Megalithica ; nostra enim ætate aliquando eriguntur hujusmodi monumenta, nec ea sane sunt quæ annalibus populorum commemorari debuerint, cum præsertim tunc temporis ars typographica, ephemerides cæteraque hujusmodi adjumenta deficerent. Unde non desunt hodie etiam in hujusmodi studiis versati qui existimant ea monumenta æram christianam non multum excedere, si tamen excedant.

Secundum argumentum depromunt ex ossibus humanis vel humanæ artis reliquiis, quæ quandoque reperiuntur in magna profunditate sub stratis ex depositionibus fluminum vel fluvialium alluvionum provenientibus, interdum vero deteguntur in cavernis stalagmita contectis una cum ossibus animalium pertinentium ad species jamdudum extinctas. Hæc enim, inquiunt, manifeste probant longe majorem esse hominis antiquitatem quam asserit Moyses : nam strata ex alluvionibus efformata, si habeatur ratio augmenti annui, longe ante tempus quod homini constituit Moyses initium habuerunt. Idem quoque deducere est consectarium ex ossibus stalagmitis contectis

vel repertis cum animalibus ad species jamdudum non existentes pertinentibus.

Sed argumenti hujus infirmitas patebit, si attendatur nullo modo probari augmentum stratorum fuisse uniforme et constans; nam causæ locales, v. g. soli conformatio, diversa humi quantitas in aquis affluentibus, subitæ ingentesque inundationes, quidquam conferre potuerunt ad illas formationes. Imo res ita se habuisse omnino evincitur pluribus exemplis; citantur enim hujusmodi strata brevi tempore efformata. Nec aliter sentiendum est de palustribus glebis (tourbières), de arenarum aggestu (graviers), arenaceis aggeribus in littore maris (dunes), glaciei struibus (glaciers), aliisque similibus quæ nobis eodem modo ab adversariis opponuntur. — Quod spectat ad ossa humana et alias humanæ artis reliquias, nullatenus constat de eorum antiquitate periodum actualem excedente; nec magis probatur species quasdam animalium homini coævorum subito casu non fuisse destructas, aut aliqua ex causa commisceri non potuisse cum ossibus et operibus hominum, quamvis non simul nec eodem in loco extiterint. — Totum denique evanescit argumentum, si advertatur ossa aut opera humana, quæ sive ex stratorum natura, in quibus jacebant, sive ex aliis conjecturis putabantur antiquissima, simul inventa fuisse cum nummis et aliis arte factis, quæ certo certius ad recentiora tempora referenda sunt. Quot species insuper animalium destructas fuisse constat temporibus quæ historica dicuntur! Nonne etiam in quibusdam regionibus animalium species desiderantur, quæ duobus retro sæculis frequenter occurrebant?

115. Scholium. His, quæ de hominis antiquitate modo exposuimus, affinis est quæstio, quam de orbis formatione, qualis etiam a Moyse describitur, seu de cosmogonia mosaica, movere solent auctores sacrarum litterarum interpretationi scientiarumve naturalium studio operam navantes. Nemo quippe nescit quanto incredulorum et Rationalistarum plausu objiciatur, ex peritorum scientiæ geologicæ observationibus, legitime inferri plura centena millia annorum necessaria fuisse, ut terrestris globus ad eum statum adduceretur, in quo erat, quando homo

creatus est, ac proinde prorsus insufficiens fuisse tempus a Moyse assignatum.

Huic autem objectioni non una fit responsio; sed quadruplex potissimum proponitur interpretatio *dierum*, intra quos effectam fuisse creationem narrat Moyses.

1. Prima interpretatio, quæ *allegorica* aut *mystica* dicitur, auctorem habet S. Augustinum, qui cum perspiceret non sine difficultate diebus naturalibus assimilari posse dies mosaicos, sententiam proposuit, juxta quam Deus mundum non condidisset intra sex veros continuosque dies, sed in uno die septempliciter rebus repræsentato; nec aliam dari asserit dierum distinctionem nisi *mysticam* seu *allegoricam*, quatenus scilicet sex dies a Moyse commemorati ordinem exprimunt quo Angeli statim creati in cognitionem creaturarum veniunt. Nam secundum Augustinum, ait S. Thomas (1 p., q. 74, a. 2), per diem intelligitur cognitio mentis angelicæ; ut sic primus dies sit cognitio primi divini operis; secundus dies, cognitio secundi operis, et sic de aliis. Et sic distinguitur dies secundum naturalem ordinem rerum cognitarum; non secundum successionem cognitionis, aut secundum successionem productionis rerum.

Hanc S. Augustini interpretationem admiserunt plures catholici doctores non infimi nominis, præcipue vero S. Thomas, qui litteralem tamen non excludit. Plures etiam recentiores illi adhærere videntur; sed eam paulo aliter exhibent. Juxta eos, unus est dies sexies repetitus, ut objectivus ordo diversæque partes operis divini hominum intelligentiæ accommodatius exponantur; vel etiam sex dies sunt veluti forma sub qua creatio rerum divinitus revelata est.

2. Secunda interpretatio, quæ communissima fuit apud veteres scholasticos, et nunc a pluribus defenditur, *litteralis* dicitur, quia dierum nomine temporis spatia intelligunt nostris similia, etsi primi tres dies non eadem de causa lucis et tenebrarum successionem habuerint. Gratuito enim, inquiunt, rerum physicarum et geologiæ periti asserunt Deum nonnisi materiam mundi creavisse viribus primigeniis præditam, ex quarum coalitione formata est terra; phænomena, quæ ad ejus

formationem pertinent vel in ea deprehenduntur, explicanda esse ex viribus naturalibus regulari et ordinario motu, qui nunc viget, agentibus; observationesque demum hactenus factas sufficientes esse, ut narratio Moysis in sensu litterali jam sumi non possit. Observant etiam illius sententiæ patroni non pauca in contrarium adduci posse. Unde contendunt sensum litteralem dierum de quibus loquitur Moyses merito retineri posse.

3. Tertia interpretatio dies quidem admittit, et in hoc *litteralis* est, sed dies supponit non vulgares, quorum duratio indeterminata fuit et diuturni temporis periodo æquivaluit; unde gallice vocantur : *jours-époques*. In hac sententia, Deus immediata quidem operatione intervenit tum ad creanda animalia, tum ad creandum formandumque hominem; sed quoad cætera, materiam ab initio creatam viribus propriis permisit evolvi, ut, juxta præordinatam dispositionem, formaretur terra. Ex quibus patet hac interpretatione penitus subverti objectionem ex observationibus geologorum desumptam. Non immerito igitur pluribus arridet hic modus narrationem Moysis ab impiorum dicteriis et cavillationibus vindicandi.

4. Quartæ sententiæ patroni duplicem ex narratione Moysis admitti posse creationem contendunt. Juxta eos, his verbis : « In principio Deus creavit cœlum et terram, » Moyses indigitat creationem universi, cujus duratio tanta fuit, ut in ea comprehendantur variæ materialis mundi evolutiones et revolutiones. In secundo vero versiculo : « terra autem erat inanis et vacua, » Moyses ultimam nostræ terræ ruinam innuit. Sed eam Deus secunda veluti creatione instauravit, et hæc secunda creatio seu potius instauratio descripta est a Moyse in subsequentibus versiculis. Utrum autem facta fuerit hæc instauratio intra sex dies naturales et vulgares, an intra dies periodo diuturno æquivalentes, parvi refert; non defuit enim tempus necessarium, ut terrestris globus ad eum statum adduceretur, in quo erat, quando homo creatus est, cum ante actualem instaurationem plura illa effluxerint annorum millia, quæ juxta geologiæ peritos necessaria fuerunt. Nec obstat quod Moyses solis et stellarum productionem quarto diei adscribat; nam,

etsi hæc sidera in prima creatione condita fuerint, dici potest quarto tantum die in secunda creatione influxum et præsentem siderum ad nostram terram relationem a Deo constituta fuisse. — Hæc fuit plurium recentiorum sententia; quæ tamen hodie præcedenti locum cedere videtur.

Quidquid autem sit de argumentorum valore quæ invocari possunt in gratiam cujuslibet interpretationis, cum unaquæque libere hactenus defendi possit, manifestum est præposteram esse objectionem incredulorum contra narrationem Moysis ex geologia desumptam.

CAPUT II.

DE HOMINIS ELEVATIONE.

116. Fusior explanatio variorum statuum in quibus homo condi potuit. — Ex dictis in proœmio hujus Tractatus constat hominem sicut et Angelum in duplici statu condi potuisse, naturali scilicet vel supernaturali; uterque vero ille status, attentis naturæ humanæ principiis ac facultatibus, multiplex iterum fingi potest.

1. Quod ad statum naturalem spectat, duplex ille concipitur. Prior, qui status *naturæ puræ* dicitur, is est in quo homo ad finem suæ naturæ proportionatum se haberet cum perfectione quidem sibi essentiali, naturalibus scilicet facultatibus eisque correspondente seu cooperante concursu Dei ut auctoris naturæ, juxta convenientem providentiam, sed tamen absque ullo dono indebito etiam præternaturali. In illo proinde statu non tantum gratia sanctificante homo destitueretur, sed etiam concupiscentiæ, ignorantiæ, doloribus morti obnoxius esset, nec ad superandas tentationes, aliud haberet auxilium ac naturale. Illud tamen auxilium sufficiens omnibus, efficax quibusdam foret; quia providentiæ suæ deberet Deus, ne frustra naturam humanam condidisset ad finem attingendum.

Naturalis alter status, qui nomen sibi *naturæ integræ* vin-

dicat, in *abstracto* definiri potest : Status in quo natura humana præter perfectionem sibi essentialem ea omnia haberet quæ eam integram ac perfectam efficerent ad attingendum finem sibi convenientem. In *concreto* autem spectatus naturæ integræ status consistit in perfecta subjectione corporis ad animam et appetitus sensitivi ad rationem. Proinde importat immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, passionibus naturam alterantibus ac morte.

2. Status supernaturalis in quo homo condi potuit duplex etiam distinguitur : status nempe *simpliciter supernaturalis* et status *justitiæ originalis*.

Status *simpliciter supernaturalis*, quem alii dicunt *naturæ elevatæ*, ille est in quo homo ad finem supernaturalem destinatus, omnia dona supernaturalia haberet ad illum consequendum, quin tamen natura integritate supra exposita gauderet.

Status *justitiæ originalis* ille dicitur, in quo protoparentes ad supernaturalem finem evecti, atque gratia sanctificante connexisque intrinsece virtutibus ac donis una cum gratiis actualibus donati, ex dispositione divina perfectam naturæ integritatem sibi vindicabant. Dicitur ille status *justitiæ*, quia complectebatur ea omnia quæ desiderari poterant, ut protoparentes recte quoad animam, corpus, et facultates constituti, ad finem suum supernaturalem adæquate disponerentur ac veluti commensurarentur. Dicitur etiam *originalis justitiæ*, tum quia ab origine eam protoparentes acceperunt; tum quia, si non peccassent, eam ad posteros transmisissent, non præcise vi generationis, sed Deo in singulos ab Adamo per viam generationis descendentes infundente.

Hinc perbelle scripsit de primo homine S. Thomas (1, q. 95, a. 1) : « Erat rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animæ corpus. Prima autem subjectio erat causa et secundæ et tertiæ. » Et infra : « Illa prima subjectio qua ratio subdebatur Deo, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ. »

Ex his autem patet novum post peccatum protoparentum

succedere debuisse naturæ humanæ statum, qui merito a theologis status *naturæ lapsæ* vocatur. Sed ille status duplex quoque concipitur; status nempe naturæ *lapsæ non reparatæ*, in quo versati sunt primi parentes statim post peccatum; et status denique *naturæ reparatæ*, qui promissionem Redemptoris a Deo benigne factam consecutus est; fide enim in Christum jam tunc obtinere valuerunt salutem.

117. Errores recensentur. Confutandum habemus duplex sibique invicem contrarium errorum genus. Pelagiani, Sociniani, Arminiani, quibus subscribunt recentiores Rationalistæ, negant protoparentes donis supernaturalibus exornatos fuisse; et, cum in homine nihil nunc desideretur quod ad naturam humanam constituendam requiritur, existimarunt hominem in ea conditione nunc nasci in qua olim conditus fuit, nempe sine gratia, peccato. Ex quo falso principio inferunt nullum esse peccatum originale, nullam gratiæ necessitatem, nullam proprie dictam reparationem per Christum.

At vero Lutherani, Calvinistæ, Janseniani, Baius, Quesnellus, etc., contenderunt hominem non tantum accepisse dona omnia quæ eum in statu justitiæ originalis constituebant, sed ea etiam tanquam naturæ suæ debita habuisse. Hinc inferebant hominem per peccatum originale intrinsece corruptum fuisse; concupiscentiæ, quam verum peccatum esse asserunt, necessario subjici, liberoque arbitrio privari, etc.

118. Exponitur doctrina catholica de hominis elevatione. Inter præfatos errores media incedit veritas catholica. Hæc enim docet protoparentes, in gratia sanctificante et quidem originali constitutos, ad statum supernaturalem evectos esse; docet præterea justitiæ originali donisque ei cohærentibus perfectam adjectam esse naturæ integritatem, qua immunes ab errore, concupiscentia, doloribus et morte redderentur; docet denique hæc eximia præclaraque dona, nedum naturæ humanæ debita fuerint, ex gratuita prorsus Dei liberalitate ac benignitate profluxisse (Cf. Perrone, Mazella). De his tribus singulatim nobis nunc disserendum venit.

§ I. De collatione gratiæ protoparentibus impertitæ.

119. Status quæstionis. Dogma catholicum est primum hominem, antequam peccaret, gratia sanctificante ornatum fuisse; ait enim Concilium Tridentinum (sess. 5, can. 1) : « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim *sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat*, amisisse : anathema sit. » Dicitur vero *constitutus* et non *creatus* ne dirimeretur controversia inter theologos agitata, utrum scilicet prædictam gratiam in ipsa creatione acceperint protoparentes. Plurimi namque, inter quos recensentur S. Bonaventura, Scotus, Magister Sententiarum, Alex. Halensis, contenderunt primos parentes nonnisi post certum tempus gratiam sanctificantem accepisse, quia ad illam se disponere debuerunt; quæ quidem dispositio gratiæ largitionem præcesserit omnino necesse fuit. Alii autem post S. Thomam communius tenent Adamum et Evam in gratia sanctificante conditos fuisse; neque propterea negant ipsos ad gratiam se disposuisse; sed dicunt ad hoc sufficere prioritatem naturæ, sicut de Angelis jam dictum est.

Quidquid sit, cum iisdem momentis stabiliatur Adamum gratia sanctificante ante lapsum ornatum fuisse; ipsumque in eadem gratia creatum fuisse, unica assertione utrumque adstruemus sequenti modo :

120. Assertio : *Primi parentes a Deo in statu justitiæ et sanctitatis, et quidem in ipsa creatione, constituti sunt.*

Probatur simul tota assertio

1. *Scriptura Sacra.* Namque — 1. legitur (*Gen.*, I, 26) : « Faciamus hominem ad imaginem et *similitudinem nostram ;* » et (*Ibid.*, 27) : « Creavit Deus hominem ad *imaginem suam* ; » item (*Sap.*, II, 23) : « Deus creavit hominem inexterminabilem » et ad *imaginem similitudinis suæ* fecit eum. » Porro communis est interpretatio SS. Patrum *imaginem* vel *similitudinem* Dei, de qua hic agitur, in homine reperiri tum per naturam, tum per gratiam ; sive enim duas voces, *imaginem* et *similitudinem*, nulla distinctione facta, ad unam eamdemque rem significandam positas esse dicant, sive *imaginem* de *natura*, *similitudinem*

de *gratia* intelligant, omnes consentiunt imaginem Dei in primo homine secundum gratiam reperiri. Ergo. — 2. Legitur etiam (*Eccl.*, VII, 30) : « Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus » hominem *rectum*; » et (*Eccli.*, XVII, 1) : « Deus creavit de » terra hominem,... et secundum se vestivit illum *virtute.* » Jam vero per hanc rectitudinem et virtutem a SS. Patribus gratia sanctificans et dona Spiritus Sancti intelliguntur. Cæterum innumera propemodum occurrunt exempla præsertim in Psalmis, in quibus vox illa *rectus* ad significandam justitiam supernaturalem adhibetur (cf. *Psal.* VII, 11; XXXII, 1, etc., etc.); imo eadem vox haud raro sumitur ad exprimendam Dei sanctitatem; sic (*Deut.*, XXXII, 4) dicitur Deus « fidelis... justus et » *rectus.* » Ergo. — 3. Demum Apostolus (*Eph.*, IV, 23) hæc habet : « Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum » hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanc- » titate veritatis; » (*Col.*, III, 9, 10) : « Expoliantes vos veterem » hominem cum actibus suis, et induentes novum secundum » imaginem ejus qui creavit illum. » Ex quibus sic argumentari licet cum Bellarmino : induentes novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, *renovamur* : ergo fuimus aliquando, videlicet in primo nostro parente, homines novi, conditi secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis (cf. Bellarmius, *De grat. prim. hom.*, c. 3).

2. *Traditione* Præterquam enim quod SS. Patres adducta Scripturæ testimonia de collatione gratiæ protoparentibus impertitæ intelligunt, uti jam observatum fuit, multi conceptis verbis docent primum hominem in gratia conditum fuisse; sic S. Hieronymus (*Adver. Jovin.*, l. 1, c. 29) scribit : « Cum *boni creati simus et recti* a Deo, ipsi vitio nostro sumus ad pejora delapsi. » S. Joan. Damasc. (*de Fide*, l. 2, c. 12) ait : » *Creavit Deus hominem* innocentem, *rectum*, probum, *omni virtutum genere ornatum*, Angelum alterum, adoratorem mixtum, spiritum simul et carnem, spiritum ob gratiam. » Alia profert Suaresius (*de Opere sex dierum* l. 3, c. 17).

3. *Ratione*, quæ, etsi impar sit strictæ demonstrationi de re omnino indebita, primum hominem ante lapsum gratia sanctificante ornatum fuisse, colligere potest ex divina providentia

circa Angelos etiam malos, quos Deus prius in gratia constituit, quam peccarent; Deus enim naturam humanam æquavit angelicæ in termino, seu in statu patriæ, quoad substantiam beatitudinis, ut constabit ex dicendis de vita futura hominis : ergo debuit etiam æquare in viæ statu, quoad substantiam gratiæ necnon virtutes supernaturales et dona Spiritus Sancti gratiam concomitantia. — Decebat insuper hominem creari in statu perfecto, in quo posset fructum ferre in ordine ad supernaturalem finem, propter quem Deus illum creabat. — Demum si Adam perseverasset in statu justitiæ, filii ejus nati fuissent in gratia; ergo multo magis dicendum est primum eorum parentem fuisse in gratia creatum.

§ II. De donis præternaturalibus primis parentibus una cum gratia concessis.

121. Status quæstionis. Præter gratiam virtutesque et dona ad ipsam pertinentia, protoparentibus impertita fuisse alia eximia dona innuit Tridentina Synodus (*can. cit.*), docens « totum Adam per prævaricationis offensam secundum *corpus et animam in deterius commutatum fuisse.* » Hæc igitur dona alia ad animam, alia ad corpus spectant; ad animam nempe referuntur scientia in intellectu et recta voluntatis ordinatio; ad corpus vero immortalitas et immunitas ab ærumnis et doloribus. Quonam autem sensu *præternaturalia* dicantur hujusmodi dona, patet ex antea dictis. Quo prænotato, sequens statuitur

122. Assertio : *Una cum justitia et sanctitate, conjuncta erant in primis parentibus eximia tum corporis, tum animæ dona; scientia in primis et perfecta voluntatis ordinatio quoad animam, immortalitas et immunitas ab ærumnis et doloribus quoad corpus.*

Prob. 1ª pars. Enimvero (*Eccli.*, xvii, 6) de protoparentibus dicitur : « Creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor » illorum; et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum » super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suo- » rum, ut nomen sanctificationis collaudent; et gloriari in mi- » rabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. » Quæ

verba hominis scientiam non tantum supernaturalem, sed naturalem etiam significant; — tum ob eorum generalitatem; nam sine scientia naturali cor hominis non fuisset impletum; — tum ob finem Dei; quo enim major est scientia naturalis eo perfectius ex operibus cognoscitur Deus et collaudatur; — tum ob dominium homini concessum super animantia, ad cujus usum requirebatur animalium, ac eorum proprietatum cognitio.

Insuper (*Genes.*, II, 19) legitur Adamum brutis animantibus nomina imposuisse, quæ eorum naturæ erant congrua, ut insinuant illa verba : « Omne enim quod vocavit Adam animæ » viventis, ipsum est nomen ejus; » porro hæc legitima rerum designatio sapientiam eximiam præsupponit.

Demum cum Adamus filiorum suorum doctor futurus erat, illum summa pollere scientia valde congruum erat.

« Cujusmodi autem fuerit hæc scientia, qua Adam a Deo donatus est, inquit P. Perrone, quanta ejus amplitudo, qui limites, ardua res est determinare; hoc unum dici potest, eam fuisse pristinæ illius conditioni omnino consentaneam. » S. Thomas (1, q. 94, a. 3) docet primum hominem habuisse cognitionem infusam omnium rerum, quas homines naturaliter cognoscere possunt; supernaturalium vero tantam quanta erat necessaria ad gubernationem humanæ vitæ secundum ordinationem ad statum supernaturalem. Imo asserere non dubitat illam tantam fuisse scientiam ut homo non potuerit errori esse obnoxius, juxta hæc verba S. Augustini : « Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est naturalis institutio hominis, sed pœna damnati » (Lib. 3, *de Lib. arbit.*, c. 18, n. 52).

Ex quibus merito infertur Adamum habuisse fidem explicitam mysteriorum divinorum, et specialiter incarnationis, ut docet Angelicus Doctor (2. 2, q. 2, a. 7), non quidem ut ordinabatur ad liberationem a peccato; Adam enim non fuit præscius sui peccati, alioquin fuisset miser ante peccatum, sed ut ordinabatur ad consummationem gloriæ. Si autem incarnationis, etiam Trinitatis fidem explicitam habuit, cum Incarnatio non potuit explicite credi sine fide explicita Trinitatis.

PROBATUR 2ª PARS, quæ versatur circa *voluntatis ordinationem*.

Per hanc perfectam voluntatis ordinationem significare intendimus, inquit P. Perrone (*loco citato*), nullis eam pravis affectionibus vitiatam fuisse, nullis pravis motibus exagitatam, adeo ut inferiores corporis vires rationi, ratio autem Deo perfecte subderetur, ac summa primi hominis animo inesset pax, dum nec caro concupisceret adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem. Nulla proinde aderat concupiscentia, cum concupiscentia sit appetitus rerum sensibilium modo rationi dissentaneo. Jam vero talem fuisse protoparentum voluntatem constat sive Scriptura, sive Traditione.

1. *Scriptura* quidem, uti eruitur tum ex assertis in libro Ecclesiastici, tum ex ratione agendi Adami in Genesi relata. — « Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem *rectum* » (*Eccli.*, VII, 30) : atqui non fuisset rectus, si inordinatis concupiscentiæ motibus fuisset obnoxius; ergo. — Ex Genesi manifestum est Adamum et Evam de sua nuditate non erubuisse ante lapsum suum, sed postea tantum ; ergo ante lapsum erant absque concupiscentia.

2. *Traditio* eamdem veritatem declarat. Sic S. Augustinus (*de Peccat. mer. et miss.*, c. 22. n. 36) ait : « Hanc ergo (obedientiam) priusquam violassent, placebant Deo et placebat illis Deus, et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet illi vitæ congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur. »

Consonat doctrina S. Thomæ, qui (1, q. 95, a. 2) asserit passiones, quæ respiciunt malum, ut timor et dolor, vel bonum non habitum et nunc habendum, ut cupiditas æstuans, non fuisse in primo homine. Fatetur tamen passiones recte ordinatas circa bonum habitum vel suo tempore habendum, quales sunt amor, gaudium, desiderium et spes non affligens, fuisse in protoparentibus, sed aliter quam in nobis : videlicet in nobis, cum appetitus sensibilis, in quo sunt passiones, non

totaliter et perfecte subdatur rationi, quandoque passiones præveniunt judicium rationis et illud impediunt; in statu vero innocentiæ appetitus inferior rationi totaliter subjectus erat; unde in eo non erant passiones nisi ex judicio rationis consequentes.

Duo autem media assignantur, quibus protoparentes perfectam a concupiscentia immunitatem habebant, providentia nempe Dei extrinseca, qua efficiebatur ne objecta externa animi pacem et tranquillitatem perturbarent, indebitoque modo applicarentur phantasia, ratio ac voluntas; et intrinseca quædam perfectio atque recta dispositio quæ ad perfectum operandi modum agentis, nec a Deo cujus opera sunt perfecta, protoparentibus denegari debuit. Hæc nimirum perfectio non in uno habitu consistebat : requirebatur enim in ratione ad considerandum et judicandum, seu imperandum convenienter; in voluntate ad sequendam rectam rationem delectabiliter et ad movendum appetitum fortiter; et in ipso appetitu ad prompte obediendum (Cf. S. Thomas, 2, 2, q. 2, a. 2; Suarez, *de Opere sex dier.*, l. 3, c. 12, n. 17).

PROBATUR 3ª PARS, quæ spectat ad *immortalitatem*,

1. *Script. Sac.* « Per unum hominem peccatum in hunc » mundum intravit, et *per peccatum mors* » (*Rom.*, v, 12). Ergo ante peccatum corpus hominis morti non erat obnoxium, et ideo mors dicitur *stipendium peccati* (*Rom.*, vi, 23). — « Deus creavit hominem *inexterminabilem*... invidia autem » diaboli mors introivit in orbem terrarum » (*Sap.*, ii, 23). Dixerat quippe Deus Adamo : « In quocumque die comederis » ex eo, morte morieris » (*Gen.*, ii, 17).

2. *Traditione.* S. Augustinus dixit : « Constat inter christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam corporis mortem, non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati » (*de Civit. Dei*, lib. 13, cap. 15). — Conc. Tridentinum (sess. 5, c. 1) idem ita affirmat dicens : « Si quis non confitetur primum hominem Adam... incurrisse per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo *mortem*, quam antea illi comminatus fuerat : anathema sit. »

Si vero quæratur quomodo Deus immortalitatem primis parentibus procurasset, respondere fas est corpus hominis præservari potuisse a morte violenta « partim per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare; partim etiam per divinam providentiam, quæ sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso. » Contra vero mortem naturalem, præter fructus communes paradisi, quibus impediebatur ne esuriret vel sitiret, « lignum vitæ aderat, ait S. Augustinus, ne hominem senecta dissolveret. » Advertunt tamen auctores ad hoc satis non fuisse, ut homo semel de hoc ligno sumeret ; nam, ut ait S. Thomas (1, q. 97, a. 4), « cum virtus ligni esset finita, semel sumptum præservabat a corruptione usque ad determinatum tempus, quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitæ (Cf. Suarez, *loc. cit.*; S. Augustinus, de *Civit. Dei*, l. 13, c. 20).

CONSTAT 4ª PARS, quæ attinet ad *immunitatem ab ærumnis et miseriis vitæ*,

1. *Scriptura Sacra*, in qua (*Gen.*, II, 15) dicitur : « Tulit » ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in *paradiso* » *voluptatis*, ut operaretur et custodiret illum. » Porro non est voluptas ubi dantur infirmitates, dolores et aliæ miseriæ. Ergo.

2. *Auctoritate S. Augustini*, qui (*de Civit. Dei*, l. 14, c. 36) hunc felicitatis statum præclare exponit his verbis : « Vivebat itaque homo in paradiso... sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas... Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum... ; inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. »

Ex dictis, brevis hæc, inquit Montaigne (q. 1, c. 1, a. 1),

efflorescit idea status Adami ante lapsum omnibus gratiæ donis exornati : — 1. Pars superior sive rationalis plene erat subdita Deo tanquam auctori naturæ et gratiæ; — 2. pars inferior sive sentiens parti superiori omnino subjiciebatur, ita ut nullo modo, nec contra, nec præter ejus præscriptum insurgeret; — 3. nulla prorsus in hoc felici statu interior tentatio, sive carnis, sive spiritus ; nullus indeliberatus motus amoris aut corporis aut propriæ excellentiæ. — 4. Hinc objecta externa et sensibilia feriebant quidem sensus; et nullum in anima indeliberatum amoris aut odii suscitabant motum : sed ipse proprio judicio, propriaque voluntatis electione, ea vel respuebat vel amplectebatur : hoc enim postulabat primi status rectitudo, ut quamdiu anima Deo mancipata et subdita remaneret, ipsi pariter rationi appetitus et aliæ facultates perfecte obtemperarent. — 5. Tandem corpus immortale fuit, atque a morbis, molestiis et aliis ærumnis immune.

Cæterum quæ de primæva protoparentum felicitate exposuimus, mirum in modum confirmant traditiones variarum gentium. Audiatur P. Perrone : « De Græcis, inquit (*loc. jam cit.*), constat ex Platone, qui in *Politico* primam ætatem vere auream appellat; de ipsis iterum et Romanis patet ex ipsorum poetis, qui aureum Saturni sæculum nobilissimis ornarunt imaginibus, ut Virgilius (*Georg.*, l. 1, v. 125 et seq.), Juvenalis (*Satyr.* 6), Ovidius (*Metamorph.*, l. 1, v. 89, etc.)... Apud Persas eamdem traditionem viguisse testis est Plutarchus (in l. *de Oside et Isiride*), apud Indos Strabo... ; apud Sinenses testes sunt sacri ipsorum libri *King* nuncupati, in quibus legitur : « Tempore primi cœli pura voluptas et pax perfecte regnabant. Nulli tunc labores, non pœnæ, non dolores, non crimina ; omnia humanæ in terris parebant voluntati. » Postea concludit idem auctor : « Hæc autem gentium omnium conspiratio originem primævam ejusmodi traditionum apertissime evincit; hac enim facti veritate constituta, omnia bene cohærent; ea sublata, nulla amplius earum ratio probabilis dari potest » (Cf. etiam Knoll, *de Deo Creat.*, § 206, not. 2).

123. Scholium. *De dominio, quod primus homo in statu innocentiæ super alias creaturas habuit.* — Certum est primum

hominem habuisse dominium super omnia animalia, non solum quoad jus et potestatem, sed etiam quoad exercitium et usum, ita ut imperaret et ei obediretur. Constat ex Genesi (I, 26), ubi de homine dicitur : « Et præsit piscibus maris et » volatilibus cœli et bestiis universæ terræ, omnique reptili » quod movetur in terra. » Item (*Ibid.*) Deus protoparentibus dicit : « Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli et uni- » versis animantibus, quæ moventur super terram. » — Suffragatur S. Thomas (1, q. 96, a. 1) docens omnia animalia naturaliter homini subjecta esse, tum quia imperfectiora naturaliter cedunt in usum perfectorum ; tum quia postulat ordo divinæ providentiæ, ut inferiora gubernentur per superiora ; tum quia prudentia quæ invenitur per participationem et secundum aliquos actus particulares in animalibus, prudentiæ universali, quæ in homine reperitur, subdatur necesse est. Cum igitur inobedientia ad hominem eorum quæ naturaliter ei subjecta esse debent, subsecuta est in pœnam ejus, merito infertur animalia semper homini obeditura fuisse, si protoparentes in statu innocentiæ perseverassent. — Quin etiam, eodem Aquinate docente (*loc. cit.*, a. 2), homo in statu innocentiæ habuit dominium non solum super animalia, sed etiam super omnes res creatas se inferiores. Poterat ergo omnibus rebus creatis se inferioribus vel imperare, vel eis pro nutu sine impedimento uti, vel saltem uti commoditatibus ex illis provenientibus (Cf. Billuart, *de Opere sex dierum*, diss. 4, a. 4).

§ III. — De gratuitate gratiæ cæterorumque donorum primis parentibus concessorum.

124. Ex dictis sive in proœmio tractatus sive in prænotionibus supra appositis de variis statibus, in quibus homo condi potuisset, nec non ex adductis momentis in assertionibus præcedentibus, merito colligi potest gratiam cæteraque dona primis parentibus concessa nequaquam eis debita fuisse, sed gratuito prorsus a Deo fuisse impertita, adeoque supernaturalia aut saltem præternaturalia dicenda esse. Cum autem hæc veritas maximi sit momenti, non leviter perstringenda est, sed directe propriisque argumentis probetur necesse est ; sit ergo sequens

125. Assertio : *Gratia qua primi parentes exornati sunt, adjectaque ei naturæ integræ dona, ex gratuita Dei benignitate promanarunt, et ideo supernaturalia aut saltem præternaturalia dicenda sunt.*

PROB. ASSERTIONIS PRIMA PARS, quæ ad *gratiam* protoparentum spectat,

1. *Scriptura Sacra.* Eamdem Adamo ac nobis concessam fuisse gratiam aperte innuit B. Paulus (*Eph.*, IV, 23, 24) dicens : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum » hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et » sanctitate veritatis ; » non enim esset gratia nostra renovatio, si Adami gratia non esset nobis recuperanda : porro gratiam, qua donamur in Christo, ex se gratuitam esse et supernaturalem clare edocet idem Apostolus (*Rom.*, v. 5.) : « Caritas » Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui » datus est nobis ; » dono siquidem habetur Spiritus sanctus, ac proinde caritas Dei seu gratia nec ut consectarium creationis, nec ut debitum aliquod habenda est. Ergo. — Cæterum luculentius, ubi de gratia, ostendemus ex sacris litteris gratiam, nobis a Christo redditam, naturam humanam omnino transcendere.

2. *SS. Patribus.* Origenes (l. 1, *de Princip.*, c. 3) ita disserit : « Adest gratia Spiritus Sancti, ut ea quæ substantialiter sancta non sunt, participatione ipsius sancta efficiantur.... Est quædam inoperatio Dei Patris præcipua *præter illam*, quam omnibus ut essent *naturaliter* præstitit. » S. Irenæus (l. 3, *adv. Hær.*, c. 37) ita lamentatur : « Eam *quam habui a Spiritu Sancto* sanctitatis stolam per inobedientiam amisi. » S. Maximus (Cent. 3, n. 25) ait : « Secundum imaginem quidem Dei est omnis natura rationalis, secundum similitudinem vero boni et sapientes ; illud secundum naturam, *hoc ex gratia.* » Denique S. Augustinus, cujus tanta est in hac materia auctoritas, hæc (l. 2, *contr. Maxim.*, c. 15, n. 2) scribit : « Homo ad Dei similitudinem factus est ; tamen quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius, et ideo *fit gratia filius, qui non est natura.* »

3. *Auctoritate SS. Pontificum.* Enim vero S. Pius V, Gre-

gorius XIII et Urbanus VIII sequentes Baii propositiones damnarunt : « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis » (n. 21). — « Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali » (n. 79). — His accedit condemnatio sequentis propositionis Quesnelli a Clemente XI in Constitutione *Unigenitus* : « Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ. » — Denique Pius VI in bulla *Auctorem fidei* hanc eamdem doctrinam declaravit falsam, erroneam, faventem hæresi Pelagianæ. Omnino igitur tenendum est gratiam Adami indebitam ei fuisse ac supernaturalem.

4. *Ratione.* Per gratiam Adamus effectus est Dei amicus, filius ejus, divinoque colloquio dignabatur : atqui hæc certe naturæ humanæ indebita sunt et vere supernaturalia ; natura quippe, cum creata sit, ex conditione sua serva est, ut observant Patres ac doctores dictatque ratio. Ergo.

Prob. 2ª pars assertionis, nempe *naturæ integræ dona gratuita quoque* in primis parentibus fuisse, ideoque *præternaturalia* saltem dicenda esse,

1. *Scriptura Sacra.* Constat quippe ex textibus infra adducendis, ubi de lapsu protoparentum, possessionem ac conservationem prædictorum bonorum annexam fuisse perseverantiæ primorum parentum in gratia sanctificante : porro si debita ipsi naturæ humanæ fuissent, cum ea utique permansissent, peccatum siquidem, etsi moralem inducat inordinationem, viribus naturæ physicis comparatisque ejusdem generis perfectionibus nullum detrimentum affert. Ergo indebita erant hæc bona.

2. *SS. Patrum testimoniis.* S. Joannes Chrysostomus de Adami *scientia* dicit (Hom. 14 *in Gen.*) : « Qui potest congruis nominibus jumenta appellare et volatilia cœli, et alias bestias... quomodo non omni sapientia et industria pollet ? » — De *immunitate a concupiscentia* in Adamo S. Augustinus (l. 4, *Cont. Julian.* c. ult., n. 82) egregie scribit : « *Gratia Dei magna* ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libi-

dinem non habebat. » — *De immortalite* quoque protoparentis idem (l. 6, *de Gen. ad litt.*, c. 25) dicit : « Mortalis erat conditione corporis, *immortalis* autem *beneficio conditoris.* » Nec aliter, S. Cyrillus Alex. (*in Joan.*, l. 1, c. 15) : « Immortalitatis bonum supra suam naturam consecutus est. » — De *immunitate* demum *ab ærumnis* expresse asserit S. Athanasius (disp. 2, *Cont. Gentes*, n. 4) : « Si gratiam concessam servarent, et in bono permanerent, præter promissam in cœlis immortalitatem, vita mœroris, doloris et sollicitudinis vacua in paradiso fruerentur. » — Hæc autem et alia multa Patrum testimonia quæ citari possent, manifeste evincunt naturæ integræ bona, quibus cumulati sunt primi parentes, nedum debita fuerint, gratuita omnino fuisse.

Quæ quidem S. Augustinus (l. 1, *de Pecc. merit. et remiss.*, c. 15) paucis confirmat, dum expresse docet hominem creari ab initio potuisse in statu actuali substantialiter sumpto : « Si » (anima) talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante » omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta » est, non parvum habet bonum, unde conditori suo gratias » agat. »

3. *Auctoritate SS. Pontificum*; præcitati enim SS. Pontifices sequentes Baii propositiones damnaverunt : « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio » (n. 26). — « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur » (n. 55). — « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. » Quas etiam propositiones ut falsas, erroneas et hæresi pelagianæ faventes quoad sensum configit Pius VI in bulla *Auctorem fidei.*

4. *Ratione*, qua nempe haud ægre evincitur neque immunitatem ab errore, neque concupiscentiæ carentiam, neque immortalitatem, neque demum exemptionem a miseriis vitæ Adamo et Evæ debita fuisse.

Non quidem — 1. *immunitas ab errore* seu *ignorantia*, quæ in eo consistit quod propter aciem intellectus facillime ad ea cognoscenda homo perveniret quibus indigebat, nec unquam deficeret a vero; homini quippe ex suæ naturæ conceptu de-

betur tantum quod finem suum cognoscere possit, nec non et media quæ absolute ei necessaria sunt, ut hunc finem assequatur : porro ut hujusmodi scientiam comparare potuisset primus homo, nullatenus ei necessaria erat sive scientia infusa, qua Adam donatus erat, sive acies illa intellectus, qua facillime veritates latentes detegebat, sive judicii rectitudo, qua nunquam a vero aberrabat. Deus insuper inculpabilem errorem primis parentibus in alia hypothesi non imputasset, nec eos a via sine sua culpa deflectere permisisset. Ergo.

Neque etiam — 2. protoparentibus debita fuit *concupiscentiæ carentia*, in eo sita quod appetitus ad bonum sensibile nunquam præveniret usum rationis et imperium voluntatis, ideoque perfecte ordinatus esset; natura enim humana nata est ferri in bonum sensibile per sensum et appetitum, et in bonum spirituale et intelligibile per intelligentiam et voluntatem; ex quarum contrariis propensionibus naturaliter conflictus oritur, ac ingens recte agendi difficultas. Quidquid vero dixerint Protestantes et Jansenistæ, nec in se peccatum est, nec necessario in peccatum trahit concupiscentia sic intellecta; tantam enim deordinationem Deus permittere nequit. Unde si Concilium Tridentinum eam peccatum vocat, hoc exinde provenit, quod, ut ipsum ait, « ex peccato est et ad peccatum inclinat. »

Neque demum — 3. debitæ erant *immortalitas* et *immunitas a doloribus et miseriis vitæ;* natura quippe humana sensibilibus et contrariis constat principiis, ac proinde ei proprium est uti gratis, ita ingratis ac molestis sensationibus affici, dolores pati, ac demum corruptioni et totali dissolutioni subjacere; nec aliunde sine speciali et indebita Dei providentia subtrahi potest noxiæ actioni sive elementorum, sive cæterarum creaturarum.

Quæ quidem S. Thomas (in 2, dist. 31, q. 1, a. 2, ad 3) contrahit atque auctoritate sua confirmat : « Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil humanæ na-

turæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur; non tamen iste defectus in eo rationem culpæ haberet et pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. »

Diximus in assertione : *Et ideo supernaturalia aut saltem præternaturalia dicenda sunt;* quibus verbis distinctionem innuimus adhibendam esse inter gratiam sanctificantem Adami, cui intrinsece connexa erant virtutes infusæ ac dona Spiritus Sancti, et naturæ integræ bona : gratia enim et ea quæ ex ipsa connaturaliter promanant virtutes et dona, *entitative* supernaturalia sunt dicenda, uti colligere est ex probationibus in prima assertionis parte adductis; bona vero naturæ integræ, etsi indebita, intrinsece supernaturalia non erant, tum quia radicem in ipsa natura humana habere poterant eamque juvabant in ordine ad operationes suas, tum quia in statu quodam naturali possibilia concipiuntur. Simpliciter tamen naturalia non erant, sive quia supra nativam humanæ naturæ virtutem concessa fuerant, sive quia in multis specialem Dei providentiam Angelorumque custodiam exigebant; sed inter præternaturalia potius deputabantur, et hoc quidem nomine ordinarie appellantur. Nihil etiam vetat quin supernaturalia sive in sensu lato, sive verius *quoad modum* nuncupentur. Re enim vera ita gratiæ supernaturali connexa ex ordinatione Dei erant, ut ab ejus conservatione penderent. Quibus addendum est miras hujusmodi prærogativas homini concessas fuisse, ut facilius ad opera gratiæ se accingeret et rectius operaretur ad beatitudinem supernaturalem consequendam.

126. Corollarium. Ex assertione præcedenti sequitur possibilem esse *statum naturæ puræ*, in quo scilicet homo ad finem mere naturalem destinatus, vires tantum naturæ insitas cum auxiliis proportionatis haberet ad illum consequendum, ac proinde obnoxius foret errori, concupiscentiæ, dolóri et morti : probationes enim allatæ, eo ipso quod arguunt gratuita esse et indebita gratiæ primævæque integritatis dona, aut supponunt, aut evincunt hominem his omnibus destitutum ac proinde in statu naturæ puræ creari potuisse.

Plures tamen Theologi, præsertim ex Augustinianis, non

sine distinctione illud admittunt, et dicunt Deum quidem de *potentia absoluta* hominem creare potuisse absque donis supernaturalibus aut gratuitis, quæ ad integritatem naturæ pertinent, non autem de *potentia ordinata*.

Observandum est etiam illum naturæ puræ statum, quem possibilem asserimus, eum non esse in quo homo ita obnoxius esset errori, concupiscentiæ et hujus vitæ miseriis, ut abjectus omnino et fini suo naturali assequendo impar fere censeretur; ratio est quia revera attributis divinis talis status repugnaret, nec ideo possibilis foret. — Imo non desunt qui censent hominem creari non potuisse tantis illis inordinationibus obnoxium, quæ in nobis post peccatum originale inveniuntur; sed tantum in eadem conditione, in eodem statu *substantialiter*. Unde peccatum originale adstrui posse contendunt ex deordinatione actuali naturæ humanæ (Cf. Knoll, c. 11, n. 207, nota 3).

127. Scholium. *De judicio rationis circa hominis ad supernaturalem statum elevationem.* — Nihil non moliuntur hodierni Rationalistæ, ut ostendant hominis ad statum supernaturalem elevationem cum ratione componi non posse; nec mirum; si quidem velut figmentum habeant quidquid naturalem rerum ordinem prætergreditur rationisve limites transcendit. At facili negotio contra illos evinci potest prædictam hominis elevationem, nedum sanæ rationi adversetur, multiplici ex parte convenientem demonstrari.

I. *Rationi quidem non adversatur* hominis ad statum supernaturalem elevatio. Si repugnaret hujusmodi elevatio, impossibilitas se haberet vel ex parte Dei, vel ex parte hominis, vel demum ex parte ordinis naturalis : sed nullum ex his dici potest.

Non *primum;* in tantum enim ex parte Dei impossibilis foret ordo supernaturalis, in quantum aut non posset concipere, aut non posset efficere ordinem a naturali ordine diversum eoque præstantiorem. Porro, ex una parte, « ordo a divina sapientia rebus inditus... non adæquat divinam sapientiam, ut sic divina sapientia limitetur ad hunc ordinem » (S. Thomas, 1. q. 25, a. 5); aliunde vero « quidquid potest habere rationem entis,

continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens » (*Ibid.*, a. 3). Ergo ex parte Dei possibilis dicendus est ordo supernaturalis.

Non *secundum;* namque ad hoc sufficit, ut natura hominis perfici valeat in ordine ad finem status supernaturalis, Dei scilicet visionem intuitivam, merendum et possidendum : atqui licet in natura hominis facultates non adsint, quæ naturali sua virtute cum hoc fine proportionem habeant, ipsi tamen inest certa quædam aptitudo, quam *potentiam obedientalem* dicunt, ad recipiendos aliquos actus divinæ et supernaturalis virtutis, quos per naturales causas recipere non posset, qualis est præsertim capacitas animæ ad gratiam, cujus ope homo Dei visionem mereri potest, et capacitas intellectus ad lumen gloriæ, quo mediante ad eamdem visionem elevatur. Ergo. — Nec dicatur Deum intuitive visum non contineri intra sphæram objecti specificativi intellectus creati, ideoque ab illo quantumvis supernaturaliter adjuto attingi non posse; responsio enim in promptu est : etsi nimirum Deus clare visus non contineatur intra objectum connaturale et proportionatum intellectus creati, continetur tamen intra ejus objectum adæquatum, quatenus est quid verum et intelligibile; intellectus enim ex se, seu prout est facultas immaterialis, capax est omnis intelligibilis, id est, pro objecto habet ens in tota sua latitudine sumptum.

Non *tertium*; eatenus quippe supernaturalis ordo ex parte naturalis ordinis repugnaret, quatenus illum destrueret, vel eidem opponeretur, aut saltem cum illo confunderetur. Sed hæc dici nequeunt; hominis siquidem elevatio non fit per destructionem naturæ, ejusve cum gratia aut gloria permixtionem, sed per infusionem doni indebiti, quod cum sit quid accidentale in homine, salva ejus natura salvoque pariter ordine ex eo naturaliter promanante, concipitur. Cæterum hæc facilius perfectiusque intelligentur ex dicendis tum de visione Dei beatifica, tum de gratia sanctificante; sed, ut aliquo exemplo res jam illustretur, attendere sufficiat ad mysterium Incarnationis; ibi videlicet natura humana integra et impermixta unitur divinæ naturæ in persona Verbi.

II. Hominis ad statum supernaturalem elevatio *multiplici ex parte conveniens est*; quippe quæ divinas perfectiones eximie commendet, hominis naturam locupletissime perficiat, ipsumque naturalem ordinem feliciter compleat.

1 *Divinas perfectiones eximie admodum commendat*; in hac scilicet elevatione maxime elucent — tum divina *bonitas*, quia, cum bonum sit diffusivum sui, quo Deus majus bonum in creaturas diffundit, eo magis suam bonitatem manifestat : quod vero bonum altius altiorisque ordinis quam naturæ humanæ ultra omnem exigentiam exaltatio ad divinum consortium? Sane si rex potentissimus humilem ac pauperculum pastorem maximis divitiis cumularet, imo si in filium proprium adoptaret, suique regni participem efficeret, nemo non miraretur tam eximiam bonitatem talemque regem summis non extolleret laudibus; — tum divina *sapientia*; nam sapientis est ordinare, eoque major apparet sapientia, quo sublimior ordo instituitur : porro sublimior invenitur ordo in elevatione hominis ad supernaturalem statum, quam ad naturalem tantum. Eo vel magis quod, cum plures fines habentur ad se invicem ordinati, major adhuc splendescit sapientia; tunc enim omnes fines inferiores ordinantur tanquam media ad finem supremum, ad quem elevatio facta est; — tum divina *omnipotentia*, quæ non sistit intra fines naturæ creatæ, sed effectus producere potest eam excedentes, et quidem pro sua liberrima voluntate; unde, etsi forsan quis dubitare posset utrum Deus in sua omnipotentia per creationem manifestanda necessario egerit, necne, hoc dubium ne concipitur quidem, si aliquod aliud supra id, quod in creatione fecit, videat facere.

2 *Hominis naturam locupletissime perficit*; enimvero, cum intellectu præditus sit ad cognoscendum, vis ejus sic a Deo protenditur, ut ea contemplari valeat quæ naturali acumine nunquam videre potuisset; cum insuper voluntate naturaliter instructus sit ad bonum beatumque prosequendum, virtus ejus ita augetur et exaltatur, ut ad eam tendat bonitatem ac felicitatem, quam sibi relictus nunquam concupiscere ausus fuisset; cum denique ex sola natura destinatus fuisset ad

Deum imperfecte et in speculo videndum, finis ei proponitur illa Dei fruitio, qua ipse Deus beatus est, quæque insitum humanæ naturæ felicitatis desiderium sola quietare potest. His autem cumulatissime perfici hominis naturam quis inficiabitur? Ergo.

3. Denique *naturalem ordinem felicissime complet*; data nimirum sola creatione, certa quidem ordinatio creaturæ ad Deum constituitur, qua Deus dominus et creatura serva exhibetur, non vero optanda filiationis et intimæ amicitiæ relatio : hanc autem suapte inducit hominis ad statum supernaturalem elevatio, si quidem per gratiam sanctificantem homo divinæ uaturæ consors ac proinde Dei filius et amicus, regnique cœlestis hæres efficitur, donec per intimiorem sui cum Deo clare viso conjunctionem ipsi similis evadat, juxta illud S. Joan. (Ep., III, 2) : « Cum apparuerit, *similes* ei erimus. » Quinimo ipsæ creaturæ inferiores, quibus homo rex et pontifex præficitur, hac ispius exaltatione ad ordinem divinum quadamtenus evehuntur. Unde Apostolus (I *Cor.*, III, 22) merito exclamat : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi; » Christus autem Dei. » Patet igitur ordinem naturalem, nedum supernaturalis ordinis institutione destruatur, ab eo contra altissime extolli adeoque quam maxime perfici.

CAPUT III.

DE HOMINIS LAPSU.

128. Lapsus iste humanæ naturæ in eo versatur, quod peccaverit primus homo et posteris transmiserit peccatum suum, quod ideo dicitur *peccatum originale*. Quæ vero ad lapsum hominis spectant, tribus articulis absolvemus, disserendo sigillatim — 1. de protoparentum lapsu; — 2. de peccati originalis in Adæ posteros propagatione; — 3. de peccati originalis effectibus.

ARTICULUS I.

De protoparentum lapsu.

129. Certum est protoparentibus a Deo impositum fuisse præceptum, et quidem grave, non comedendi de ligno scientiæ boni et mali. Constat primum Scriptura et Traditione.

1. *Scriptura*; legitur enim (*Gen.*, II, 16) : « Præcepitque ei » dicens : ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem » scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die » comederis ex eo, morte morieris » ; et (*Ibid.*, III, 1 et seq.) : « Cur *præcepit* vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno » paradisi? Cui (serpenti) respondit mulier : de fructu ligno- » rum quæ sunt in paradiso vescimur; de fructu vero ligni, » quod est in medio paradisi, *præcepit* nobis Deus ne comede- » remus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. »

Quæ quidem verba a Scriptore historico omnimoda fide digno relata omnino aperta sunt verumque præceptum manifeste exprimunt.

2. *Traditione*; namque SS. Patres id unanimiter asserunt; Clemens Alex. (*Strom.*, l. 5) ait : « Adam fuit perfectus; elegit autem quod vetitum erat. » S. Cyprianus (*De Incarn. Verbi*) dicit : « In origine statim mundi et generis humani, Adam *præcepti* immemor et *datæ legis* transgressor fuit : » Ita etiam S. Irenæus (l. 5, *adv. Hæres*, c. 19), S. Chrysostomus (hom. 16 *in Genes.*) et alii. — Idem affirmat Concilium Trid. (sess. 5, can. 1) his verbis : « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum *mandatum Dei* in paradiso fuisset transgressus, » etc. Ergo.

Constat *secundum*, videlicet prædicti mandati *gravitas*, tum ex eo quod fide edocemur Adamum et Evam, præceptum illud violando graviter peccasse, de quo infra ; — tum ex comminatione mortis illi superaddita, quæ sive de morte animæ, sive de morte corporis intelligatur, nonnisi peccato gravi apponi potuit; — tum ex ipsa peccati materia; etsi enim secundum se non gravis esse videatur, nihilominus ut substabat divino præcepto, et voluntati, per quam abstinentia illa imposita fuit

quasi peculiare tributum in signum subjectionis et obedientiæ, materia erat gravissima et ad obligationem præcepti sub mortali culpa sufficientissima; imo, uti observat Augustinus (*de civit. Dei*, c.15), lex illa eo gravius obligabat, quo in illo statu facilius impleri potuit.

Ex quibus patet eam fuisse hujus præcepti rationem, ut scilicet homo suam Deo sujectionem et obedientiam ostenderet. Hoc autem convenientissimum fuit, quia in aliis præceptis aliqua ratio mali vel incommodi præter Dei prohibitionem invenitur; et ideo talis prohibitio facta est, quæ ex sola transgressione voluntatis Dei mala esset, ut inde ostenderetur inobedientiæ malitia, quia ex sola ratione obedientiæ abstinere bonum fuit, et comedere malum, quod alias, seclusa prohibitione, malum non esset (Suarez, *De oper. sex dier.*, l. 3, c. 21, n. 9).

Quibus præmissis, inquirendum jam venit utrum et quatenus protoparentes mandatum divinum trangressi sint atque peccando e suo justitiæ originalis statu exciderint. Sit igitur sequens

130. Assertio : *Primi parentes mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt ac per ejus trangressionem graviter peccarunt; ideoque a justitiæ originalis statu exciderunt.*

Est de fide, decernente Conc. Trid. (sess. 5, can. 1) : « Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum *mandatum Dei fuisset* in Paradiso *transgressus;* statim *sanctitatem et justitiam* in qua constitutus fuerat, *amisisse*, *incurrisseque* per offensam prævaricationis hujusmodi *iram et indignationem Dei*, atque ideo *mortem,* quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, *totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse*; anathema sit. »

Prob. 1ª pars, nempe protoparentes *mandatum sibi a Deo datum transgressos fuisse*

1. *Scriptura Sacra* ; nam (*Gen.*, III, 6) dicitur : « Vidit igitur » mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum » oculis aspectuque delectabile; et *tulit* de fructu illius et

» *comedit*, deditque viro suo qui *comedit*. » Quæ quidem verba transgressionem non tantum materialem, sed etiam *formalem* exprimunt; quippe quum non defuerint protoparentibus cognitio et libertas, uti perspicuum est. Unde Apostolus (*Rom.*, v, 12) scribit; « Per unum hominem (Adam) » peccatum in hunc mundum intravit. » Confirmatur ex aliis textibus, in quibus evidens allusio occurrit ad peccatum primi hominis; sic (*Eccli.*, xxv, 33) legitur : « A muliere factum est » initium peccati, et per illam omnes morimur; » eamdem ob causam Christus (*Joan.*, viii, 44) diabolum vocat *homicidam* ab initio.

2. *Traditione*; namque SS. Patres de protoparentum lapsu frequenter disserunt; huc quippe faciunt verba Clementis Alex., necnon S. Cypriani modo recitata (n. 129); quibus addi potest testimonium S. Athanasii (*de Incarn. Verbi*) dicentis : « Homo natura sua liber factus et sine peccato, serpentis astu et persuasione *lapsus est*. » — Neque solum apud Christianos, verum etiam apud Judæos constans fuit persuasio protoparentes nostros peccasse; veteres enim Hæbræi tradunt malorum dæmonum principem, quem *Sammaelem* vocant, Evam ad peccandum induxisse.

Neque dicatur protoparentes, cum essent intellectu perfecto rectaque voluntate prædíti ideoque ab omni mala concupiscentia immunes, peccare non potuisse. Responsio enim in promptu est; prædicta siquidem dona, quantacumque supponantur, non tollebant defectibilitatem propriam naturæ creatæ, propter quam primi parentes peccare potuerunt et reipsa peccarunt. Cæterum, uti advertit Knoll, tota hæc difficultas solummodo versatur circa modum, quo protoparentes excellentibus donis instructi, peccare potuerunt : ignorantia autem modi non tollit certitudinem facti.

Secunda pars assertionis, quæ spectat *ad gravitatem peccati* a protoparentibus admissi, jam colligi potest ex supra dictis de gravitate præcepti ipsis a Deo dati, ne scilicet comederent de ligno scientiæ boni et mali; uberius vero declaranda est sive Scriptura, sive traditione, sive ipsa ratione.

1. *Scriptura Sacra*; in ea enim protoparentum culpa exhi-

betur veluti apostasia, recessus a Deo omnisque perditionis initium ; sic (*Eccli.*, x, 14) legitur : « Initium superbiæ homi- » nis apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit » cor ejus » ; et (*Tob.*, iv, 14) de superbia, qua primus homo contra Deum prævaricatus est, dicitur : « In ipsa initium » sumpsit omnis perditio. » Hæc autem procul dubio peccatum grave innuunt. Ergo.

2. *Traditione.* Enimvero SS. Patres dissertis verbis asserunt protoparentes graviter peccasse. Audiatur imprimis S. Augustinus, qui (*de Civit.*, l. 14, c. 12) hæc habet de protoparentum peccato : « Non ideo debet aliquis existimare leve, aut parvum fuisse illud commissum, quia in ea esca factum est non mala neque noxia, nisi quia prohibita,... sed obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum ; unde (op. imperfect. *contr. Jul.*, l. 1, c. 105) peccatum Adæ vocat *ineffabiliter grave peccatum.*

3. *Ratione ipsa*; namque gravissimam fuisse protoparentum prævaricationem, facili negotio erui potest — tum ex *peccati specie*, nempe *superbia*, qua attributum Deo proprium, videlicet independentiam, sibi tribuere concupierunt; — tum ex *facilitate Dei mandatum observandi*, cum multos alios cibos exquisitissimos haberent; — tum ex *peccatorum multitudine*, quæ per hunc actum perpetrarunt simul. Unde S. Augustinus : « Et *superbia* est illi, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit ; et *sacrilegium*, quia Deo non credidit ; et *homicidium*, quia semetipsum præcipitavit in mortem ; et *fornicatio spiritualis*, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est ; et *furtum*, quia cibus prohibitus usurpatus est ; et *avaritia*, quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit » (*Enchirid.*, c. 45, n. 13). His adduntur a D. Thoma : « *Curiositas*, qua scientiam inordinate concupivit : *inobedientia*, qua mandatum Dei transgressus est : *amor uxoris inordinatus* ex parte Adami, et *scandalum* ex parte Evæ, quæ virum suum ad peccatum induxit. Imo ex parte utriusque *parricidium*, quo posteris suis mortem temporalem atque æternam creduliter intulerunt » (*Opusc.* 9, cap. 6).

Notandum est tamen cum S. Thoma (1. 2, q. 163, a 3) primi hominis peccatum, si secundum speciem peccati spectetur, non esse « omnibus peccatis humanis gravius... Etsi enim superbia secundum suum genus habeat quamdam excellentiam inter alia peccata ; major tamen est superbia, qua quis Deum negat vel blasphemat, quam superbia, qua quis inordinate divinam similitudinem appetit; qualis fuit superbia primorum parentum » (ut mox dicetur). At vero aliud dicendum est, si gravitas peccati attendatur secundum circumstantiam personæ ; sub eo nimirum respectu peccatum illud habuit maximam gravitatem, tum propter perfectionem status ipsorum, tum ratione nocumenti, siquidem hujusmodi prævaricatio totam naturam humanam infecit.

Tertia pars assertionis, in qua affirmatur protoparentes, ob suam culpam, *e statu, in quo constituti fuerant, excidisse*, constabit, modo ostendatur protoparentes per peccatum amisisse sive gratiam sanctificantem, sive immunitatem a concupiscentia, morte aliisque vitæ hujus ærumnis : in his enim donis præcipue versatur, ex jam dictis, justitiæ originalis status. Dico *præcipue*, quia aliud est donum, quod protoparentibus ex gratuita Dei benignitate concessum fuisse supra demonstravimus, summa videlicet rerum naturalium et supernaturalium scientia. Hæc autem, cum primo homini data fuerit non tantum ad integritatem et felicitatem status, in quo homo ante peccatum constituebatur, sed etiam quia ipsi necessaria erat ut posteros instrueret atque gubernaret, nec aliunde posteris communicanda erat, uti perbelle declarat S. Thomas (1, q. 101, a. 1), hæc, inquam, per peccatum tolli non debuit.

Jam vero *constat* — 1. gratiam sanctificantem per peccatum primis parentibus sublatam fuisse. Legitur enim (II *Cor.*, VI, 14) : « Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ » societas lucis ad tenebras? » et (*Joan.* III, 9) : « Omnis qui » natus est ex Deo, peccatum non facit ; » ex quibus patet gratiam sanctificantem cum peccato consistere non posse. — Idem affirmant SS. Patres ; pro quibus sit S. Irenæus, qui (*ad Hær.*, l. 3, c. 23) dicit de Adamo, quod « eam, quam habuit a Spiritu Sancto *sanctitatis stolam*, per inobedientiam amisit. »

Constat — 2. pariter evanuisse cætera quæ jam commemoravimus justitiæ originalis privilegia. Nam (*Genes.*, III, 7) dicitur de protoparentibus, quod post peccatum « aperti sunt » oculi amborum; *cumque cognovissent sese esse nudos*, con» suerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata; » quod quidem evidenter innuit ipsos concupiscentiæ jam subditos fuisse. — Sed imprimis nota sunt verba, quibus varias hujusce vitæ miserias ipsamque mortem comminatus est Deus (*Genes.*, III, 16 et seq.), quando dixit mulieri : « *Multiplicabo ærumnas* » *tuas..., in dolore* paries filios et sub viri potestate eris; » et Adamo : « *Maledicta terra in opere tuo... In sudore vultus tui* » *vesceris pane*, donec *revertaris in terram*, de qua sumptus es: » *quia pulvis es* et *in pulverem* reverteris ; » quod quidem confirmavit experientia ; omnes siquidem norunt Adæ biographiam sic concludi (*Gen.*, V, 5) : « Et mortuus est. »

Neque aliud docent SS. Patres; scribit quippe S. Augustinus (*de Genes. ad litt.*, l. 11, c. 1) : « Erant ergo ambo nudi... Nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ? Quæ illos pœna peccati post prævaricationem secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, et justitia puniente commissum. » — Item S. Cyprianus (Serm, *de Bono Pas.*) hæc de amissione immortalitatis habet : « In illa prima transgressione præcepti *firmitas corporis cum immortalitate discessit.* » — Demum quoad immunitatem ab ærumnis apposite ait Theophilus Antioch. (*Ad Antol.*, l. 2, n. 25) : « Primo homini mandati prætergressio id attulit, ut *e paradiso ejiceretur;* » et S. Ambrosius (*de Paradiso*, c. 14, n. 70) : « Adam, ubi es? id est, de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia in quam miseriam recidisti? » Ergo.

131. Quæritur 1. *Quomodo protoparentes ad peccandum inducti sint?*

Resp. 1. Protoparentes peccasse tentatos a dæmone, constat ex Genesi (III, 1 et seq.), in qua fuso sermone narratur istiusmodi tentatio; insuper (*Sap.*, II, 24) legitur : « Invidia diaboli » mors introivit in orbem terrarum. » Cæterum communis est doctorum sententia nec Adamum nec Evam peccato superbiæ

jam commaculatos fuisse ante diaboli tentationem, ideoque illius antiqui serpentis suggestionem causam fuisse cur ambo peccaverint.

Dissentiunt tamen auctores circa naturam serpentis, a quo Eva seducta dicitur. Vide apud Knoll (*de Deo creat.*, § 211) varias quæ ea de re prodierunt opiniones. Quidquid sit, affirmandum nobis videtur cum communiori sententia Evam tentatam fuisse per serpentem verum et naturalem, quo usus est diabolus veluti instrumento ad formandas voces humanis similes.

Resp. 2. Causam *intrinsecam* peccati protoparentum reponendam esse in ipsorum voluntate defectibili, non autem in ignorantia vel concupiscentia; ratio patet ex dictis, siquidem ante peccatum primi parentes nec ignorantia laborabant, nec concupiscentiæ obnoxii erant.

132. Quæritur 2. *Quonam ordine varia protoparentum peccata sibi successerint?*

Resp. 1. Primum peccatum protoparentum fuit *superbia*. Constat — 1. *Scriptura*, in qua hæc legere est : « *Initium superbiæ* hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit » eum, recessit cor ejus » (*Eccli.*, x, 14); et infra : « Initium » omnis peccati *superbia*. » Jam protulimus verba Tobiæ dicentis filio suo (*Tob.*, iv, 14), quod « in illa (superbia) *initium* » *sumpsit* omnis perditio. » — 2. *Auctoritate* SS. Patrum, pro quibus sint S. Ambrosius (Serm. 14. *in Ps.* cxviii) : « Superbia hominem *prima* dejecit; » et S. Augustinus, qui (l. 2, *de Genes ad litt.*, c. 5) scribit : « Neque arbitrandum est quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcesserit in anima hominis *quædam elatio* comprimenda. » — 3. *Ratione;* quia nempe primi parentes peccare non potuerunt ex affectu alicujus objecti sensibilis; secus appetitus inferior non fuisset rationi perfecte subjectus, nec proinde immunes fuissent a concupiscentia. Ergo primum peccaverunt ex appetitu boni spiritualis ultra mensuram sibi competentem, qui est nimius amor propriæ excellentiæ (Cf. S. Thomas, 2. 2, q. 163, a. 1).

Ex quo inferre licet superbiam protoparentum fuisse in hoc quod appetierint inordinate divinam similitudinem, non quidem æquiparentiæ seu ad æqualitatem, hæc siquidem simili-

tudo non cadit sub apprehensione saltem sapientis, sed similitudinem secundum *quamdam imitationem*, seu participationem in scientia boni et mali citra mensuram sibi competentem. Unde serpens non dixit Evæ : « *Eritis Dii*, » sed : « Eritis *sicut* Dii, » et Deus exprobrando Adæ suam culpam : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum » (Cf. Billuart, *de Opere sex dier.*, diss. 8, a 1).

Resp. 2. *Quoad alia peccata primo conjuncta*,

In *Eva*, secundum peccatum fuit *infidelitas;* credidit Eva serpenti dicenti : « *Eritis sicut Dii scientes bonum et malum;* » credidit insuper Deum prohibuisse esum ligni quasi ex invidia, ne fierent sicut Dii; quæ duo errorem intolerabilem continent; credidit demum istam scientiam boni et mali, qua aliqualis daretur similitudo cum Deo, ipsi ex esu fructus vetiti obventuram esse. Et sic Eva in errorem a serpente inducta est, ut expresse asserit Apostolus : « Mulier *seducta in prævaricatione fuit* » (I *Tim.*, II, 14). — Tertium Evæ peccatum fuit *gula*, ut constat ex his verbis Genes. (III, 6) : « Vidit mulier » quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis » aspectuque delectabile. » — Quartum fuit realis *manducatio* hujus fructus adeoque specialis inobedientia, quæ fuit consummatio transgressionis præcepti positivi. — Demum quintum peccatum fuit *scandalum*, quatenus nempe induxit virum ad peccatum.

In *Adamo*, secundum peccatum fuit *inordinatus affectus uxoris*, ut colligitur ex eo quod pro excusatione responderit Deo culpam exprobranti : « Mulier, quam dedisti mihi sociam, » dedit mihi de ligno et comedi. » — Tertium peccatum fuit etiam *gula*, seu nimius appetitus comedendi fructum vetitum, quem videbat pulcherrimum. — Quartum fuit *actualis inobedientia*, seu comestio fructus vetiti, quæ fuit consummatio transgressionis præcepti positivi, de quo supra.

Utrum vero Adam fuerit a serpente seductus ac proinde in fide peccaverit sicut Eva non certo constat. Affirmant multi SS. Patres; at negare videtur S. Paulus (I *Tim.*, II, 14) dicens : « *Adam non est seductus*, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. »

133. Quæritur 3. *Quid tenendum sit de justificatione et salute protoparentum?*

Resp. 1. Adamus primæ transgressionis suæ veniam obtinuit; legitur enim (*Sap.*, x, 1) : « Hæc (id est Sapientia) illum » qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum » solus esset creatus, custodivit, et *eduxit illum a delicto suo*, » id est, a peccato suo illum liberavit, et in gratiam restituit. Idem affirmant SS. Patres.

Resp. 2. Adamus æternam beatitudinem promeruit. Illud pariter asserunt sancti Doctores; S. Augustinus de protoparentibus ait : « Post peccatum juste vivendo, merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati (lib. 2, *de Peccat. merit.*, cap. 34, n. 55). — S. Hilarius : « Adam, inquit, veniæ reservatus, et glorificatus in Christo est » (*In Ps.* CXIX, n. 4). — Item Patres qui dixerunt Adamum fuisse sepultum in loco Calvariæ, sentiunt non sine mysterio illud esse factum, sed quia Adam efficaciam sanguinis Christi primus experturus erat.

Resp. 3. Quod de Adamo dictum fuit, de Eva æqua ratione dicendum est; quamvis enim de Adamo potissimum loquantur Patres, de Eva tamen sermonem habent. Sic S. Gregorius Naz. de Adam et Eva dixit. « Utrumque serpens decepit, utrumque Christus passione sua salute donavit » (Orat. 31, *circa cap.* 19 *Matth.*). Et S. Anselmus : « Adam, inquit, et Evam ad illam pertinuisse redemptionem, dubitandum non est » (lib. 2, *Cur Deus homo*, cap. 16). Unde Suarez concludit temerarium esse salutem vel solius Evæ in dubium revocare, cum nulla sit dubitandi ratio (*De opere sex dierum*, lib. 4, cap. 9, n. 20).

ARTICULUS II.

De propagatione peccati originalis in Adæ posteros.

Tria expendemus : — 1. an et quatenus Adæ peccatum in omnes ejus posteros transfundatur; — 2. in quo sita sit formalis ratio peccati originalis; — 3. undenam desumenda sit traductio peccati originalis in omnes Adæ posteros.

§ I. An et quatenus Adæ peccatum in omnes ejus posteros transfundatur?

134. Status quæstionis. Tria in Adæ lapsu distingui possunt, scilicet *actus* ipse, quo divinam legem transgressus est, *reatus culpæ* exinde dimanans, seu status perseverans aversionis a Deo, ultimo fine, sub displicentia et improbatione Dei et *reatus pœnæ*, id est, obligatio ad subeundam pœnam a Deo, justo judice inflictam. Actus transgressionis, ut patet, Adæ omnino proprius fuit. Utrum vero in ejusdem posteros transierit non tantum *reatus pœnæ*, ita ut ob protoparentis prævaricationem omnes morti, concupiscentiæ, infirmitati et variis hujus vitæ miseriis obnoxii sint, æternæque felicitatis jam participes fieri non possint, sed etiam *reatus culpæ*, ita ut vero et proprie dicto peccato, non quidem actuali, sed habituali, quod vocatur peccatum originale, affecti nascantur, in hoc sita est præsens inquisitio; quæ quidem eo majoris est momenti, quod tota religio Christiana duobus his, ut ita dicam, cardinibus volvitur, peccati nempe originalis in omnes homines propagatione et totius humani generis per Christum redemptione, ipsaque redemptio cum peccato originali arctissime nectitur.

Jam vero Adæ peccatum in ejus posteros transfundi *indirecte* negarunt — 1. Manichæi, qui originem mali a malo principio repetebant; — 2. Origenistæ, qui contendentes animas Adamo præexstitisse, illasque in aliis corporibus peccasse, asserebant baptismum institutum fuisse, ut delerentur peccata ab illis animabus ante commissa, non autem ipsum peccatum ab Adamo proveniens.

Idem dogma *directe* inficiati sunt post Pelagianos, qui contendebant Adæ peccatum ipsi soli, non autem ejus posteris, nisi exemplo et scandalo, nocuisse, Albigenses, Anabaptistæ, Zwingliani, Sociniani omnesque Rationalistæ recentiores.

His præmissis, antequam ex fontibus fidei demonstrandum suscipiamus Adæ peccatum in omnes homines transiisse omnesque proinde hoc peccato, quod originale dicitur, inquinatos procreari, notandum ducimus Beatam et Immaculatam

Virginem Mariam una cum Christo Domino ab istiusmodi peccati culpa omnino excipi; sed de hoc alibi sermo erit. Interim sequens sit

135. Assertio : *Adæ peccatum in omnes homines transfunditur, seu verum datur peccatum originale.*

Est de fide; hæc enim habet Concilium Trident. (sess. 5, can. 2) : « Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asseruerit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, *non autem et peccatum*, quod mors est animæ : anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, et imprimis ex celeberrimo textu S. Pauli (*Rom.*, v, 12 et seq.), quo jam primis sæculis usi sunt SS. Patres in disputatione contra Pelagianos. Hæc sunt Apostoli verba : « Sicut *per unum hominem peccatum* in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines » mors pertransiit, *in quo omnes peccaverunt*.... Sicut *per unius* » *delictum in omnes homines in condemnationem*, sic et per » unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ... » Sicut per *inobedientiam unius hominis, peccatores constituti* » *sunt* multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur » multi. »

Porro ex his verbis constat peccati originalis in omnes homines transfusio, tum quia ejusdem rationis esse dicuntur peccatum et mors; quæ cum ab uno Adam in omnes pertransiit, sequitur peccatum etiam in omnes transiisse; — tum quia aperte declaratur omnes homines in Adamo peccavisse : « *In quo* (homine Adam) *omnes peccaverunt*; » — tum denique ob institutam comparationem inter delictum Adæ et Christi redemptionem; si enim omnes homines, prout Christo adhærent, gratiam et justitiam ab eo recipiunt, item omnes, prout cum Adamo nectuntur, id est, ab eo descendunt, peccatum et mortem jure contrahunt.

Pluribus aliis Scripturæ textibus eadem declaratur veritas : « Quis potest facere mundum *de immundo conceptum semine?*

» nonne tu qui solus es? » (*Job.*, XIV, 4). « Ecce enim *in ini-* » *quitatibus* (aut in *iniquitate*, ut fert textus hebraicus) *concep-* » *tus sum* et in peccatis concepit me mater mea » (*Ps.* L, 7). Patet igitur omnes homines in conceptione maculari et idcirco existere originale peccatum.

PROB. 2. *Traditione*, nempe :

1. *Ex testimoniis SS. Patrum;* S. Justinus ait : « Nec nasci, nec crucifigi ideo sustinuit (Christus), quod his rebus indigeret, sed pro humano genere quod *ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat* » (Dialog. cum Triphone, c. 88). — S. Athanasius : « *Ob Adami iniquitatem,* omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur » (*In Ps.* L, n. 7). — S. Augustinus sic Pelagium interpellat : « Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus » (*De Nuptiis*, lib. 2, cap. 12, n. 25).

2. *Ex declarationibus conciliorum.* Audiatur imprimis concilium Milevitanum, anno 416 in Africa habitum, in quo Pelagiana hæresis de existentia peccati originalis ita damnatur : « Placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum quidem baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur; anathema sit. » Et pro ratione subjungit : « Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, » etc., nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. » — Concilium Arausicanum II, anno 529, idem definivit his verbis : « Si quis soli Adæ prevaricationem suam et non etiam ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit; contradicens Apostolo dicenti : Per unum hominem, etc. » — Confirmant etiam concilium Florentinum in litteris unionis et concilium Tridentinum, cujus decretum jam protulimus. Vide etiam can. 3 et 4.

3. *Ex definitionibus Summorum Pontificum*, præsertimque

Innocentii I, qui in concilio Romæ coacto decretum Milevitanum sua auctoritate firmavit, necnon Papæ Zozimi, a quo Pelagii et Cœlestii errores in Epistola ad episcopos totius orbis directa damnati fuerunt.

Prob. 3. *Rationibus theologicis. Prima* sumitur ex generali Christi redemptione. Christus enim est redemptor omnium hominum, neque solum adultorum, sed etiam parvulorum, cum mortuus sit non solum pro adultis, sed etiam pro parvulis, juxta illud S. Pauli (II *Cor.*, v, 15) : « Christus pro omnibus mortuus est; » redemptio autem supponit servitutem peccati, sicut medicina morbum. Ergo non solum adulti, sed etiam parvuli astricti sunt servitute peccati, non actualis, ut patet; ergo originalis.

Secunda petitur ex baptismo infantibus collato; enim vero baptisma, quidquid in contrarium asseverent Pelagiani, confertur in remissionem peccati alicujus; ergo infantes inquinantur peccato a nativitate. Cæterum idem erui etiam potest ex cœremoniis in baptismo adhibitis, nimirum ex exorcismis, exsufflationibus et precibus, quibus abigitur spiritus immundus; hæc siquidem insulse prorsus usurparentur, si baptizandus a spiritu immundo per peccatum captivus non teneretur.

Tertia defluit ex necessitate moriendi innumerisque calamitatibus et miseriis, quas ab ipsis etiam incunabulis homines experiuntur. Constat enim ex antea probatis hominem, qualis primum a Deo creatus est, his omnibus minime obnoxium fuisse : at vero communis pœna communem præcessisse culpam ostendit. Ergo agnoscendum est peccatum omnibus commune, etiam infantibus, a quo veluti a causa procedunt ærumnæ hujusce vitæ ipsaque mors.

136. Obj. 1. « Anima quæ peccaverit ipsa morietur; *filius non portabit iniquitatem patris* » (*Ezech.*, xviii, 2); ergo rejici debet peccatum originale. — Resp. in his verbis sermo est de peccatis actualibus; si autem agatur de peccato originali, dicendum est illud peccatum esse proprium non proprietate actionis, sed contagione propaginis. Cæterum hæc fusius evolventur infra, ubi de natura peccati originalis.

137. Obj. 2. « Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo

» magis..., gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu » Christi *in plures abundavit*; » ergo plures justificantur in Christo quam ii qui in Adamo peccaverunt; ergo non omnes in Adamo peccaverunt. — Resp. Apostolus in vocibus *multo magis in plures* non significat multitudinem participantem gratiæ, sed copiam gratiæ quæ superavit delictum. Confirmatur responsio ex eo quod in textu græco non habeatur vox comparativa *plures*, sed *multos*.

138. Obj. 3. « Sicut in Adam *omnes moriuntur*, ita et in » Christo *omnes vivificabuntur* : » atqui non omnes vivificantur in Christo; ergo nec omnes mortui sunt in Adamo. — Resp. Recte omnes dicuntur vivificati in Christo, tum quia in gratia Christi est vis seu potestas omnes salvandi; tum quia nullus est qui vivificetur nisi per Christum. Ita S. Augustinus (lib. *de Nupt. concup.*, cap. 27, n. 46).

Plura etiam ex ratione objiciuntur; quibus diluendis viam sternent quæ de peccati originalis natura mox dicturi sumus. Interim nonnullæ quæstiones solvendæ veniunt. Itaque

139. Quæritur 1. *Quodnam Adæ peccatum causa fuerit traductionis peccati originalis?*

Resp. Causa cur traducatur Adæ peccatum reponenda est in *inobedentia,* qua ipse legem prohibentem esum fructus arboris scientiæ boni et mali transgressus est; et hoc patet tum ex pœna huic transgressioni a Deo ipso imposita : « in quacumque » die comederis, morte morieris » ; tum ex verbis Apostoli (*Rom.*, v, 19) : « Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt » multi. » — Nec dicatur primum Adæ peccatum non fuisse illam comestionem, sed superbiam, ideoque ab hac, non ab illa repetendam esse traductionem peccati originalis, dicente S. Thoma (1. 2, q. 81, a. 2, ad 3) quod *primum* peccatum corrumpit naturam humanam corruptione ad naturam pertinente. Dum enim tribuitur traductio peccati originalis inobedientiæ Adæ seu comestioni de ligno vetito, non excluditur superbia, nec aliæ difformitates, quæ in hac comestione includuntur, et quarum est executio seu complementum; sed ideo illi tribuitur, quia effectus solet tribui actui exteriori (Cf. Sylvius, in 1. 2, q. 81, art. 1).

Utrum vero, Adam, non comedente de cibo vetito, sed aliud grave peccatum committente, hoc fuisset in posteros ejus transfusum, controvertitur. Affirmat S. Thomas (in 2. dist. 33, in fine) contra nonnullos aliter censentes, eo quod de sola comestione fructus arboris scientiæ boni et mali mentio fit tum in Genesi, tum in epistolis S. Pauli, tum in operibus SS. Patrum.

140. Quæritur 2. *Utrum, Adamo non peccante, sed Eva tantum, posteri contraxissent peccatum originale.*

Resp. *Negative;* et hoc eruitur — 1. ex doctrina Apostoli dicentis peccatum in hunc mundum intrasse « *per unum hominem, per unius delictum,* per *unius* inobedientiam; » quæ quidem falsum quid exprimerent, si peccatum originale ab Eva transmitteretur; — 2. ex concilio Tridentino definiente Adæ prævaricationem non sibi tantum, sed et ejus propagini nocuisse, et acceptam a Deo justitiam non sibi soli, sed et nobis perdidisse; ex quo sequitur etiam peccatum originale ab Eva non transfundi; secus dicendum foret Adam nobis non nocuisse, nec nobis justitiam amisisse, siquidem illam totam in Eva peccante perdidissemus; — 3. ex eo quod solus Adam et non Eva constitutus fuit caput morale generis humani quantum ad conservationem vel amissionem justitiæ originalis : unde peccatum Adæ fuit capitale; Evæ autem culpa personalis.

141. Quæritur 3. *Utrum, Adamo non peccante, ejus posteri nati fuissent confirmati in gratia.*

Resp. *Negative,* probabilius saltem. Enim vero pueri in sua nativitate non habuissent plus perfectionis quam parentes a Deo acceperunt : porro certum est Adamum et Evam non confirmatos fuisse in gratia. Ergo. — Cæterum creatura rationalis, secluso speciali Dei privilegio, non confirmatur in gratia nisi per claram Dei visionem, cujus sane participes non fuissent, cum nascerentur, Adæ posteri. — Demum donum infallibiliter perseverandi, cum sit specialissimum, neque statui innocentiæ debitum, ex vi illius status minime colligi potest (Cf. S. Thomas, 1, q. 100, art. 2; Suarez, *de Op. sex dier.*, l. 5, c. 9).

§ 11. Quænam sit formalis ratio peccati originalis?

142. Prænotanda. CERTUM EST — 1. peccatum originale non esse *ipsam animæ substantiam*, quatenus per peccatum ex bona in malam conversa est. Hæc quippe sententia, quam docuit Mathias Illyricus, rejicienda est, quia — 1. facit Deum auctorem peccati, siquidem nulla est substantia, quæ a Deo creante non procedat; — 2. pugnat cum Concilio Tridentino definiente (*Sess.*, 5, c. 5) per baptismum tolli totum id quod habet rationem peccati; anima quippe non tollitur; — 3. denique rem impossibilem tribuit actuali Adæ peccati, corruptionem nempe substantialem animæ nondum existentis.

143. CERTUM EST — 2. peccati originalis essentiam non esse reponendam in hæreditaria pravitate et corruptione, ignorantia scilicet, difficultate Deo obsequendi, propensione ad malum, præsertim vero *concupiscentia*, quæ Adæ culpam subsecuta est. Hæc enim opinio, quam post novatores tenuerunt Baius et Jansenistæ nostrisque temporibus Hermesius a Gregorio XVI damnatus (*Dum acerbissimas*, 26 sept. 1835), falsa omnino atque fidei adversa ostenditur

1. *Scriptura Sacra;* legitur enim (*Jac.*, I, 14) : « Unusquis- » que tentatur a concupiscentia abstractus et illectus; deinde » concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum » vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. » Ex quibus verbis manifeste apparet concupiscentiam a peccato distingui « sicut partus a parturiente discernitur » ait S. Augustinus (*Cont. Jul.*, l. 6, n. 15).

2. *Concilio Tridentino* (sess. 5, c. 5), quod, post damnatum errorem Lutheri asserentis per baptismum non tolli totum id quod habet rationem peccati, sed tantum radi aut non imputari, statim subjungit : « *Hanc concupiscentiam*, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse *peccatum* appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit : anathema sit. »

3. *Ratione theologica.* Ex B. Paulo (*Rom.*, VIII, 1) in renatis

nihil odit Deus, id est, nihil remanet damnatione dignum; remanet tamen concupiscentia. Ergo.

144. CERTUM EST — 3. essentiam peccati originalis non magis reponendam esse, ut dixerunt nonnulli antiquiores theologi post Petrum Lombardum, *in morbida qualitate* ab Adamo in posteros transfusa, quæ primum Adami animam infecit et deinde in corpus transiit; nunc vero contrahitur in carne per generationem, et animæ eo instanti communicatur, quo unitur corpori, per modum habitus inclinantis ad bonum commutabile. Ratio est quia — 1. opinio ista parum aut nihil differt a sententia Protestantium, qui essentiam peccati originalis reponunt in concupiscentia; qualitas enim, de qua modo, vocatur sæpissime ab ejus assertoribus concupiscentia, et juxta illos post baptismum remanet; — 2. hæc morbida qualitas, quam positivam fingunt, rationem peccati habere nequit, quin et ipse Deus peccati assertor censeatur; omne siquidem positivum ab eo provenit, ut est causa prima; — 3. sanæ philosophiæ principiis non consonat qualitatem corpoream ex carne in animam derivari posse, aut in ea producere habitum.

145. CERTUM EST — 4. peccatum originale non esse ipsum Adæ peccatum posteris ita *intrinsece imputatum*, ut, licet nullum ex eo peccatum intrinsece et formaliter contrahant, peccatores tamen reputentur scelerisque paterni pœnas effective luant ad eum modum, quo filii nobilium virorum, qui in regem et patriam conjuraverunt, paterni criminis et dedecus participant. Hanc sententiam ante concilium Tridentinum tenuerunt plures theologi insignes, inter quos Albertus Pighius et Ambrosius Catharinus; nec ab ea multum recedere videntur Theologi Wirceburgenses (*de Pecc.*, disp. 3, c. 2, a. 3). Sed omnino rejicienda est. Enimvero Sacrosancta Synodus (sess. 6) quatuor docet quæ conciliari nequeunt cum doctrina Pighii et Catharini.

Docet *primo* peccatum originale, *quod est origine unum, propagatione, non vero imitatione transfundi* : porro peccatum *actuale* nec propagari nec transfundi potest; actus enim statim transit et jam nihil est.

Docet *secundo* peccatum originale *inesse unicuique proprium ;*

jam vero quod intrinsece et formaliter in Adæ posteris non est, sed extrinsece tantum se habet, nec inesse potest, nec dicitur unicuique proprium, sed commune omnibus.

Docet *tertio* originale peccatum per baptismum *non tantum radi aut non imputari, sed etiam tolli sive deleri;* sed quis non videt non aliter dari posse peccati originalis remissionem quam per meram non imputationem, si peccatum illud nihil aliud esset quam peccatum Adæ actuale posteris imputatum?

Docet *quarto* per baptismi *gratiam reatum peccati originalis remitti, tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet;* talis vero efficacia insulse baptismo tribueretur, si peccatum originale consisteret in actuali inobedientia Adami extrinsece imputata, cum nihil esset in parvulis quod reatus ac peccati veram et propriam rationem haberet. Ergo.

146. Quæ cum ita sint, superest ut proponatur ac vindicetur vera tenendaque sententia, quæ quidem asserit peccatum originale consistere in habituali aversione a Deo, seu in privatione justitiæ originalis, qua debuissent Adæ posteri ad Deum ut ultimum finem supernaturalem ordinari, inducta per actum peccaminosum ab eo, ut capite, libere commissum.

Ut autem intelligatur hæc doctrina, sedulo observandum est Adamum non sibi soli justitiam originalem accepisse, sed etiam posteris transmittendam, ita ut omnes ex ordinatione divina, nasci debuissent ea ornati et per eam formaliter ad Deum ultimum finem conversi. Is igitur esse debuit Adami culpæ effectus, ut non sibi tantum, sed etiam posteris amiserit justitiam, eosque formaliter ad sui imaginem peccatores in primo conceptus instanti effecerit: nam sine justitia originali anima corpori infunditur, et hic ejus status tres habet conditiones peccati, non quidem *actualis*, sed *habitualis*, nempe: — 1. est privatio quædam, et non simplex carentia aut defectus; — 2. est privatio debitæ ordinationis ad Deum ultimum finem ac proinde aversio a Deo, fine ultimo supernaturali; — 3. hæc privatio est voluntaria aliquomodo, nempe voluntate Adami totius generis humani capitis, ut infra explanabimus.

His prænotatis, propositæ sententiæ veritatem declarabit sequens

147. Assertio : *Peccati originalis essentia reponenda videtur in privatione originalis justitiæ quoad primarium suum effectum, gratiam scilicet sanctificantem, atque adeo in habituali aversione ab ultimo fine supernaturali, in qua singuli Adæ posteri propter culpam ab eo ut capite commissam contra Dei ordinationem nascuntur.*

Prob. 1. *Auctoritate.* Peccatum originale vocatur a Scriptura, a concilio Arausicano (can. 2) et a concilio Tridentino (sess. 5, c. 2) *mors animæ et inimicitia Dei.* Ergo consistit in privatione principii illius, quo spiritualiter vivimus, et illius habitus quo Dei sumus amici. Hic autem habitus illudque principium est ipsa gratia sanctificans, qua formaliter cum Deo conjungimur et quæ erat primarius effectus justitiæ originalis. Ergo in privatione illius sita est essentia peccati originalis. Unde S. Anselmus (l. 1, *de Concept. Virg.*, c. 26) dicit : « Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui factam per inobedientiam Adæ, *justitiæ nuditatem*, per quam sumus omnes filii iræ. »

Prob. 2. *Ratione*, et quidem multiplici modo. Enimvero — 1. Concilium Tridentinum docet peccatum originale inesse unicuique proprium, et tolli per baptismum totum id quod habet veram rationem peccati. Atqui privatio justitiæ originalis, secundum quod per eam voluntas subjiciebatur Deo, inest unicuique nascentium propria ; eaque sola est, quæ tota tollitur per baptismum, hoc ipso nimirum quod in baptismo confertur gratia et caritas eorum voluntates Deo subjiciens. Ergo gratiæ et caritatis privatio est ipsa essentia peccati originalis. — 2. Desumenda est natura peccati originalis ex natura perfectionis oppositæ, sicut, v. g., desumitur natura cæcitatis ex natura facultatis videndi : atqui perfectio opposita peccato originali est justitia originalis quoad primarium effectum, gratiam scilicet sanctificantem et caritatem. Ergo peccatum originale est ejus privatio. — Idem argumentum sic proponi potest : justificatio prima et peccatum originale sibi opponuntur : atqui formaliter justificamur per gratiam sanctificantem,

nobis ob merita Christi infusam. Ergo formaliter injusti eramus seu peccatores per privationem ejusdem gratiæ ob Adæ transgressionem (Cf. S. Thomas, 1. 2, q. 82, a. 3). — 3. Denique peccatum habituale personale consistit in privatione gratiæ sanctificantis, ut voluntaria voluntate propria personæ : ergo peccatum originale consistit in privatione ejusdem gratiæ, ut voluntaria voluntate capitis, nec aliud discrimen dari potest.

Diximus in assertione — 1. *In privatione justitiæ originalis quoad primarium suum effectum, gratiam scilicet sanctificantem;* nam, etsi justitia originalis pluribus constet donis, sola tamen privatio gratiæ sanctificantis, quæ erat radix cæterorum donorum, potuit habere rationem peccati, quia ex illa privatione tantum resultat formalis aversio a Deo ultimo fine.

Cæterum, ut via præcludatur objectionibus, observabimus gratiæ sanctificantis privationem in peccato originali non sumendam esse *active*, seu ut est *subtractio* gratiæ a Deo facta; sic enim habet rationem pœnæ; sed *passive*, seu ut est *status animæ* eamque per modum habitus afficit.

Diximus — 2. *ob culpam ab Adam ut capite commissam*, ut plene exprimatur ratio formalis peccati originalis; sicque innuitur qua ratione idem peccatum voluntarium dicendum sit. De hoc autem nonnullisque aliis ad intrinsecam peccati originalis essentiam pertinentibus paulo fusius disserere juvabit. Unde

148. Quæritur 1. *An et quænam voluntarii ratio peccato originali tribuenda sit?*

1. Certum est peccatum originale aliquo modo *voluntarium esse;* ex citatis enim textibus Scripturæ et traditionis in asserenda ejus existentia, aperte constat illud esse veri nominis peccatum, quo efficimur omnes *natura filii iræ, Deo odibiles* mortique obnoxii, quod *remitti indiget* ut vitam æternam assequamur, reveraque *per baptismum remittitur* : porro, ubi nullum est voluntarium, dari nequit istiusmodi peccatum.

2. At insuper constat peccatum originale non esse voluntarium in posteris Adæ *voluntate physica actuali et personali*, tum quia, dum peccaret Adamus, nondum existebant; tum quia eo

instanti quo peccatum ejus contraxerunt, in ipso scilicet conceptu, cognitione ac libertate caruerunt.

3. Superest igitur ut peccatum originale *moraliter* tantum *voluntarium sit* in Adæ posteris *præ ipsius Adæ voluntate,* quatenus scilicet ille generis humani parens omnium posterorum personam atque causam gesserit in conservanda amittendave justitia originali; præter enim supra enumeratas ac rejectas voluntarii species, alia excogitari nequit, quæ peccato originali competat; quippe quod ab Adamo derivatur et ab iis contrahitur qui naturam ejus sortiuntur in ipsa hujusce naturæ transfusione. Hæc autem voluntarii ratio, quæ privationi justitiæ in singulis Adæ posteris mediate convenit, non est omnino extrinseca, sed aliquomodo intrinseca : voluntas enim Adæ a qua provenit, etsi extrinseca dici possit relate ad posteros, prout sunt singulares personæ, ad eos tamen pertinet, si referatur ad naturam quam posteri participant (Cf. S. Thomas, 1. 2, q. 81, a. 1).

Quanam vero ratione fieri potuerit, ut Adamus posterorum omnium personam et causam gesserit quoad conservandam amittendamve justitiam originalem, ex dicendis in sequenti paragrapho patebit.

149. Quæritur 2. *An et quatenus concupiscentia dici possit materiale peccati originalis?*

Resp. 1. Jam diximus peccatum originale formaliter consistere in privatione gratiæ sanctificantis. Cum hac vero privatione cohæret amissio integritatis, et imprimis concupiscentia, qua externe manifestatur gratiæ privatio. Unde sicut in statu originalis justitiæ duplex elementum considerari potest, *formale* unum, quod in ipsamet gratia sanctificante consistit, alterum *materiale*, quod in integritate naturæ reponi solet; ita in statu naturæ lapsæ « privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est *formale* in peccato originis : omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet ut *quid materiale* » (S. Thomas, 1. 2, p. 82, a. 3).

Resp. 2. Hæc tamen doctrina Angelici Doctoris non sic intelligenda est, quod velit concupiscentiam esse partem peccati constitutivam, sed quod effectus ejus modi sit qui comparari solet ad causam, sicut materiale ad formale; vel, ut explicant

alii, quia concupiscentia se habet ad deordinationem habitualem voluntatis per gratiæ sanctificantis privationem, sicut pars integrans, quæ eam complet et ab ea suscipit denominationem peccati : unde S. Thomas simpliciter concupiscentiam *materiale* peccati originalis non dicit, sed *quid materiale*.

150. Quæritur 3. *Utrum peccatum originale in Adæ posteris importet habitualem aversionem a Deo, ut fine naturali, seu ut auctore naturæ?*

Resp. Affirmant multi theologi, propterea quod peccatum originale idem dici debet in Adæ posteris ac peccatum habituale Adami, quod quidem habitualem aversionem a Deo non solum ut fine supernaturali, sed etiam ut fine naturali, includebat. — Plurimi tamen negant, nec immerito : nam etsi Adamus contra naturalem rationem et legem peccavit, et ideo se avertit etiam a Deo ut est ultimus finis naturæ, in hoc tantum ut persona particularis egit, quia homines in eo non censebantur contineri nisi in ordine ad supernaturalem legem, nec a justitia originali objective pendebat conversio ad Deum, quæ omnino naturalis est, et esset in homine condito in puris naturalibus. Ita Suarez (*de Pecc.*, disp. 9, sect. 2, n. 21, 22) cum aliis pluribus, quibus suffragari videtur S. Thomas, ut patebit ex dicendis de sorte parvulorum sine baptismo decedentium.

§ III. Undenam desumenda sit traductio peccati originalis in Adæ posteros?

151. Exponuntur præcipuæ explicationes. Non immorabimur in explanandis variis systematibus, quæ hac de re excogitata fuerunt; hæc enim facillime intelliguntur et solvuntur ex relatis supra placitis de peccati originalis essentia. Tres duntaxat explicationes, quæ receptæ a nobis una cum plerisque theologis de eodem argumento sententiæ magis congruunt, proponemus.

Prima est eorum, qui, rejecta qualibet divina ordinatione, vi cujus Adamus caput morale ac juridicum totius generis humani constitutus fuerit, traductionem peccati originalis ex eo repetunt, quod primus homo ipsa sua creatione posterorum *caput naturale* fuerit.

Secunda eorum est, qui in posteris Adæ fingunt *voluntatem interpretativam*, vi cujus hi censentur causam suam Adæ commisisse sive ad bonum, sive ad malum agendum, ita ut, si tunc exstitissent, omnes fuissent in Adamum compromissuri, aut sicut Adamus legem divinam transgressuri.

Tertia, cui post S. Thomam plerique theologi adhærent, *ordinationem divinam* admittit, qua Deus voluntate positiva efficaciter decrevit, ut, quemadmodum Adamus erat physicum principium totius humanæ naturæ propagandæ, ita *caput morale* seu *juridicum* esset quoad propagationem donorum justitiæ originalis.

Hæc quippe dona, inquiunt, non fuerunt ipsi uti singulari personæ concessa, sed in ipso collata fuere *toti* naturæ humanæ, quæ tunc nonnisi in ipso erat. Atque pari ratione lex illa : « de ligno scientiæ boni et mali ne comedas, » Adamo data fuit non modo ut singularis persona erat, sed ut erat *caput juridicum totius humanæ naturæ*. Unde omnes homines unam efformant familiam, seu unius sub Adamo capite corporis sunt membra, ideoque consequi debuit, ut quod faceret Adamus in ordine ad servandum vel transgrediendum præceptum divinum, hoc et posteri moraliter et imputabiliter censerentur facere.

In hac proinde sententia omnes homines, Adamo peccante, in eo peccaverunt, quatenus omnes in eo fuerunt unus homo, non seminaliter tantum, sed et *moraliter*, veluti membra unius corporis sub uno capite; seu, aliis verbis, privatio gratiæ sanctificantis in singulis hominibus consectarium est peccati commissi voluntate unius, non præcise ut unus seu singularis erat, sed prout personam omnium gerebat, qui ex eo per generationem orituri erant.

Jam vero hanc explicationem præ cæteris admittendam esse, sequens ostendet

152. Assertio : *Ideo peccatum originale in omnes Adæ posteros traducitur, quia Adamus, positiva Dei ordinatione, eos omnes ut caput morale ac juridicum in transgrediendo præcepto divino repræsentaverit.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Huc recurrunt omnes supra allegati textus, quibus exprimitur *peccasse* posteros Adami,

imo *in eo peccasse* atque *per ejus unius delictum* constitutos fuisse peccatores : vere enim peccare non potuerunt in protoparente, nisi Adamus posterorum omnium ordinatione divina caput in agendo fuerit.

Et vero, præter illam hypothesim, alia specie verisimilis excogitari nequit, nisi voluntatis interpretativæ aut capitis naturalis : atqui prior gratis prorsus confingitur Deumque immerito inducit imputantem nobis ad culpam quod forsan voluissemus, sed revera noluimus ; posterior autem repugnat, tum quia transfundendæ justitiæ originalis ratio, sicut et ipsa justitia, ordinem naturæ excedit, et a sola Dei voluntate pendet ; tum quia alia etiam Adami peccata, vel etiam ejus pœnitentia nobis imputari debuissent, quod rejiciunt omnes ; tum quia demum sola paternitas nihil in conceptu suo includit, ex quo inferri legitime possit peccatum formale patris filio communicandum esse, ut patet ex Ezechiele (XVIII, 20) : « Anima » quæ peccaverit ipsa morietur : filius non portabit iniquita» tem patris. » Ergo.

PROB. 2. *Traditione.* S. Augustinus pacti cujusdam mentionem facit, dum in illud Genesos (XXII, 14) : « Delebitur anima » illa de populo, quia *pactum meum* irritum fecit, » hæc scribit (*De civit. Dei*, l. 16, c. 27) : « Parvuli non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno *testamentum Dei dissipaverunt*, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis vetere et novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, profecto illud est : « Qua die ederitis, moriemini. » Cui etiam consonat S. Chrysostomus, hæc S. Pauli (*Coloss.*, II, 14) verba explanans : « *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti* ; » dicit enim (Homil. 6, n 3) chirographum illum « id esse quod fecerat ad Adam dicens : « *Quacumque die comederis ex ligno, morte morieris.* » Similia denique dicunt et eodem sensu interpretantur locum illum S. Ambrosius et Rupertus.

SS. Patribus accedit auctoritas S. Thomæ, qui in opusculo de *Malo* (q. 4, a. 1) dicit : « Est autem considerandum quod

primo homini in sua institutione datum fuerat *quoddam supernaturale donum*, scilicet justitia originalis, per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi et corpus animæ. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini, ut *singulari personæ tantum*, sed ut *cuidam principio totius humanæ naturæ*, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amisit eo tenore, quo sibi datum fuerat, scilicet pro se et pro tota sua posteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus posteritatem consequitur. »

Prob. 3. *Ratione.* Si traductio peccati originalis in Adæ posteros non desumenda esset ex ordinatione divina Adamum caput morale ac juridicum totius generis humani constituente, id foret quia talis ordinatio repugnat : atqui, nedum repugnet, pluribus analogiis humanis suadetur, Deique erga homines bonitatem commendat. Sic, in societate domestica, pater non sibi tantum, sed etiam filiis bona acquirit aut acquisita amittit, laudem et gloriam egregie factis meretur aut ignominia pro admissis sceleribus afficitur, contractus init aut resolvit ; sic, in societate civili, pupillos per tutores in administratione suorum bonorum repræsentari princeps decernit ; viro præ uxore concedit amplissimas facultates administrandi bona communia aut etiam de his disponendi ; consensum, ubi exigit æquitas, in quasi contractibus supplet ; sic, in societate ecclesiastica, S. Pontifex ipsique Episcopi, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, divino jure fideles repræsentant in rebus maximi momenti. — Sed insuper, præscindendo ab omni eventu, præfata Dei ordinatio plurimum nobis optabilis erat, eo quod probabilissima affulgebat spes Adamum, tanta gratiarum copia instructum, Dei etiam, sui ac suorum amantissimum, in re facillima Deo potius obtemperaturum ; in hypothesi autem peccati etiam prævisi, benignum nobis se Deus exhibuit, præparando scilicet Redemptorem, quem forsan Adæ posteris denegasset, qui ab accepta justitia originali excidissent. Ergo.

His autem admissis, nulla ex parte videtur cur in Deum redundaret quod anima ab ipsa sui creatione peccato originali

inficiatur. Dum enim primum hominem conderet Deus, justitiam originalem certe ei committere potuit posteris servandam sub conditione adimplendi præcepti, ut vidimus; dum vero singuli homines nascuntur, nulla Dei actio requiritur, ut eorum anima gratia sanctificante privetur, nec alia est causa cur hæc gratia non infundatur nisi Adæ transgressio, qui non servavit conditionem, sub qua Deus constituerat justitiam eis communicandam.

Frustra demum objiceretur pœnitentia Adami deletum fuisse peccatum quod commisit, nec ideo amplius nocere posse ejus posteris. Responsio enim in promptu est: Adam quippe peccando dignitatem capitis amisit, ac proinde pœnitentia ejus fuit per actum personalem, qui ultra ejus personam non se extendebat. Ita S. Thomas *in Rom.* (c. 5, lect. 3). Nec ipse Christus, etsi capitis munus eminenter exercuerit, peccatum Adæ aliter tolli voluit quam per baptismum, quo ipsi inseribimur veluti membra capiti.

153. Corollaria. Hinc patet — 1. non aliam esse causam efficientem moralem peccati originalis præter ipsam Adæ transgressionem. — Patet ex dictis.

Dicitur vero *causa efficiens moralis*, tum quia peccatum originale, quum privatio sit, seu *non infusio gratiæ*, non indiget causa *physica* efficiente; tum quia Adæ peccatum, utpote non amplius existens, quando transfunditur culpa originalis, hanc realiter et physice in ejus posteris causare nequit.

Hinc patet. — 2. peccatum originale, ut sæpius diximus, ab Adæ posteris *contrahi*, non vero *committi*. Unde B. Paulus non ait simpliciter, quando sermonem facit de peccato originali, eos peccasse, sed cum addito et in præterito, eos *peccasse in Adamo*. Subdit tamen postea : « *Peccatores constituti sunt multi* » (multi pro omnibus), quia in statu habitualis peccati omnes revera nascuntur.

Hinc patet — 3. quonam sensu dicatur peccatum originale *generatione trahi*, *propagari*, *transfundi*. Hæc nimirum non ita accipienda esse, ut parentes generando transmissi peccati censeantur causa proprie dicta, facile apparebit, si in memoriam revocetur parentes in generatione nonnisi corpus dispo-

nere, exigens infusionem animæ; nam corpus per se non est capax peccati formalis, neque naturaliter potest agere in animam immaterialem, imprimendo ei qualitatem inficientem, neque in qualitate istiusmodi consistit peccatum originale, ut probavimus. Sensus ergo prædictorum verborum est : generatione constitui originem continuatam a primo parente, eaque, quantum ex parte parentum fieri potest, explicari naturam humanam, quæ gratiam in Adamo perdidit; adeo ut per generationem habeatur peccati subjectum, id est, individuum humanæ naturæ in Adamo sicut in radice vitiatæ, seu individuum, cui peccatum originale advenit, non quatenus est talis persona et a talibus parentibus generatur, sed in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente, per activitatem scilicet ab eo tanquam a principio primo totius naturæ humanæ derivatam. Sic optime dici potest *generatione trahi* ac *propagari* peccatum originale; nec alius sensus admitti potest, quin recidamus in falsum systema eorum, qui asseruerunt generatione vitium in corpore produci, quod deinde inficit animam. Unde plerique theologi prædictæ explicationi suffragantur.

154. Scholium. Quanquam theologi communiter consentiant in admittenda positiva ordinatione, qua Deus Adamum constituit caput morale ac juridicum posterorum, non una tamen est eorum sententia de modo, juxta quem facta fuit hujusmodi ordinatio.

Alii nempe pactum veri nominis intervenisse dicunt Deum inter et Adamum; ratio est juxta illos, quia sine pacto proprie dicto fieri non potuit moralis translatio voluntatum Adæ posterorum, quam necessariam dicunt, ut parvulis voluntarium sit peccatum originale. Hanc autem translationem voluntatum nostrarum in voluntate Adæ admitti non posse evidens nobis videtur, nec est cur directis argumentis illud demonstretur.

Alii negantes pactum proprie dictum intervenisse Deum inter et Adamum, pactum virtuale, id est, legem sine Adami consensu latam, sed ipsi manifestatam admittunt. — Sufficit quidem lex sine Adami consensu lata, tum quia verum pactum non postulabat natura rei, cum voluntas Dei per se sufficiens sit ad inducendam omnem obligationem possibilem sine

ullo consensu ejus, cui eam vult imponere; tum quia textus Scripturæ et Patrum potius de lege quam de pacto proprie dicto intelligendi sunt, ut patet ex contextu. — Requiritur tamen, ut dicta lex Adamo innotuerit, quia, inquiunt, non videtur omnes homines ab eo repræsentari potuisse, quin conscius fuerit se omnium gerere personam.

Alii tandem asserunt ne ipsam quidem divinæ legis revelationem fuisse necessariam, eaque ratione innituntur, quod sicut princeps potest jus suum conferre in aliquem et velle ratum esse quod is statuerit, etsi ille nesciat principis compromissum, ita et Deus decernere potuisset Adamum, cujus cæteroquin, ex modo dictis, consensus non erat necessarius, omnium posterorum etiam inscium personam gerere.

Quidquid vero sit de necessitate, fatentur omnes suavi Dei providentiæ et benignitati magis consentaneum fuisse Adamum commissi sibi muneris certiorem fieri — tum ut magnitudinem beneficii a Deo sibi collati agnoscere et æstimare posset; — tum ut amore sui simulque posterorum ad custodiendum depositum cautior ac vigilantior redderetur; — tum ut in propria persona et voluntate gravius obligaretur ad præceptum servandum, et transgressio præcepti, si fieret, magis esset voluntaria, minusque excusabilis. « Propter quæ opinor, ait Suaresius (*de Oper., sex dier.*, l. 3, c. 21, n. 29), verba illa Dei : « In quacumque die comederis, morte morieris, » in eo sensu intellecta fuisse ab Adamo, in quo a Deo dicta sunt, ac proinde intellexisse Adamum, si peccaret, omnes posteros suos immortalitatem fuisse amissuros, et consequenter etiam gratiam et innocentiam, quæ illius status fundamentum erat » (Cf. etiam C. Mazella, *de Deo creante*, disp. 5, a. 4 et 5).

ARTICULUS III.

De effectibus peccati originalis.

Culpæ originalis effectus alii ad præsentem, alii ad futuram vitam attinent. De utroque genere seorsim disputandum habemus.

§ I. De effectibus peccati originalis, qui ad vitam præsentem respiciunt.

155. — I. Inter effectus ex peccato originali in vita præsenti dimanantes primo loco annumeranda est ipsamet amissio gratiæ sanctificantis; quæ quidem pro diverso respectu, sub quo consideratur, rationem habet simul culpæ et pœnæ : *culpæ* nimirum, si spectatur *passive*, prout importat habitualem aversionem a Deo, ultimo fine supernaturali; *pœnæ* autem, si sumitur *active*, id est, prout est ex parte Dei subtractio doni antea concessi.

156. — II. Secundus effectus peccati originalis consistit in amissione donorum supernaturalium, quibus ornati fuerant protoparentes. — Cum vero in protoparentibus, eo ipso quod aderat gratia sanctificans cum integritate, maxima facultatum naturalium ipsiusque corporis perfectio producta fuerit, sublata gratia una cum cæteris donis gratuitis, ipsæ potentiæ naturales deordinatæ fuerunt, ipsaque natura tam in anima quam in corpore sauciata evasit.

Hinc — 1. quoad *animam* quatuor naturæ vulnera, de quibus loquitur venerabilis Beda, *ignorantia* scilicet in intellectu, *malitia* in voluntate, *infirmitas* in irascibili, et *concupiscentia* in concupiscibili. Dicuntur autem *vulnera* ex analogia; sicut enim in corpore humano vulnus existit, quando inter partes ejus continuas et unitas fit aliqua divisio et disruptio; ita in anima dicitur vulnus adesse, quando potentiæ ejus naturales, quæ per justitiam originalem erant unitæ et ad invicem subordinatæ, fuerunt divisæ per destitutionem hujus subordinationis : unde, quamvis in natura pura non fuisset major unio et subordinatio inter has potentias quam sit nunc, non tamen diceretur *vulnus*, quia, cum istæ potentiæ nunquam fuissent junctæ et subordinatæ, defectus unionis et subordinationis non esset per disruptionem et discontinuationem, et ideo non potuisset dici vulnus. — Dicitur insuper vulnus *naturæ*, quia, etsi hæc perfecta unio et subordinatio potentiarum in statu innocentiæ non esset naturalis seu debita naturæ, sed ex dono gratuito, erat tamen bonum naturæ ipsamque perficiebat etiam

in ordine suo naturali (Cf. S. Thomas, 1. 2, q. 85, a. 3).

Hinc — 2. quoad *corpus* mors et miseriæ hujus vitæ propemodum infinitæ, quæ hominem a die nativitatis suæ usque ad horam obitus infeliciter insequuntur.

Legitur quippe de morte (*Sap.*, II, 23 et 24) : « Deus creavit » hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis » suæ fecit illum. *Invidia* autem *diaboli mors intravit in orbem* » *terrarum.* » ; et (*Rom.*, V, 12) : « Per unum hominem pecca- » tum in mundum intravit, et *per peccatum mors* ; » item *Ibid.*, VI, 23) : « *stipendia peccati mors.* » — Quoad autem miserias hujus vitæ hæc inveniuntur (*Eccli.*, XL, 1) : « Ju- » gum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris » eorum usque in diem sepulturæ. »

Confirmat traditio, ut aperte constat ex definitionibus jam citatis (n. 135) conciliorum Milevitani et Tridentini.

Horum denique effectuum rationem sequentem affert (1. 2, q. 85, a. 5) S. Thomas : « Subtracta originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis; subtractio autem originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ. Unde etiam mors, et omnes defectus corporales consequentes sunt quædam pœnæ originalis peccati : et quamvis hujusmodi defectus non sint intenti a peccante, sunt tamen ordinati secundum justitiam Dei punientis. »

Ex quo patet mortem et hujus vitæ miserias ex peccato originali defluere non directe et per se, sed indirecte et per accidens tanquam removente prohibens. Aliæ vero adversitates, quæ ex malis hominum actionibus oriri solent, quales sunt calumniæ, persecutiones, bella, etc.., peccato originali adscribendæ sunt, quatenus ex inordinatis passionibus oriuntur, quas peccatum excitavit, ut jam dictum fuit.

Hinc etiam — 3. dæmonis in *genus humanum* amplissima dominatio, de qua Lessius (*De Perf. div.*, l. 16, c. 5) hæc scribit : « Permisit Deus ob hoc peccatum totum fere genus humanum tyrannidi diaboli. Antea nihil ille in mundo habebat

juris, nemini poterat nocere, nec unquam potuisset, si innocentia perstitisset; nec homines illum, ut modo faciunt, metuissent, sed instar canis vel serpentis contempsissent et abegissent. Sed postquam primi parentes nostri a Deo recesserunt, et diaboli suggestioni potius quam divino mandato morem gesserunt, magna ei potestas permissa est, qua sensim totam fere posteritatem in suam servitutem pertraxit. Unde factum, ut toto fere orbe per aliquot annorum millia tanquam princeps mundi et deus hujus sæculi habitus sit et cultus, et etiamnum multis locis colatur. »

Hæc autem captivitas sub diabolo manifeste habetur — tum ex verbis S. Petri (II *Ep.*, II, 19) : « A quo quis superatus est, » hujus et servus est » ; — tum ex definitione concilii Tridentini inter effectus prævaricationis Adæ non tantum amissionem justitiæ originalis et mortem, sed etiam captivitatem sub potestate diaboli, commemorantis ; — tum ex ratione ; justum enim est, ut a quo quis victus est, ejus servituti subjiciatur ; nec meliorem sortem tandem consequatur, quam is cui se subjicit (Lessius, *loc. cit.*).

157. — III. Alterum effectum originali culpæ adscribunt nonnulli dicentes hominem lapsum debiliorem evasisse non solum per subtractionem donorum justitiæ originalis, sed etiam per læsionem eorum, quæ ejus naturæ debita sunt, ideoque statum hominis post lapsum Adæ differre a statu ejusdem in puris naturalibus. De hoc tamen non conveniunt theologi, qui in tres abeunt sententias.

Alii nempe volunt vires naturales hominis ad bonum morale per peccatum originale *intrinsece* imminutas fuisse : ita plures ex veteribus Thomistis, qui hanc intrinsecam læsionem repetunt vel ex habitu positivo inclinante in bonum commutabile ; vel ex majori efficacia et intensione per peccatum originale potentiis nostris superaddita, ratione cujus a statu quem haberent in natura pura extractæ, ardentius et effrenatius feruntur in bonum sensibile rationi contrarium ; vel ex dispositione corporis, ex qua potentiæ animæ, etiam immateriales, sunt infectæ et ad malum inclinatæ.

Alii dicunt vires naturales hominis per peccatum originale

imminutas fuisse non intrinsece, sed *extrinsece*, id est, quia multiplicantur in statu naturæ lapsæ obstacula extrinseca, quibus homo impeditur a bono faciendo, simulque minuuntur auxilia, quibus indiget ad bonum operandum. Quod quidem evinci posse contendunt ex eo quod homo in statu naturæ lapsæ est aversus a Deo ut ultimo fine naturali, ideoque minus habilis ad bonum morale, siquidem efficacia et vires voluntatis ad eligenda media sumuntur ex amore et conversione ad finem.

Alii demum propugnant naturales vires hominis ad bonum morale nec intrinsece, nec extrinsece diminutas fuisse per peccatum originale, ideoque hominem non esse debiliorem ad bonum operandum in statu naturæ lapsæ quam fuisset in statu puræ naturæ. Ita post S. Thomam Suaresius, Bellarminus, aliique plurimi, hac duplici ratione innixi, nempe : — 1. id semper apud scholasticos velut axioma receptum fuisse, naturalia post peccatum tam in homine quam in dæmonibus integra permansisse : unde Angelicus Doctor, etiamsi dicat inclinationem ad bonum per peccatum *minui*, hunc effectum prout a peccato originali procedit, per remotionem prohibentis, seu per subtractionem donorum justitiæ originalis semper explicat (Cf. 1, 2, q. 85, a. 3). — 2. Nullas assignari posse causas extrinsecas impedientes bonum vel impellentes ad malum, quæ vehementiores sint in statu naturæ lapsæ, quam fuissent in statu puræ naturæ ; nam, ut ait Suarez (*Proleg.* 4, ad *Tract. de Gratia*, c. 9, n. 14), « in puris etiam naturalibus futuri essent pravi homines, eorumque prava consilia et exempla. » Quod ad dæmonem attinet, dici potest cum eodem auctore permissionem homines tentandi ipsi a Deo datam ad peculiarem superioremque providentiæ ordinem pertinere, a quo abstrahendum foret, ut vires naturales hominis ad bonum morale, in utroque statu naturæ lapsæ et naturæ puræ, cum debita proportione ad invicem comparentur. — Neque demum obliviscendum est difficultatem operandi bonum etiam naturalis ordinis in præsenti statu, non ex sola culpa originali repetendam esse, sed etiam ex tot peccatis actualibus, quibus ratio hebetatur, voluntas induratur ad bonum, concu-

piscentia magis exardescit, majoraque obstacula ad bona agenda malave sustinenda inducuntur.

Ex his vero omnibus patet quantum a vero deflectant tum Pelagiani, qui, cum peccati originalis propagationem non admittant, nec ejus effectus agnoscere possunt; tum Protestantes, qui e contra volunt naturam humanam fuisse per peccatum substantialiter vitiatam et corruptam, ita ut liberum arbitrium penitus in homine extinctum sit. Non est autem cur in his refellendis diutius immoremur.

§ II. De effectibus peccati originalis, qui ad vitam futuram spectant.

158. Hæc quæstio, ut manifestum est, non differt ab ea, quæ de statu eorum qui sine gratia baptismatis decedunt expendi solet. Quæ ut luculentius solvatur, certa a probabilibus distinguenda sunt. Sit igitur sequens

Assertio: *Decedentes cum peccato originali visione Dei intuitiva non fruuntur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* « Nisi quis renatus fuerit ex aqua » et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (*Joan.*, III, 5). Ille textus, ut propositio universalis negativa, nullam patitur exceptionem, etiam ratione infantium; ergo. Prorsus autem fictitia est distinctio quam inter regnum cœlorum et vitam æternam commenti sunt Pelagiani; nam nullibi in Scripturis aut Traditione aliquod detegitur hujus distinctionis indicium.

Prob. 2. *Traditione*, nempe — sive auctoritate *SS. Patrum*, qui uno ore Pelagianos et eorum commenta damnarunt; — sive *ex Conciliis*, Florentino scilicet, quod (sess. ult.) definit « illorum animas, qui in actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, *pœnis* tamen disparibus *puniendas*; » et Tridentino (sess. 5, can. 4) : « Si quis dixerit in remissionem quidem peccatorum parvulos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necessse sit expiari ad vitam æternam consequendam... anathema sit. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Nemo quippe visione intuitiva

donari potest, nisi ex hac vita decedat gratia sanctificante ornatus : sed decedentes cum peccato originali, gratia sanctificante carent. Ergo.

159. Quæritur 1. *Utrum decedentes cum solo originali peccato pœnam sensus experiantur?*

Resp. Duplex datur sententia; sed communius et *probabilius* negant auctores; et revera huic sententiæ favere videntur Scriptura, Traditio et ratio.

1. *Scriptura* quidem; quoties enim in sacris litteris de pœna sensus agitur, semper sermo profertur de iis, qui peccata actualia commiserunt, dum ubi baptismi necessitas exprimitur, pœna tantum damni indicatur.

2. *Traditio.* Plures namque SS. Patres et Theologi expressis verbis asserunt decedentes cum solo peccato originali nec suppliciis afficiendos esse, nec in doloribus et mœstitia futuros esse. Audiantur S. Gregorius Naz. : « Existimo futurum ut nec cœlesti gloria, nec *suppliciis a justo judice afficiantur*, qui, licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant... neque enim quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur » (Orat. 40 *in lavacrum*); et S. Gregorius Nyss., qui, in oratione de infantibus immatura morte sublatis, sic loquitur : « Immatura mors infantium demonstrat neque in doloribus et mœstitia futuros esse eos qui sic vivere desierunt. » Ita etiam, S. Bernardus (serm. 3. *de Resurrectione*) S. Bonaventura et alii. — Quibus accedit auctoritas Innocentii Papæ IV dicentis : « Pœna *originalis* peccati est *carentia visionis Dei* : *actualis* vero pœna peccati est *gehennæ perpetuæ cruciatus* » (cap. *Majore de Baptismo*). — Ita expresse S. Thomas et plurimi cum eo (Vide Billuart, *De pecc.*, diss. 7, art. 6, § 1).

3. *Ratio* demum idem innuit; — tum quia peccatum originale non fuit proprie peccatum personale, sed *naturæ*, quatenus natura humana in Adamo peccavit, ideoque pœnis tantum privativis, non positivis puniri debet : — tum quia in peccato originali non datur conversio ad creaturas, sed solum aversio a Deo, quæ rectissime privatione visionis intuitivæ punitur, dum conversio ad creaturas punitur pœnis sensus a creaturis directe provenientibus.

Non desunt tamen auctores, qui docent infantes experiri et pœnam damni et pœnam sensus, quæ pœna est mitissima, sed est vere ignea concrematio. Ita Sylvius, Petavius, Norisius, Le Clerc de Bauberon et alii. Eorum præcipuæ rationes sunt sequentes, quibus aliorum responsiones subjiciemus : — 1. In die judicii extremi Christus omnibus qui in sinistra sua erunt, dicet : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum » (*Matth.*, XXV, 41) ; porro infantes peccato originali maculati in sinistra certo certius erunt. — Resp. *dist.* Christus dicet omnibus adultis, *conc.*, omnibus simpliciter, *nego*. Quod de solis adultis quæstio sit, patet ex verbis immediate subsequentibus, et hujus judicii motivum exponentibus : « Esurivi enim » et non dedistis mihi manducare, » quæ solis adultis conveniunt. — 2. Pueri non baptizati sunt filii iræ, mancipium diaboli ; ergo pœna sensus puniri debent. — Resp. Quamvis illi parvuli sint filii iræ, puniri possunt pœnis mere privativis ; sic David iratus in Absalonem illum punivit ejiciendo a facie sua ; sic principes irati aulicos suos puniunt prohibendo aditum in aulam. — 3. Infantes non baptizati in infernum descendunt : porro in inferno existit pœna sensus ; ergo. — Resp. Auctores communiter docent vocem istam *infernus* esse generalem et plura loca diversa designare posse, unum v. g., pro peccatoribus adultis, alterum pro morientibus cum solo originali peccato. — 4. Juxta concil. Florent., infantes non baptizati puniendi sunt pœnis tantum *disparibus* ab adultorum peccatorum pœnis ; ergo eorum pœnæ erunt aliis similes ; ergo pœna sensus afficiuntur. — Resp. Vox ista *dispar* significat etiam rerum dissimilitudinem et discrepantiam.

160. Quæritur 2. *Utrum decedentes cum peccato originali ex privatione visionis beatificæ doleant ?*

Resp. Controvertitur etiam ; at sententia negans probabilior videtur ; quæ quidem auctoritate simul et ratione fulcitur.

1. *Auctoritate* quidem ; etenim supra relati SS. Patres falso dicerent parvulos ita decedentes neque in doloribus esse, neque in mœstitia, pœnamve illorum mitissimam fore, si ratione beatitudinis amissæ dolorem et tristitiam interiorem sentirent ; quippe cum dolor, quo damnati ex privatione beati-

tudinis afficiuntur, gravissimus est ac major dolore sensibili ab igne inferni causato. — Et vero S. Augustinus profitetur se asserere non audere infantes sine baptismo morientes tanta pœna plectendos esse, ut eis non natos esse magis expediret; si vero ob amissam beatitudinem tristitiam internam sentirent, certo melius ipsis esset non fuisse natos. Ergo.

2. *Ratione.* Nam — 1. ex jam dictis, ideo infantes sine baptismo morientes pœna sensus non puniuntur, quia peccatum originale non propria, sed aliena voluntate commissum fuit : porro hæc ratio pari efficacia militat contra tristitiam et dolorem interiorem ortum ex carentia visionis beatificæ. Ergo. — 2. Nemo tristatur in amissione boni quod non cognoscit; ignoti enim nulla cupido : atqui parvuli morientes cum solo peccato originali non cognoscunt beatitudinem supernaturalem, qua privantur, quia illa beatitudo supernaturalis, scilicet clara Dei visio seu illa gloria quam possident sancti, superat cognitionem naturalem, nec cognosci potest nisi supernaturaliter per fidem. Ergo. — 3. Etiamsi cognosceretur hæc felicitas ab infantibus, non inde pro illis tristitia necessario sequeretur; nam nemo sapiens affligitur ex eo quod careat bono, ad quod nullam habet proportionem, sicut nullus sapiens affligitur ex eo quod non sit imperator. Nec dicatur infantes habere proportionem remotam ad visionem intuitivam, posita scilicet gratia baptismatis, quia dici posset pariter omnes homines habere istam proportionem remotam ad gratiam Apostolorum, cujus tamen privatione nemo sapiens contristatur. Ita omnes Thomistæ.

Diximus iterum *probabilior*, quia non omni valore destituuntur argumenta eorum, qui docent decedentes cum peccato originali aliquam passuros esse tristitiam ex visionis intuitivæ carentia; nam, inquiunt, cum in die judicii videbunt bonos in cœlos ascendentes cum Christo ut ibi in perpetuum regnent, impossibile est eos aliquem mœrorem non experiri, ex eo quod sentient se a cognatis, qui inter sanctos numerabuntur, separari, nec unquam hanc immensam felicitatem ipsos gustaturos fore. — Insuper certum est illos ad felicitatem æternam fuisse creatos, ad illam proinde proportionari, saltem remote : porro ex his

omnibus facili conclusione eruitur illos aliquem dolorem privatione visionis intuitivæ naturaliter experturos esse.

161. Quæritur 3. *An decedentes cum peccato originali illis bonis naturalibus gaudeant quibus homines gauderent in statu puræ naturæ?*

Resp. Non desunt qui sententiam affirmantem tenent; imo ita haud obscure sentit ipse D. Thomas quando (*de Malo*, q. 5, a. 3, ad 4) hæc habet : « Pueri in originali decedentes sunt quidem separati a Deo perpetuo, quantum ad amissionem gloriæ, quam ignorant; *non quantum ad participationem naturalium bonorum, quæ cognoscunt.* » Item (in 2 sent., dist. 33, q. 2, a. 2, ad 5) ait : « Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, *non tamen ab eo penitus separati sunt.* Imo ipsi conjunguntur *per participationem naturalium bonorum*; et ita etiam *de ipso gaudere poterunt*, naturali cognitione et dilectione. »

Et vero homo per peccatum originale spoliatur quidem bonis gratuitis sive supernaturalibus, sive præternaturalibus, non vero debitis, seu naturalibus : porro bona naturalia, quibus pueri gauderent in statu naturæ puræ post præsentem vitam, naturæ debentur. Ergo. — Confirmatur ex eo quod peccatum originale, prout est in Adæ posteris, non tantum conversionem ad creaturas minime importat, sed etiam ne includit quidem aversionem a Deo, tanquam fine ultimo naturali, quia conversio ad Deum, tanquam finem naturæ, homini naturalis est.

Ex quibus infert Suaresius (*de Vitiis et pecc.*, sect. 6, n. 6) futurum esse, « ut illi parvuli tunc habeant veram Dei cognitionem naturalem, et amorem ejus super omnia, atque adeo reliquas naturales virtutes, et corpora impassibilia, non per intrinsecam dispositionem, sed ex providentia Dei et ipsorum, quia debent esse æterna. Unde non indigebunt cibo, neque potu, quia omnis alteratio tunc cessabit, Deo ita providente; itaque neque patientur rebellionem carnis, neque interiorem, neque exteriorem pugnam; quia etiam hæc esset pœna sensibilis, et omnia hæc pertinent ad viam, illi vero sunt suo modo in termino. »

Attamen multi, et quidem gravissimi, theologi negant parvulos hujusmodi vera beatitudine naturali gavisuros esse, illudque deduci posse existimant — 1. ex Concilio Florentino supra citato, quod asserit simpliciter animas *in infernum* descendere *pœnis puniendas* ; quæ verba naturalem beatitudinem explodunt. — 2. Ex S. Augustino, qui sic loquitur : « Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem et regnum cœlorum *quietis* vel *felicitatis cujuslibet quasi medium locum;* hoc enim eis etiam hæresis pelagiana promisit » (Lib. *de origine animæ*, cap. 9, n. 11). — 3. Ex eo quod, juxta Scripturam Sacram et Traditionem, parvuli peccato originali maculati *filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, Deo odibiles* dicuntur. Quis autem dixerit ejusmodi parvulos lætitia et felicitate naturali donari? — Hinc Bellarminus : « Fide catholica tenendum est parvulos sine baptismo decedentes, absolute esse damnatos, et non sola cœlesti, sed etiam *naturali beatitudine* perpetuo carituros » (*De amissione Gratiæ*, lib. 6, c. 2, n. 1).

Quidquid sit, monendum ducimus doctrinam modo propugnatam de beatitudine infantium cum solo peccato originali decedentium non publice fidelibus prædicandam esse, ne forsan parentes nonnulli, in nostra præsertim ætate, de baptismo suis infantibus conferendo minus sint solliciti : hæc tamen haud parum inserviet ad eos sublevandos, qui absque culpa gratiam baptismalem proli suæ procurare non potuerunt.

162. Scholium. Hæc sufficiunt de effectibus peccati originalis. Priusquam tamen præsenti quæstioni circa hominis lapsum finis imponatur, ex jam dictis deducere juvat catholicam doctrinam de peccato originali, etsi sola ratione demonstrari nequeat, ipsi tamen nullatenus adversari.

1. *Doctrina catholica de peccato originali sola ratione demonstrari nequit.* Etsi enim non defuerint qui ex miseriis sive internis, sive externis, quibus premitur homo, inferri posse existimarunt gravem extitisse culpam, cui subest humanum genus : hoc tamen argumentum non est firmum, eo quod prædicta mala, sicut modo dicebamus, ex se non essentialiter pœnalia sunt, aut etiam velut peccatorum actualium pœna

haberi possunt. Eatenus ergo ex præsenti humani generis statu argumentum legitime eruitur ad stabiliendam propagationem peccati originalis, quatenus revelatione edocemur aliam fuisse primævam hominis conditionem.

Neque tamen inde sequitur conjecturam quamdam de hujusmodi culpa ex defectibus in humano genere apparentibus non oriri; nam, uti præclare evolvit S. Thomas (*C. Gentil.*, l. 4, c. 22), « quamvis (hujusmodi defectus) naturales videantur homini, absolute considerando humanam naturam ex eo quod est in ea inferius, tamen considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanæ naturæ, *satis probabiliter* probari potest (propter majorem convenientiam cum bonitate Dei et hominis, non tamen certo, quia contrarium non est inconveniens) hujusmodi effectus esse pœnales, et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum. »

II. *Doctrina catholica de peccato originali rectæ rationi non adversatur.* — Tria quidem objiciuntur, seu, ut ipsamet Rationalistarum verba usurpemus, « nec *benignitas* Dei, inquiunt, concedere potest, ut per unius hominis peccatum universa hominum natura corrumpatur et depravetur; nec *sapientia* pati, ut opus ab initio præstantissimis instructum dotibus paulo post ob causam levissimam in plane aliam deteriorem-que conditionem transformetur; nec *justitia* Dei admittit, ut innocentes ob peccatum alienum eo puniantur, quod ipsis necessitas peccandi imponatur. » Jam vero ex dictis supra de natura et effectibus peccati originalis haud difficile ostenditur doctrinam expositam præfatis Dei attributis minime adversari.

1. Non adversatur quidem *Dei benignitati*. Id forsan dici posset, si secundum dogma catholicum peccatum originale reponeretur in intrinseca naturæ humanæ corruptione, ex qua necessitas peccandi sequeretur. At supra probavimus essentiam peccati originalis consistere in privatione gratiæ sanctificantis, quæ cum sit donum gratuitum, potuit sane, illæsa Dei bonitate, ea lege protoparentibus largiri, ut, si divinam voluntatem contemnerent, hoc sibi simul et posteris amitterent. Similiter pœnæ, quibus homo affligitur ob Adæ præva-

ricationem, totæ sunt in ablatione donorum, quibus, non obstante Dei benignitate, natura humana privari potuisset, et a fortiori privari potuit propter grande peccatum protoparentis. Ergo.

2. Neque magis cum *divina sapientia* pugnat dogma catholicum de peccato originali; non enim ob levissimam causam, ut dicunt adversarii, sed ob gravissimum malum, Dei nempe offensam, opus ab initio præstantissimum in deterius transformatum est. Cæterum nihil obstabat quin Deus probationi, quam elegit, protoparentes subjiceret; nec ullus unquam demonstrabit permissionem peccati cum effectibus, qui inde secuti sunt, fini a Deo intento repugnare. Imo ex magno prævaricationis malo summum bonum, Christi scilicet redemptio, promanavit; unde Ecclesia decantare potuit : *O felix culpa!*

3. Nec demum *divinam justitiam* lædit idem dogma; quod ut intelligatur, recolantur quæ jam diximus tum de gratuitate absoluta gratiæ cæterorumque donorum a Deo primis parentibus ea conditione concessorum, ut sua fidelitate posteris conservarent; tum de natura et effectibus peccati originalis, quo nimirum omnes in Adamo peccasse dicuntur, quatenus ejus voluntaria inobedientia effecit ut omnes posteri, prout ei in unitatem speciei per communem naturam conjunguntur, gratia aliisque prærogativis privati nascantur; in his vero ubi injustitia? Ostendant adversarii Deum debuisse alium ordinem statuere vel dona sub aliqua conditione transmittenda non potuisse auferri, deficiente conditione. Id sane nunquam demonstrabunt. Ergo.

His omnibus addere liceat doctrinam hucusque traditam de lapsu humani generis mirum in modum confirmari ex traditionibus, quæ apud omnes gentes reperiuntur (Cf. de his A. Nicolas, *Etudes philosophiques sur le christianisme*, 1 p., l. 2, chap. 4°).

CAPUT IV.

DE VITA FUTURA HOMINIS.

163. Prænotanda. — I. Etsi animam inter et corpus arctissima existat unio, ratio tamen et experientia ostendunt, et ipsa revelata fides aperte docet mortem certam esse et communem omnibus hominibus. Hanc Deus protoparentibus comminatus erat, « et ita, ait B. Paulus, in omnes homines mors » pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » Unde illa ejusdem Apostoli ore prolata divinitus sententia (*Hebr.*, IX, 27) : « Statutum est hominibus semel mori, » a qua nullus excipitur.

Morte vero finiri probationis tempus homini concessum, nec jam ei fas esse mereri aut demereri, constat — tum verbis illis Ecclesiastis (XI, 3) : « Si ceciderit lignum ad Austrum, » aut Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit; » — tum illo Christi ipsius effato : « Venit nox quando nemo po- » test operari; » — tum eloquiis SS. Patrum, ex quibus S. Hilarius (*in Ps.* LI, n. 23) ait : « Decedentes namque de vita, et de jure decedimus voluntatis. » Et S. Augustinus : « Nemo speret, inquit, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri; » — ipsa demum innuit ratio quod, cum Deus sapientissimis de causis voluerit hominem certo tempore probari et propria cooperatione felicitatem sibi acquirere, nullum hujus probationis stadium aptius assignari potuit, quam hujus vitæ cursum, in qua solum, ob unionem animæ et corporis, ut est perfectus homo operari potest.

164. — II. Quidquid senserint nonnulli Millenarii, quibus videbatur ad diem usque ultimi judicii in incerto remanere animas defunctorum, Ecclesia catholica constanter docuit animarum separatarum sortem statim post mortem judicio particulari certo definiri. Cujus quidem judicii existentiam adstruunt hæc Siracidis (*Eccli.*, XI, 28) verba : « Facile est » coram Deo in die obitus retribuere unicuique juxta vias

» suas. » Item B. Paulus (II *Cor.*, v, 10) ait : « *Omnes nos ma-* » *nifestari* oportet *ante tribunal Christi*, ut referat unusquis- » que propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum. » Quibus addenda sunt tum ea quæ post prolatam mortis sententiam : « Statutum est hominibus semel mori, » statim subjungit : « Post hoc autem *judicium*; » tum ipsius Christi manifestatio de sorte dispari mali divitis et Lazari, statim ac uterque mortuus est. Unde ea de re unanimes sunt SS. Patres, constans et universalis Ecclesiæ traditio. Nec divinæ sapientiæ consentaneum videtur in incerto remanere sortem eorum, qui extra viam positi, in impossibilitate merendi aut demerendi versantur.

165. — III. Exitus autem judicii particularis triplex præsertim est: in infernum descendunt animæ in statu peccati mortalis decedentes; purgatorio reservantur, qui in caritate Dei moriuntur, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis et omissis satisfecerint; in cœlum mox recipiuntur quæ puræ omnino inveniuntur, aut peccatorum purgationem compleverunt. Ita definivit Concilium Florentinum in decreto unionis Græcorum.

At vero hominum novissima non tantum complectuntur ea quæ singulis ex hac vita migrantibus accidunt, sed etiam eventus illos qui in sæculorum consummatione futuri sunt.

Ut igitur omnia ex ordine exponamus, seorsim agendum est — 1. de suppliciis inferni; — 2. de pœnis purgatorii; — 3. de beatitudine cœlesti; — 4. de supremo rerum humanarum exitu in fine mundi.

ARTICULUS I.

De suppliciis inferni.

166. *Inferni* nomine intelligitur locus ille et status, in quo una cum dæmonibus damnati propter peccata lethalia homines versantur, horrendisque in æternum cruciantur suppliciis, ut debitas sceleribus pœnas luant. Ad elucidandam vero simulque vindicandam præfatam definitionem, tria expendamus necesse est, nempe : — existentiam inferni ; — naturam

pœnarum, quæ in eo infliguntur, — illarumque pœnarum durationem.

§ I. De existentia inferni.

167. Errores. Existentiam inferni negaverunt inter Ethnicos Epicurus cum grege suo, et inter Judæos Sadducæi, quibus postea accesserunt Gnostici et variæ sectæ christianæ. Nostris vero temporibus infernum pariter rejiciunt increduli, Deistæ ac rationalistæ, nec non Protestantes haud pauci semirationalistæ, qui verba Scripturæ ita contorquent, ut diræ inferni pœnæ summopere mitigentur, aut penitus e medio tollantur. Contra quos sit sequens

168. Assertio : *Existit infernus, in quem impii statim post mortem detruduntur puniendi, disparibus tamen pro numero et gravitate criminum suppliciis.*

Prima pars, *impios* scilicet *statim post mortem in infernum descendere,*

Est de fide, ex constitutione Benedicti XII (*Benedictus Deus*, an. 1336), in qua statuitur : « Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad infernum descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur. » Concilii Florentini Patres Latini et Græci pariter definierunt « illorum animas, qui in actuali peccato mortali... decedunt, mox in infernum descendere. » — Probatur vero

1. *Scriptura Sacra.* Ipse Christus (*Luc.*, xvi, 22) exitum mali divitis referens ait : « Mortuus est autem et dives, et se» pultus est *in inferno.* » Quæ quidem verba aperte declarant vix moram intercedere mortem inter et punitionem impiorum in inferno. Idem etiam innuunt verba (*Eccli.*, xi, 28) superius citata : « Facile est coram Deo, in die obitus retribuere uni» cuique secundum vias suas. »

2. *SS. Patribus.* S. Hilarius (*in Ps.* ii) scribit : « Excipit impios *ultor infernus.* » Item S. Augustinus (*de Civit.*, l. 13, c. 8) hæc habet : « In requie sunt animæ piorum a corpore separatæ ; impiorum autem *pœnas luunt.* » Quibus suffragantur unanimiter cæteri Patres, consonatque fidelium sensus.

2. *Ratione theologica.* Semel enim prolata Dei sententia in judicio particulari, ratio ipsa innuit eam executioni demandandam esse, nec concipitur quisnam foret animarum damnatarum status in alia hypothesi, cum jam a visione Dei excluderentur, nec tamen pœnas luerent. Ergo.

PROB. 2ª PARS ASSERTIONIS, animas nempe damnatorum in inferno *disparibus suppliciis cruciari pro numero et gravitate criminum*,

1. *Scriptura Sacra.* Etenim (*Sap.*, VI, 6, etc.) legitur : « Judicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim » conceditur misericordia : potentes autem tormenta patiun- » tur. » Ipse Christus (*Matth.*, X, 15) ait : « Amen dico vobis : » tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die » judicii quam illi civitati. » Quibus consonant quæ alibi legimus verba Christi (*Matth.*, XI, 22 24; *Luc.*, XII, 47). Denique (*Apoc.*, XVIII, 7) legere est : « Quantum in deliciis fuit, tan- » tum date illi tormentum et luctum. »

2. *Traditione.* Eamdem quippe doctrinam expressis verbis tradunt Patres. S. Augustinus (*Cont. Donat.*, l. 4, cap. 19) scribit : « Dubitandum non est ipsas pœnas, quibus cruciantur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, et alias aliis acriores. » S. Gregorius (*Dial.* 4, c. 43) ait etiam : « Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscujusque etenim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur pœna. » Quibus assentiunt cæteri Patres.

3. *Ratione.* Dispares esse damnatorum pœnas, facile evincitur ex ratione divinæ justitiæ, cujus veluti norma est, ut pœnæ delictis respondeant et inæquales ac diversæ sint secundum diversitatem et inæqualitatem delictorum. Jam vero diversa esse et inæqualia impiorum delicta manifestum est. Ergo.

169 Scholium. *De inferni loco.* Fuerunt inter Protestantes, qui cum Brentio putarunt damnatorum locum seu infernum ubique esse, sive per universum orbem diffusum; aut saltem nullum esse locum certum, sed modo unum, modo alterum a Deo pro beneplacito eligi. At vero certissima Ecclesiæ doctrina est certum a Deo definitum esse locum, in quo reprobi puni-

rentur. Id certo colligitur tum ex verbis mali divitis a Christo relatis, tum ex operibus Patrum. Ubinam vero sit ille locus non consentiunt inter se Doctores. Communis tamen opinio est infernum situm esse in inferiori quodam loco intra terræ viscera. Hanc opinionem probabiliorem asserit S. Thomas post S. Gregorium, duplici ex ratione; prima petitur ex ipsius nominis obvia significatione; si enim infernum dicimus quod inferius jacet, quod terra ad cœlum est, hoc esse debet infernus ad terram; altera vero ratio desumitur ex illo Apocalypsis (v, 3) textu : « Nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, » neque subtus terram aperire librum... » Quo etiam spectant non pauca Scripturæ loca. In eodem enim Apocalypsis libro (XII, 9, 10, 13) legimus draconem, diabolum scilicet dæmonum principem, cum suis angelis projectum fuisse *in terram*. Dæmones (*Luc.*, VIII, 31) Christum rogant ne illis imperat *ut in abyssum eant*. De Core autem, Dathan et Abiron (*Num.*, XVI, 31) dicitur : « Disrupta est terra sub pedibus eorum... *descen-* » *deruntque vivi in infernum*. » Quod de inferno proprie dicto intelligunt interpretes.

§ II. De natura pœnarum inferni.

170. — I. Inter pœnas inferni certo annumerandæ sunt intellectus obcæcatio, voluntatisque in malo obstinatio, quibus subjacent damnati.

1. Et quidem certum est eorum intellectum omni cognitione supernaturali affectiva et effectiva privari, quæ producit amorem Dei cum delectatione spirituali, et ad donum sapientiæ pertinet; supernaturalia enim omnino ab eis ablata sunt. Quod spectat ad cognitionem naturalem, integra quidem in eis manet cognoscendi facultas, et ea omnia cognoscunt quæ his in terris sciverunt; sed hæc cedunt in eorum perniciem et tormentum. Considerant quippe, quantumvis inviti, et mala olim patrata, ob quæ damnati sunt, et bona delectabilia, quæ amiserunt, ita ut utrinque torqueantur. Cognoscunt etiam quædam ex eis, quæ in terris tristia sibi aguntur, dæmonibus manifestantibus, et quæ Deus in judicio particulari, vel alia speciali operatione eis ostendit, ut colligere est ex iis quæ dives

epulo de fratribus suis dicit. Deum quoque damnati cogitant, sed duntaxat ut inexorabilem vindicem; et exinde ira et odio exardescunt; imo quidem, juxta S. Thomam (2. 2, q. 13, art. 4), blasphemant, non tamen omnes. Nec eos latet Beatorum gloria; eam nunc confuse cognoscunt, aspectisque beatis in extremo judicio, eam fideli memoria assidue versabunt, vehementerque dolebunt tum præ invidia de felicitate aliena, tum præ mœrore, quod ipsi tantum bonum amiserint. Ne multa; ut docet S. Thomas, omnis damnatorum cognitio ipsis erit tristitiæ materia.

2. Certum est etiam ita obstinari voluntatem reproborum hominum in malo, ut, nedum doleant ex alio motivo quam pœna sibi inflicta, salutaremque pœnitentiam agant de præteritis peccatis, ob quæ damnati sunt, nunquam contra habeant actum moraliter bonum, nec unquam possint carere omni actu malo, quo tamen non demerentur, cum sint extra viam. Hæc porro mala voluntas, cum peccatis ex ea commissis, grandis est damnatis pœna, et intolerabile supplicium, sicut bona voluntas beatis est præmium; nec in alio sensu dicuntur (*Sap.*, v, 3) pœnitentiam agere et præ angustia spiritus gemere; intrinsecus enim deordinati sunt, et hanc quam persentiunt deordinationem nonnisi affectu vitioso repellunt; quo fit, ut majori erga semetipsos horrore afficiantur. Ratio autem obstinationis hujus desumitur tum ex privatione divini auxilii, tum ex odio vindicta divina provocato, tum ex eo quod anima separata, cum a sensibus non pendeat, conformatur Angelo et quantum ad modum intelligendi et quantum ad indivisibilitatem appetitus, quæ in Angelo peccante causa fuit obstinationis (Cf. S. Thomas, *suppl.*, q. 98.; de *Verit.*, q. 24, art. 10, 11).

171. — II. At vero, præter pœnas illas, quæ ex ipsis damnatis veluti enascuntur, pœnæ etiam illis infliguntur ex causa extrinseca orientes, quæ quidem dolorem multo majorem producere natæ sunt in potentiis tum intellectualibus cum sensitivis damnatorum, seu potius, ut aiunt alii, eos *moraliter* simul ac *physice* miris ineffabilibusque modis torquent.

Prima, quæ moralis est, peccato commisso respondet, qua-

tenus est aversio a Deo, ultimo fine, ideoque *pœna damni* vocatur, quia consistit in privatione æternæ beatitudinis, visionis nempe beatificæ, et omnium bonorum, quæ illam consequuntur, quæque Deus diligentibus se præparavit. Hanc pœnam ipse Christus designavit cum dicturum se perhibet reprobis : « *Discedite a me*, maledicti; » dum vero addit : *in ignem æternum*, pœnam *sensus* declarat (*Matth.*, XXV, 25).

Et vero altera illa pœna, quæ correspondet peccato, quatenus est conversio ad creaturas et delectationem ex illis procurat, *pœna sensus* dicitur, quia malum physicum, molestiam doloremque infligit acutissimum damnatis; nec immerito per ignem exerceri dicitur, tum quia ex omnibus mali physici causis nulla est penetrabilior; tum quia universalius agit; tum quia infernalis ignis miris ineffabilibusque modis, juxta S. Augustinum, dæmones et homines torquet. Ignem autem illum materialem esse, non vero metaphoricum, divinaque virtute elevari ad cruciandas substantias spirituales, in prima parte Tractatus probavimus. Unum addere sufficit, scilicet, post resurrectionem corporum, sensibilem fore ignis hujus dolorem, imo nunc forsan per eum induci dolorem in anima separata, qui induceretur, si corpus haberet, quamvis non intelligamus quanam actione id fieri possit. Ita card. Toletus.

172. — III. Utraque *damni* et *sensus* pœna alias secum trahit gravissimas. Primo loco reponere est inferni *tenebras*, quas sæpius Scriptura et Patres commemorant. Infernum quippe sacræ litteræ nuncupant *terram tenebrarum et opertam mortis caligine*, *tenebras exteriores*, impiisque comminantur *caliginem tenebrarum*, *procellam tenebrarum* : quæ quidem SS. Patres intelligunt tum de privatione visionis intuitivæ, tum de tenebris corporalibus, adeo ut inferni ignis non luceat ad consolationem, sed ad majus tormentum, et sub quadam umbrositate videantur quæ afflictionem cordi ingerere possunt. — Secundo loco connumeranda est *societas reproborum* : quippe quæ complectatur impios quosque ac scelestissimos homines una cum improbis omnique malitia repletis dæmonibus, ac proinde talis est, ut nedum consolationem afferat, mœrorem contra augeat. — Tertio, cum reprobi sensibus corporeis et animæ

facultatibus abusi sint ad peccandum, varia erunt pro his tormenta, ita ut fame, siti, fœtore, etc., damnati crucientur. Legatur hac de re *Imitatio Christi* (l. 1, 24). — Quarto denique loco recensetur *vermis, qui non moritur*; qui tamen intelligi non debet corporalis, sed spiritualis, seu remorsus conscientiæ, merito vermis appellatus. Ita SS. Patres.

Ex his vero conjici aliquatenus datur quantæ sint inferni pœnæ, cum præsertim spectentur ut simul peccatori ingruentes. Hinc *fletus*, seu planctus vocis ac ululatus, quem damnati indesinenter edent : hinc *stridor dentium* proveniens partim ex rabie, qua damnati in Deum fremunt, partim ex horrore et vehementia doloris, et forte etiam ex intensissimo frigore, ad quod, juxta S. Thomam, perpetua vice transibunt, juxta illud Job (XXIV, 19) : « Ad nimium calorem transeunt ex aquis » nivium. » Longe tamen cæteras omnes pœnas superat pœna *damni*; quippe quæ majori et excellentiori bono opponitur, visioni nempe beatificæ, et ideo damnatio in hac pœna essentialiter consistit. Quamdiu quidem homines his in terris degunt, carentia visionis Dei non gravantur, quia nec illis est debita, nec possibilis hæc visio, et ideo carentia ejus mera est *negatio*, ex qua nullam sentiunt afflictionem. At vero animabus in termino constitutis visio Dei debita est, vi supernaturalis destinationis, et ideo rationem habet *privationis* et pœnæ. Quod egregie illustrant auctores exemplo principis *culpa sua* regno privati, ad quod assequendum natus erat.

§ III. De duratione pœnarum inferni.

173. Errores. Catholicam doctrinam de æterna duratione pœnarum inferni negarunt : — 1. multi antiqui philosophi docentes malos fore post aliquod expiationis tempus vel in nihilum redigendos, vel in feliciorem statum introducendos; — 2. Origenes, aut saltem plures ejus discipuli (dubitatur enim annon fuerint interpolata Origenis opera) pœnarum inferni finem prædicantes; — 3. non pauci hodierni increduli, dicentes pravos homines post sufficientem peccatorum suorum pœnitentiam cœlesti gloria fruituros esse.

Etsi vero hæc pœnarum inferni æternitas ex dictis in prima

parte Tractatus de suppliciis dæmonum statim affirmari posset, eam tamen ob rei gravitatem fusius vindicandam esse censemus. Sit proinde sequens

174. Assertio : *Pœnæ, quibus cruciabuntur reprobi homines, æternæ sunt, id est, nunquam finem habituræ.*

Est de fide. — In symbolo enim Athanasiano legitur : « Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, *in ignem æternum*. Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. » — Concilium C. P. II., generale V, anathemate confixit errorem Origenis dicentem : « *Temporanea* esse dæmonum et omnium impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, atque *impios* ac dæmones in priorem suum statum restitutum iri. » — Conc. Later. IV (c. *Firmiter*) ait : « Omnes resurgent ut recipiant secundum merita sua, sive bona fuerint, sive mala; *illi* cum diabolo *pœnam perpetuam*, et isti cum Christo gloriam sempiternam. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, ex duplici testimoniorum classe. — 1. Ex iis locis, in quibus *affirmatur æterna impiorum pœna*. « Discedite a me, maledicti, *in ignem æternum* » *Matth.*, xxv, 41). — « Et ibunt hi in *supplicium æternum :* justi autem in » vitam æternam » (*Ibid.*, 46). — « Qui *pœnas* dabunt *in interitu æternas* » (II *Thess.*, i, 9). — « Fumus tormentorum eorum » ascendet *in sæcula sæculorum*, nec habent requiem die ac » nocte » (*Apoc.*, xiv, 11). — « Cruciabuntur die ac nocte *in* » *sæcula sæculorum* » (*Apoc.*, xx, 10). — Evigilabunt mortui, » alii in vitam æternam, et alii *in opprobrium, ut videant semper* » (*Dan.*, xii, 2). In iis textibus multoties declaratur impiorum pœnas fore *æternas*, *semper* aut *in sæcula sæculorum* duraturas esse : porro hæc veram æternitatem denotant, præsertim cum opponatur malorum pœna sanctorum felicitati, quæ, fatentibus etiam inter adversarios plurimis, erit vere æterna. Ergo.

2. Ex iis locis, in quibus *negatur finis inferni*. « Vermis » eorum (damnatorum) non morietur, et ignis eorum non » extinguetur » (*Is.*, lxvi, 24). — S. Joannes Baptista de Christo dicit : « Congregabit triticum suum in horreum, paleas

» autem (impios) comburet *igni inextinguibili* » (*Matth.*, III, 12). — « Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam; bonum » est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus haben- » tem ire in gehennam, in ignem *inextinguibilem*; ubi vermis » eorum *non moritur, et ignis non extinguitur* » (*Marc.*, IX, 42). Porro omnes sciunt propositiones negantes esse omnino generales, et nullam pati exceptionem vel imminutionem : Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* Unanimes sunt SS. Patres in pœnis sempiternis, igne inextinguibili, tormentis sine modo aut ullo termino, æterno igne asserendis. « O dies ille qualis et quantus adveniet, cum cœperit Dominus,... persecutores nostros flammæ pœnalis *perpetuo ardore* flammare » (S. Cypr. *ad Thibaritanos*, epist. 56, al. 58). — « Igitur requies nulla gentibus (id est malis)... sed corporalis et ipsis *æternitas* destinabitur, ut *ignis æterni* in ipsis sit æterna materies, et in *universis sempiternis* exerceatur *ultio sempiterna* » (S. Hilar., *in Matth.*, c. 5, n. 12). — « Firmissime tene et nullatenus dubites.... ex ore Dei justi æternique judicii sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem *æternam*, justos autem in vitam æternam : iniquos *semper* arsuros cum diabolo, justos autem regnaturos sine fine cum Christo. » (S. Fulgentius, *de fide ad Petrum*, c. 43). Hæc satis superque sufficiunt, et clariora sunt ut ulla indigeant explicatione; qui plura desiderat, inveniet innumera propemodum testimonia apud D. Martin (in libro cui titulus : *La vie future suivant la foi et suivant la raison*, ch. 4, § 5, et præsertim : *Note supplementaire* XXIV).

Prob. 3. *Ratione*, cui nempe nedum æternitas pœnarum contradicat, multiplici ex parte consentanea ostendi potest.

1. *Rationi* quidem *non contradicit* æternitas pœnarum. Si enim res ita se haberet, hoc esset vel quia pœna æterna omnino excedit culpam brevi tempore commissam; — vel quia infinita Dei bonitas consistere non posset cum illa æternitate, quæ crudelitatem redolere videtur; — vel quia pœnæ hujusmodi æternæ prorsus inutiles sunt. Atqui nullum ex his dici potest.

Non *primum;* proportio enim inter pœnam et culpam attendenda est ex gravitate offensæ, non vero ex ejus duratione : alioquin injustitiæ arguendæ forent leges, quæ diuturniores simulque graviores pœnas decernunt infligendas pro criminibus brevi tempore patratis.

Non *secundum;* nam sive benignitas Dei, qua inclinatur ad communicandam felicitatem suam creaturis, sive misericordia, quæ eadem est bonitas, quatenus tendit ad opitulandum earum miseriæ, exercetur libere secundum naturam cujusque et consilia sapientiæ suæ : porro ad naturam creaturarum intelligentia et libertate præditarum pertinet, ut actibus suis finem, ad quem ordinatæ sunt, assequi aut perdere mereantur; nedum vero sapientia Dei exigat delinquentibus veniæ spem sine termino concedi, contrarium potius expostulat; alioquin criminosis laxarentur habenæ, libertas Dei in elargiendis gratiis tolleretur, adeoque sanctitas ejus et justitia criminis vindex evanesceret : quin etiam ipsi Creatori creatura impune illuderet. Cum ergo Deus vere bonus et misericors omnibus media ad salutem necessaria concedat, nequit certe ei vitio verti, quod illi in perditionis statu perpetuo maneant, qui mediis salutis abutentes seipsos in hoc statu constituerunt.

Non *tertium*; etenim « impiorum pœnæ, ait S. Thomas (*Suppl.*, q. 99, art. 1, ad 4), sunt utiles ad duo : *primo* ad hoc quod in eis justitia divina conservetur, quæ est Deo accepta propter seipsam..; *secundo* ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, cum in eis justitiam Dei contemplantur, et dum se eas evasisse cognoscunt. » Quapropter « omnipotens Deus, ait S. Gregorius (4 Dial., c. 44), quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione non sedatur. »

2. Multiplici ex parte *rationi consentanea videtur* pœnarum æternitas. Enimvero offensam inter et pœnam proportio intercedat omnino necesse est; atqui peccatum mortale, quatenus est aversio a Deo, infinito bono, contemptumque ejus includit per conversionem ad creaturam, quamdam in ratione offensæ infinitatem habet : ergo, ut pro sua gravitate puniatur, pœna aliquo modo infinita sit necesse est. At infinita esse nequit in-

tensive in homine reo, cujus vires passivæ finitæ sunt, sed extensive tantum quoad durationem. Ergo.

Præterea conveniens videtur, ut qui pro æterno peccat, in æternum puniatur; porro ille qui peccatum mortale committit, pro æterno peccat, tum quia propria voluntate se constituit in statu, a quo erui non potest, nisi gratia divina adjuvetur; tum quia finem suum in creatura reponit, ideoque ad eam totam vitam suam ordinat: unde in peccato remanere vellet, si impune posset. Ergo.

Providentia tandem divina exigit leges, quæ mundum in ordine morali regunt, sanctione de se sufficienti atque valde efficaci muniri, qua homines a peccato avertantur, justitia servetur bonos inter et malos, et confractus ordo reparetur: atqui nisi inferni pœnæ sint æternæ, nec homines ad malum proni, sensuum illecebris allecti, arduas virtutis semitas refugientes gravissimaque officia declinantes, ubi præsertim pericula maxima superanda occurrunt, a peccato committendo sufficienter averterentur; nec justitia servaretur inter bonos et malos, si ea quæ intercedit oppositio inter bonum et malum, non inveniretur in ultimo fine eorum, qui virtutem coluerunt vel vitio servierunt; nec demum læsus ordo publicus repararetur, quia nullatenus sufficiens est reparatio pœnalis, dum pœna cessat, perseverante peccato; nec Deus ei potest ignoscere qui peccatum admissum non retractat; quod accidit in reprobis, quos in malo esse obstinatos probavimus. Ergo.

175. Scholium. *De mitigatione pœnarum inferni.* Quæstio, quam movere solent theologi de hac pœnarum inferni mitigatione, potest expendi quoad pœnam peccatis venialibus non remissis debitam, vel quoad pœnam pro peccatis sive mortalibus sive venialibus jam remissis subeundam, vel demum quoad pœnas, quæ pro peccatis mortalibus non remissis infliguntur.

Si *primum*, pœna de qua agitur, forsan cessare potest, quia per se non est æterna; et ita videtur Scotus sentire; sed S. Thomas docet hanc pœnam æternam fore *per accidens*, ratione scilicet status damnatorum; quippe qui, cum non sint membra Christi, recipere nequeant applicationem meritorum ejus, quorum ope tantum fieri posset hujusmodi remissio.

Si *secundum*, cum jam culpa sublata sit, hoc ipso quod pœna solvitur, expiari videtur ac proinde cessare potest. Nec est inconveniens quod quantum ad aliquod accidentale pœna inferni diminuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augeri potest, v. g., cum scandala olim data exitiosum producunt effectum (cf. S. Thom., 4 sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 5).

Si *tertium*, dicendum est prædictas pœnas ita esse immutabiles, ut nulla unquam intermissione vel relaxatione mitigandæ sint. Textus enim Scripturæ supra allati manifeste supponunt nullam fore intermissionem vel relaxationem pœnarum, quas patiuntur reprobi. Sed insuper id confirmatur ex verbis Christi narrantis frustra divitem flagitavisse ad se mitti Lazarum, ut intingeret extremum digiti sui in aquam et refrigeraret linguam ejus : imo responsum accepisse levissimum hoc solamen nunquam ei concedi posse. — Nec aliter docent SS. Patres; sic S. Cyprianus (Ep. *ad Demetr.*) de pœnis damnatorum ait : « Nec erit unde habere tormenta *vel requiem* possint aliquando, vel finem. » Item S. Bernardus (*de Consid.*, l. 5, c. 12) : « In æternum non obtinebit (damnatus) quod vult, et quod non vult semper obtinebit... Hic est vermis, qui non moritur... Hæc secunda mors nunquam peroccidit, sed semper occidit. » Quo etiam spectant alia Patrum testimonia de æternitate pœnarum. Patribus autem consonant theologi, quorum plerique asserunt hanc doctrinam esse fide tenendam. — Suadet quoque ratio; nam in damnatis nihil unquam diminuetur de culpa : ergo nihil unquam diminuetur de pœna; Deus enim nihil relinquit inordinatum » (Cf. S. Thom., 4 Sent., dist. 45, q. 2, a. 2).

Hinc non licet orare pro damnatis; sunt enim extra vinculum caritatis, et ad viæ terminum pervenerunt, in quo acceperunt retributionem. Aliunde nullum solatium accipere possunt sine applicatione meritorum Christi, quæ illis fieri nequit, qui ad ejus corpus mysticum non pertinent. Unde S. Thomas (*Suppl.*, q. 71, a. 5) opinionem asserentem suffragia prodesse damnatis præsumptuosam et irrationalem vocat, meritoque observant Patres et Theologi alienam eam esse a communi sensu et praxi fidelium.

ARTICULUS II.

De pœnis purgatorii.

176. *Purgatorium* locus est et status, in quo animæ justorum ante vita functorum quam pœnam temporalem peccatis remissis debitam exsolverint, vel venialium indulgentiam obtinuerint, secundum divinæ justitiæ rationem satispatiuntur, ut cœlestis beatitudinis præmio donentur.

De purgatorio haud secus ac de inferno tria nobis expendenda sunt, nempe : existentia, natura et duratio pœnarum ejus.

§ I. De existentia purgatorii.

177. Errores. Doctrinam de existentia purgatorii medio ævo rejecerunt Petrobusiani, Albigenses, Waldenses et Hussitæ; quibus sæculo XVI accesserunt Protestantes, sive Lutherani sive Calvinistæ, ducibus suis coriphæis, qui nullam post remissum seu potius non imputatum peccatum contendebant remanere pœnam. Non pauci vero hodie inter Protestantes doctrinam patrum mitigantes statum quemdam *expiationis*, *epurationis*, *scholamve præparationis*, *expectationis*, facile admittunt; sed a nomine purgatorii omnino abhorrent. Contra hos omnes sit sequens

178. Assertio : *Datur purgatorium, quo animæ justæ nondum plene expiatæ reatum pœnæ temporalis exsolvunt.*

De fide est assertio, ut constat ex fidei professione, quam Clemens IV, an. 1267, Michaeli Paleologo obtulit et Gregorius X in concilio Lugdunensi (an. 1274) a Græcis accepit. Definita est quoque a concilio Florentino in decreto unionis Græcorum his verbis : « Item (definimus), si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari. » Quo etiam spectant decreta concilii Tridentini (sess. 5, can. 30; sess. 22, can. 3), præsertim vero speciale de purgatorio decretum (sess. 25), demumque fidei professio jussu Pii IV edita.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Legitur (II *Machab.*, XII, 43) : « Facta collatione (Judas) duodecim millia drachmas argenti » misit Jerosolymam offerri *pro peccatis mortuorum* sacri- » ficium. » — Ipse Christus (*Matth.*, XII, 32) dixit : « Qui- » cumque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remit- » tetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. » — Tandem (I *Cor.*, III, 13, etc.) legere est : « Uniuscujusque opus quale » sit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædifi- » cavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimen- » tum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen *quasi per* » *ignem.* » Ex quibus sic arguere fas est : peccata mortuorum expiatione egent; danturque peccata quæ in futuro sæculo remitti possunt, nisi sint contra Spiritum Sanctum; facta vero operum cujusque probatione post mortem ope ignis, reperire erit homines, quorum opera ita igne comburentur, ut ipsi salvi sint *quasi per ignem.* Atqui hæc immerito assererent auctores sacri, si inter sortem justorum, qui nulla peccati labe polluti cœlo potiuntur, et sortem impiorum, qui propter scelera inferno deputantur, non daretur status intermedius purgationis pro animabus justorum, qui ante decesserunt quam delicta sua plene expiarentur. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* — Ex SS. Patribus citabimus tantum S. Gregorium Nazianzenum (*Orat. pro mort.*) dicentem : « Non potest a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas *purgatorii ignis abstulerit*; » necnon S. Augustinum se pro matre sua Monica orare testantem, suffragiaque aliorum fidelium pro ea efflagitantem (*Confess.*, l. 9, c. 13).

Idem insuper confirmatur — tum ex multis conciliis particularibus, præter ea generalia, quæ supra invocavimus; — tum ex fide Græcorum, in Synodo Hierosolymitana, an. 1672, manifestata; — tum ex antiquissimis liturgiis; — tum ex invecta ab ipso Ecclesiæ exordio praxi pro mortuis preces et sacrificia offerendi; — tum denique ex consensu populorum omnium, qui nonnisi ex primæva revelatione provenire potest.

Prob. 3. *Rationibus theologicis.* — 1. Certum est, et demonstratur in Tractatu *de Pœnitentia*, hominem posse a reatu

culpæ absolvi, remanente pœna temporali, eaque non sublata animam quandoque efflari. Ergo, ut divinæ satisfaciat justitiæ, detur purgatorium necesse est, in quo reatus pœnæ exsolvatur. — 2. Certum est dari peccata venialia, nec omnia deleri ante mortem; ergo, cum nihil inquinatum intrare possit in regnum cœlorum, iterum necesse est detur purgatorium, in quo post deletam peccatorum venialium labem pœna pro eis debita solvatur. — 3. Insuper quod attinet ad peccata venialia non remissa ante mortem, evidenter patet pœnam eis debitam nulla satisfactione redemptam fuisse. Asserunt quidem Protestantes ipsa mortis amaritudine exsolvi quemcumque pœnæ reatum; sed falsam esse assertionem eorum ex eo evincitur, quod mors per se non habeat vim hujusmodi, nec homini promissum fuerit auxilium efficax ad satisfaciendum perfecte pro omnibus vitæ debitis, præcipue cum repentinæ mortes sæpe eveniant, nedumque sanctius illi supremum diem obeant qui majorem debent justitiæ divinæ pœnam, alienos contra moriendo se ostendant a christianæ pietatis sensibus.

Ex his patet quo sensu intelligenda sint Scripturæ et SS. Patrum effata, quibus supponi videtur duas tantum existere in sæculo futuro vitas, unam beatam in cœlo, alteram infelicem in inferno, aut etiam affirmatur nullam dari post mortem remissionem peccatorum, nec ullum esse pœnitentiæ locum. In prioribus nempe textibus sermo est de vita completa et definitiva post extremum judicium exstitura, non autem de vita temporanea, qualis in purgatorio futura est. Alia vero effata de peccato mortali dicuntur, quatenus scilicet omnes ex hac vita cum peccato mortali decedentes in æternum damnantur, quin ulla ipsis detur remissionis aut emendationis spes.

179. Quæritur 1. *Quomodo tollatur pœnæ temporalis vel culpæ venialis reatus in purgatorio.*

Resp. 1. Quod ad *pœnam temporalem* attinet, ulla vix occurrit difficultas; cum enim, juxta doctrinam catholicam, nulla sit post mortem *merendi* vel proprie *satisfaciendi* facultas, sequitur pœnam temporalem per *satispassionem* solvi, quod sola hujusce termini explicatione facile intelligitur; *satispati* quippe significat animas in purgatorio detentas pœ-

nam, ad quam subeundam damnatæ sunt, totam luere, et sic ab ejus reatu liberari : quod quidem nec libertatem, nec alias conditiones meriti satisfactionisve proprie dictæ requirit; pœna enim eo ipso solvitur quod toleratur. Juvari tamen possunt animæ purgatorii, ut infra dicemus, vivorum suffragiis et indulgentiarum applicatione.

Resp. 2. Quod vero spectat ad *remissionem peccatorum venialium*, quæ ante mortem non fuerunt remissa, nec in morte pœnitentia saltem virtuali deleta sunt, haud levis est difficultas explicandi quomodo deleantur quoad culpam, quæ tolli debet, ut pœna solvatur. Theologi, duce S. Thoma, communius docent culpæ reatum tolli statim ac anima egressa est e corpore. Tunc enim perfecte cognoscit statum suum venialesque culpas causam esse cur retardetur a consequenda æterna beatitudine : ex illa autem cognitione concipit fervens desiderium tantum bonum obtinendi : ex desiderio vero prorumpit in actum amoris, et detestationis eorum omnium, quæ Deum offendunt et a fruitione ejus eam impediunt. Cum ergo venialis culpa caritatis habitum intrinsece non afficiat, sed tantum se habeat per modum extrinseci impedimenti, eo fere modo ac ligatura ab opere brachium retardat, tollatur necesse est fervido caritatis actu, quem elicit anima in hoc instanti supremo. Hæc est mens S. Thomæ (*de Malo*, q. 8, art. 11), qui etiam perbelle ait : « Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis quidem tollit impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnæ sicut in hac vita. »

Hinc animæ in purgatorio degentes simpliciter non sunt in termino, quem nondum possident; et quoad hanc negationem, necnon quoad aptitudinem solvendi debitum alicujus pœnæ per satispassionem, itemque quoad statum fidei, aliquatenus in via dici possunt. Non tamen absolute sunt in via, sicut nos sumus scilicet quoad omnes conditiones et effectus viatorum. Sunt ergo velut in statu medio, et recte dicuntur in termino gratiæ, nondum vero in termino gloriæ.

180. Quæritur 2. *Utrum animæ Purgatorii sint certæ de sua salute.*

Resp. *Affirmative.* Contraria namque opinio Lutheri dicentis animas in Purgatorio non esse securas de sua salute, saltem omnes, a Leone X reprobata est; et ratio in promptu est : si enim hujusmodi « animæ, uti argumentatur Bellarminus (l. 2. *de Purg.*, c. 4), non haberent certitudinem salutis, id necessario fieret vel quia adhuc possunt mereri aut demereri, vel quia nondum sunt judicatæ, vel quia ignorant sententiam judicis, licet lata sit, vel quia propter magnitudinem dolorum ita absorbetur et obscuratur earum judicium, ut non possint cogitare et videre hanc certitudinem : sed nihil horum dici potest. » De duobus prioribus ex supra dictis jam constat; quoad tertium, a Bellarmino pronuntiatur falsum et impertinens : falsum quidem, quia judicium particulare fit ad hoc, ut innotescat sententia ei qui judicatur;... est etiam impertinens; nam etiamsi non eis innotesceret sententia judicis, tamen possent facile per se cognoscere, qualis sit, ab effectu, quia videbunt se statim nec in cœlo, neque in inferno, ubi Deus blasphematur omninoque tolluntur fides et spes, quas ipsæ retinent, ac proinde in purgatorio. Quartum vero gratis etiam fingeretur, siquidem in purgatorio mens, cum ab organis corporeis sit expedita plenaque fruatur incorruptibilitate, nullatenus impeditur quin recte judicet. Ergo.

Exinde autem colligere est animas in Purgatorio detentas *in gratia confirmatas* esse; quod quidem repetendum non est « ex aliqua interna perfectione actuali, habituali vel naturali; » sed ex divina protectione, « quæ illas animas in bono confirmat ratione illius status, ad quem duo spectant : unum est, ut pœna illa temporalis tantum esse possit; aliud est, ut inde sit transitus infallibilis ad gloriam : ad utrumque autem necessaria est confirmatio in bono et carentia omnis peccati... » (Suarez, *de Pœnit.*, disp. 47, sect. 4, n. 5).

181. Quæritur 3. *Utrum animæ Purgatorii a vivis invocari possint.*

Resp. *affirmative;* id nempe asserunt plures auctores nominis eximii, ut Suarez et Bellarminus, qui existimant hujusmodi invocationem valde utilem esse. Hæc autem sententia nititur — auctoritate Clementis XI, anno 1700, erigentis con-

fraternitatem *sub invocatione animarum purgatorii;* — praxi plurium piorum fidelium illius invocationis utilitatem attestantium; — ratione theologica; illæ enim animæ sunt in statu gratiæ, Deo proinde placent, et nihil impedit quin pro nobis orent, quin Deus eis nostras necessitates vel preces manifestet, et, illis intercedentibus, aliquid nobis concedat. Potest quippe filius, a patre suo aliqua pœna mulctatus ob delictum, servi alicujus gratiam enixe implorare et obtinere, ipso pœnam suam amanter adimplente. Si autem non frequentius invocentur animæ purgatorii, id fit, quia potius videntur nostris indigere orationibus quam pro nobis posse orare.

182. Scholium. *De loco purgatorii.* Communior sententia admittit purgatorium, sicut et infernum eidem vicinum, in visceribus terræ collocari. Admittit enim intra terram quatuor sinus, vel unum in quatuor partitum; pro reprobis unum; pro purgandis alterum; tertium pro infantibus sine baptismo mortuis; quartum, qui nunc vacuus est, pro justis ante Christi passionem mortuis. Præcipua ratio hujus opinionis deducitur ex modo loquendi Scripturæ, SS. Patrum et Ecclesiæ in suis precibus; in iis enim omnibus purgatorium appellatur *infernus*, *inferi*, et Ecclesia anxie precatur Deum « ut liberet animas omnium defunctorum de pœnis *inferni* et *de profundo lacu.* » Porro vox *infernus* vel *inferi* denotat aliquid imum et subterraneum.

§ II. De natura pœnarum purgatorii.

183. — I. Quæ modo diximus manifeste important animas in purgatorio degentes immunes esse a mentis obcæcatione et voluntatis in malo obfirmatione, nec non a desperatione inde consequente, quibus subjacent damnati; hæc nimirum cum certitudine quam præfatæ animæ de sua salute habent, earumque confirmatione in gratia consistere nequeunt. — Quin etiam tanta est earum conformitas cum divina voluntate, ut magnam in tolerandis pœnis patientiam et pacem, imo incredibilem quamdam in patiendo jucunditatem experiantur : quæ jucunditas non in inferiori animæ parte sedem habet; hæc enim dolore afficitur; sed in superiori, qua Deo per gratiam conjunguntur.

Neque tamen exinde concludendum est fieri non posse, ut eædem animæ interne doleant et tristentur. Etsi enim nihil patiantur, quod non voluntarie sustineant, quatenus Deum diligentes ejus voluntati conformes sunt, attamen pœnæ, quibus subjacent, aliquam involuntarii rationem habent, unde ipsis magnam afferant tristitiam : voluntarie nimirum patiuntur, ex suppositione quod Deus eas pati vult, idque ad satisfaciendum perfecte pro peccatis necessarium est; at hujusmodi passio, quatenus est contra naturale desiderium beatitudinis, vere involuntaria est, easque valde contristat.

184. — II. Duplex datur pœna in purgatorio, non secus ac in inferno, *damni* scilicet et *sensus*.

1. *Datur pœna damni;* animas in purgatorio detentas carere visione intuitiva ac proinde beatitudine manifestum est; non enim alicujus pœnæ capaces essent, si Deum viderent. Quod autem ex illa carentia seu potius dilatione visionis intuitivæ summo afficiantur dolore, ex quadruplici consideratione nascitur : « *Primo*, inquit Lessius (*de Perf. divin.*, l. 13, c. 17), quod videant se tanto privari bono, idque eo tempore, quo illo fruendum erat. Apprehendunt acerrime illius boni immensitatem, et simul illud ardentissime desiderant. *Secundo*, quod videant id fieri ob suam culpam. *Tertio*, quod neglexerint pro illa culpa suo tempore satisfacere, quum facillimo negotio redimi poterat, et tantas nunc cogantur sustinere calamitates; id enim non parum incendit doloris acerbitatem. *Quarto*, quod ingentes æternorum bonorum thesauros et cœlestis gloriæ gradus, quos facile consequi potuissent, sua culpa et torpore neglexerint. Hæc omnia vivacissimo modo apprehensa ingentem dolorem excitant ut etiam in damnis humanis experimur, quum ista quatuor concurrunt. »

2. Datur etiam *pœna sensus*, qua peccatum, etiam veniale, prout importat conversionem ad creaturas, puniri debet. Quamvis vero nunquam ab Ecclesia definitum fuerit existere in purgatorio ignem realem, cum in concilio Florentino damnati non fuerint Græci ignem tantum metaphoricum agnoscentes, attamen ut certum communiter admittitur ignem purgatorii esse materialem; id clare indicat S. Paulus dicens animas

salvari *quasi per ignem;* id profitentur theologi; id demum admiserunt omnes fere SS. Patres, qui de pœnis purgatorii dixerunt.

185. — III. Fatentur omnes purgatorii pœnas acerbissimas esse, idque facile eruitur ex dictis. At controversia est inter theologos utrum illæ pœnæ majores sint omnibus pœnis, quas homo in vita præsenti pati possit, ita ut minima pœna purgatorii excedat maximam pœnam hujus vitæ. Sententiam affirmantem tenet S. Thomas, qui (*Suppl.*, q. 100, a. 3) hæc habet : « In purgatorio erit duplex pœna; una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione; alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur; et quantum ad utrumque pœna purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ. » Quod quidem deinde sigillatim probat. Ita etiam S. Augustinus, qui (*in Psal.* XXXVII, n. 3) de pœna sensus scribit : « Gravior erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. » — Contradicunt alii cum Bellarmino, qui (in 4. dist. 20, q. 20, a. 1) docet pœnam damni in purgatorio non esse majorem omni pœna, maximamque vitæ hujus pœnam majorem esse minima pœna purgatorii, etsi maxima pœna purgatorii major sit maxima pœna vitæ præsentis.

Quidquid sit, ab omnibus agnoscitur animas in purgatorio pro qualitate et quantitate debitorum gravius aut levius puniri, juxta illud Apostoli (*Rom.*, II, 6) : « Deus reddet unicuique se» cundum opera ejus. » De modo tamen, quo statuitur hæc diversitas, non conveniunt theologi, alii siquidem eam ex solo tempore repetunt, cæteri vero docent ipsasmet pœnas sive damni, sive sensus, debitorum gravitati quoad intensionem attemperari, easque proinde vivorum suffragiis non tantum secundum durationem, sed etiam secundum acerbitatem minui : Unde vulgo annuente Ecclesia dicuntur sive *levari,* sive *liberari.*

§ III. De duratione pœnarum purgatorii.

186. — I. Certum est pœnas Purgatorii post ultimum judicium non esse duraturas. Id expresse asserit S. Augustinus (*de Civit. Dei*, c. 16) dicens : « Purgatorias pœnas nullas futu-

ras (Christianus) opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium. » Hoc insuper sat innuit Christus, quando in extremo judicio (*Matth.*, XXV) duos tantum ordines hominum admittit, beatorum unum, alterum damnatorum. Cæterum, licet corpus, ut bonorum malorumve animæ operum particeps, merito in inferno puniatur, et in cœlis exultet, non est tamen cur purgetur, quia purgatio a peccatis in animam solam proprie cadit. His addit Bellarminus (l. 2 de *Purg.*, c. 9) « quod caro suo modo quoque punitur; nam ut anima separata punitur pœna damni, quia caret visione Dei, et pœna sensus, quia torquetur igne, ita caro punitur pœna damni, quia caret vita, et pœna sensus, licet improprie, quia paulatim putrefit et in cineres redigitur. » — Inde concluditur homines versus finem mundi existentes nonnisi brevi tempore in purgatorio mansuros fore; quod autem ratione temporis deerit, tormentorum acerbitas explebit.

187. — II. Circa durationem pœnarum purgatorii pro singulis animabus non una est sententia. Quidam dixerunt animas omnes usque ad diem extremi judicii ex ordinaria lege in purgatorio detinendas esse, nisi citius Ecclesiæ suffragiis liberentur : ex quo sequeretur inæqualitatem pœnarum non nisi in varia earum intentione consistere. — Alii autumarunt nunquam aliquem in purgatorio viginti annis exstitisse, imo nec decem. Ratio est, inquiunt, quia clementia Dei pati nequit amicos suos multo tempore a suo conspectu cohiberi. — Communissima vero sententia admittit pœnas purgatorii, quandoque saltem, ad longissimum tempus protrahi, quin tamen determinari possit illud tempus; existimat Bellarminus in opusculo (*de gemitu columbæ*) illud extendi posse usque ad centum aut mille annos; et ita sentire videtur Ecclesia, cum perpetua anniversaria pro mortuis facienda approbet; quis autem hoc mirum judicare posset, si attendatur adesse quosdam christianos, qui innumera admiserunt lethalia peccata per totam fere vitam, et in hora tantum mortis sese ad Deum convertunt; quibus proinde tempus pœnitentiæ non suppetit.

188. — III. Tandem animas in purgatorio degentes juvari posse suffragiis vivorum, indulgentiis, præsertimque accepta-

bili altaris sacrificio, dogma catholicum est, de quo specialis sermo erit sive in Tractatu *de SS. Eucharistia,* sive in Tractatu *de Suffragiis et indulgentiis.* — Unum duntaxat hic addemus, scilicet viventes multis titulis teneri ad defunctos in purgatorio patientes adjuvandos; ad id quippe obligantur tum caritate erga Deum, quem defunctorum animæ patrem habent, et in cœlo laudare exoptant; tum caritate erga ipsos defunctos quibuscum devinciuntur vinculis humanitatis et amicitiæ, imo sæpe cognationis, vel justitiæ ob scandalum et complicitatem; tum caritate erga semetipsos, quia nempe orando pro defunctis justitiam divinam placabunt pro se ipsis, itemque gratiam fratribus suis præstando parem sibi misericordiam obtinebunt.

Utrum vero Angeli et Sancti animabus purgatorii per suam intercessionem subvenire possint, non ita constat. Negant plurimi, quia agitur de satisfactione divinæ justitiæ præstanda, cujus incapaces sunt ii omnes, qui amplius non sunt in via. Sequeretur insuper nullam animam diuturno tempore in purgatorio perseverare, cum orationes continuæ Ecclesiæ triumphantis maxima pollerent efficacia. Alii vero probabilius affirmant suamque sententiam repetunt tum ex nonnullis precibus liturgicis, in quibus manifeste supponitur hæc Sanctorum pro defunctis intercessio; tum ex communione sanctorum, quæ postulare videtur, ut Ecclesia patiens, sicut a militante, ita a triumphante adjuvetur. — Saltem admitti debet Angelos et Sanctos *indirecte* animabus purgatorii subvenire, quatenus nempe a Deo impetrare possunt, ut viventes ad suffragia pro defunctis adhibenda promoveat, aut etiam satisfactionem, seu solutionem debitorum ex thesauro Ecclesiæ acceptet.

Imo communis est sententia easdem animas orando aliquid sibi impetrare posse. Nec revera videtur, ut ait Suarez (*de Orat.*, l. 1, c. 11) « cur non poterunt illæ animæ humiliter a Deo petere, ut quam citissime inde liberentur, juxta ordinem suæ divinæ providentiæ, sive hoc sit immediate condonando sibi aliquam partem pœnæ propter Christum, sive (quod facilius est) excitando fideles justos, qui pro eis satisfaciant, et suffragia vel indulgentias pro eis applicent. »

ARTICULUS III.

De beatitudine cœlesti.

189. *Cœli* nomine designari solet locus, in quo justorum animæ ex hac vita omnino puræ migrantes, aut in purgatorio jam a peccatis venialibus emundatæ, omnibusque debitis liberatæ, excipiuntur. Neque solum animæ, sed etiam corpora electorum in cœlo olim glorificabuntur; de hac autem glorificatione corporum in sequenti articulo disseremus. Interim ea, quæ ad animæ beatificationem in cœlo pertinent, ordine jam usurpato absolvemus, tractando scilicet — 1. de existentia; — 2. de natura; — 3. de duratione beatitudinis cœlestis.

§ I. De existentia beatitudinis cœlestis.

190. Non defuerunt qui dixerunt beatitudinem differendam esse animabus justis usque ad corporum resurrectionem, etsi non ob eamdem rationem. Imo hic error quibusdam Patribus a nonnullis tribuitur, aliis tamen contradicentibus.

Quidquid sit, doctrina catholica asserit Sanctorum animas, *quibus nihil expiandum superest* (nihil quippe coinquinatum admitti potest in regno cœlorum, et ideo constitutum fuit purgatorium pro animabus sanctis, quibus aliquid expiandum superest), *nunc statim post mortem* in cœlos recipi et perfecta *felicitate perfrui*. Dicitur *nunc*, quia hic non agitur de Sanctis ante Christum defunctis.

Hanc autem doctrinam sequens vindicabit

191. Assertio : *Sanctorum animæ, quibus nihil expiandum superest, statim nunc post mortem in cœlos recipiuntur et perfecta beatitudine fruuntur, non tamen in omnibus æquali, sed pro meritorum disparitate inæquali.*

Est de fide; nam Benedictus XII (decretali *Benedictus Deus*, § 3) definit animas corporibus exutas, et purgatas, *in cœlum mox recipi et clare Deum videre*, et contrariam propositionem damnat tanquam *hæreticam*. — Concil. vero Florentinum ita se habet : « Credimus illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incur-

rerunt, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutæ, sunt purgatæ, *mox in cœlum recipi*, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, *pro meritorum* tamen *diversitate alium alio perfectius*. « — Idem docet (sess. 25) Concil. Trid., in decreto *de Invocatione sanctorum*.

PRIMA PARS, *Sanctorum* nempe *animas statim nunc in cœlos recipi*, constat

1. *Scriptura Sacra*, quæ multis in locis supponit Sanctos statim post mortem in cœlos recipi et felicitate æterna perfrui. Sic B. Paulus dicit mortem corporalem non esse timendam, eo quod per ipsam habitatio terrena mutanda sit in cœlestem (II *Cor*., v, 2); desiderium habet « *dissolvi et esse cum Christo* » (*Philip.*, i, 23). — Sic quoque describens cœlestem Jerusalem, eam vocat « *multorum Angelorum frequentiam, et Eccle-* » *siam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis* » (*Heb.*, xii, 22); quæ descriptio supponit Sanctos, haud secus ac Angelos, felicitate perfecta perfrui statim post mortem. — Sic S. Joannes ait : « Vidi turbam magnam... stantes ante thronum et in cons- » pectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum » (*Apoc.*, vii, 9). — Sic Actus Apostolorum (vii, 55, 58) referentes martyrium S. Stephani, dicunt eum vidisse « cœlos aper- » tos, et Filium hominis stantem a dextris Dei, » et antequam expiraret, dixisse : « *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*, » videlicet tanquam illico ad eum evolaturum in cœlum. Ergo.

2. *Traditione*. S. Cyprianus ait : « Quanta est dignitas et quanta securitas... *claudere in momento oculos*, quibus hominem videbantur et mundus, et *aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus* » (*Epist. ad Fortunatum*, cap. 12). — S. Hieronymus de defuncto dicit : « *Nunc* pro brevi labore *æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris..... Christum sequitur* et dicit : quæcumque audivimus, ita vidimus in civitate Dei nostri » (*In epist. ad Marcellum de obitu Leæ*). — S. Gregorius Magn. : « *Ante resurrectionem* Sancti singulas stolas accipiunt, quia *sola animarum beatitudine perfruuntur*; in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt » (Lib. 35, *Moral.*, c. 14, n. 25). — Innumeri alii textus afferri possent; sic

Patres inducebant fideles ad martyrium fortiter subeundum spe gloriæ statim obtinendæ; sic dicebant eam existere differentiam inter Sanctos ante et post Christum existentes, quod priores beatitudinem post Christum tantum acceperunt, dum alii eam statim possident.

Confirmatur fide perpetua Ecclesiæ, quæ quidem ostenditur — tum intima persuasione pastorum, qui ubique prædictam doctrinam prædicant, necnon fidelium sensu, qui contraria sententia offenduntur; — tum precibus Ecclesiæ. Omnes enim orationes etiam vetustissimæ, quibus Ecclesia Sanctorum intercessionem precatur, expressis terminis asserunt eos nunc ante judicium extremum beatitudinis præmia recepisse, gloria cœlesti perfrui; jam vero, ut ait S. Cœlestinus Papa, legem credendi statuit lex supplicandi.

3. *Ratione theol.* Enimvero certum est, ex dictis, eos qui in peccati mortalis statu decedunt, statim æternis addici suppliciis : at Deus non minus proclivis est ad remunerandum quam ad puniendum. Ergo justi, in quibus nihil purgandum superest, statim post mortem *nunc*, cœlo per Christum reserato, in cœlis recipiuntur. — Et vero hujus modi animæ cœlestem beatitudinem meruerunt, neque est aliquid quod ipsas impediat aut retardet a gloria consequenda, siquidem anima vinculis corporis soluta visionis Dei capax est. Ergo sine fundamento dicitur differenda in diem judicii. — Cæterum, quamvis beati statim post mortem in cœlum transferantur, et plena felicitate gaudeant, attamen, cum careant corpore usque ad resurrectionem generalem, carent pariter gloria accidentali, quam ex corpore habituri sunt, et eo sensu intelligendi sunt quidam Patres asserentes Sanctos non fore perfecte beatos ante extremum judicium.

Secunda pars assertionis, quæ spectat *ad inæqualitatem beatitudinis sanctorum,* probatur etiam

1. *Scriptura Sacra*; legitur enim (*Joan.*, xiv, 2) : « In domo » Patris mei *mansiones multæ sunt*; » loquitur autem Christus de regno cœlesti, uti demonstrant immediate sequentia : « Vado parare vobis locum. » — Idem comparatione illustrat Apostolus : « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas

» stellarum; *stella* enim *a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* » (I *Cor.*, XV, 41); quæ verba tam intelligi possunt de felicitate inæquali animarum, quam de splendore corporum.

2. *Traditione*, imprimis ex SS. Patribus. In Actibus passionis S. Polycarpi (n. 9), judicem sic ipse alloquitur : « Quanto graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam. » Nec aliter S. Irenæus : « Quanto plus, inquit, Deum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus » (Lib. 4, *adv. Hær.*, c. 13, alias 27, n. 3). Ita etiam et alii innumeri, præsertim S. Hieronymus, qui ex professo hanc doctrinam probat contra Jovinianum diffitentem.

3. *Ratione theologica.* Merita sunt inter homines diversa, ut fatentur omnes; ergo et præmia; alioquin justitiæ regulæ non servarentur, dicente e contra Apostolo : « Unusquisque pro» priam mercedem accipiet *secundum suum laborem* » (I *Cor.*, III, 8). — « Qui parce seminat, parce et metet; qui seminat in » benedictionibus, de benedictionibus et metet » (II *Cor.*, IX, 6). Ergo.

Cæterum ex inæquali Sanctorum beatitudine nulla inter eos invidia oritur, nec iis, qui minori gloria gaudent, quidquid deest ad veram beatitudinem; sed e contra vident hanc inæqualitatem a summa Dei justitia exspostulari, atque in ea sibi complacent. Quid deesse posset eorum beatitudini, qui bonum possident perfecte implens eorum facultates?

192. Scholium. *De justis ante Christum defunctis seu de Limbo Patrum.* Communis est Ecclesiæ fides animas justorum sub veteri Testamento defunctorum, etiamsi puræ fuerint, in *Limbo* detentas fuisse, qui dicitur etiam *infernus*, *inferorum locus*, *inferi*, et a theologis, ut jam diximus, purgatorio vicinus existimatur. Limbum nempe manifeste designat, quod (*Eccli.*, XXIV, 45) de Messia legitur : « Penetrabo omnes *infe*» *riores partes terræ*,..... et *illuminabo omnes sperantes in Domino.* » Nec aliud docent SS. Patres, qui passim asserunt Christum ad inferos decendisse; patriarchas ibi adventum ejus expectasse, nec antea in sinu cœlestis patriæ recipi potuisse. — Animæ justorum in Limbo degentes, etsi a dolori-

bus immunes fuerint, vera tamen beatitudine non fruebantur; ratio est quia visione Dei carere debuerunt, donec veniret « qui » contrivit portas æreas et vectes ferreos confregit » (*Psal.* CVI, 16). Unde dicuntur *in carcere includi* (I *Petr.*, II, 19). Attamen fuit in ipsis, una cum fide firmissima, spes ardentissima vehemensque desiderium futuri Redemptoris. — Tandem eædem animæ e Limbo ereptæ fuerunt, quando Christus « his, qui *in carcere erant*, spiritibus prædicavit (I *Petr.*, III, 19), atque « ascendens in altum *captivam duxit captivitatem* » (*Eph.*, IV, 3).

§ II. De natura beatitudinis cœlestis.

193. Prænotanda. — I. Beatitudo generaliter accepta est satietas appetitus intellectualis; nam, ut ait S. Augustinus (*de Trinit.*, l. 13, c. 5), beatus est qui habet omnia quæ vult. Unde definitur a Boetio : *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, et a S. Thoma (1. 2, q. 2, a. 8) : *Perfectum bonum, quod totaliter quietat appetitum.*

In beatitudine sic intellecta duo considerari possunt, objectum scilicet, quo appetitus intellectualis satiatur, et ejusdem consecutio. Prius nuncupari solet *beatitudo objectiva* ; posterior *beatitudo formalis.*

Dividitur insuper beatitudo in *naturalem* et *supernaturalem. Naturalis* ea est quam natura rationalis solis naturæ viribus ac naturali Dei auxilio assequi potest. — *Supernaturalis* dicitur illa, quæ naturæ vires et exigentiam omnino excedit, et nonnisi auxiliante gratia comparari potest.

194. — II. Beatitudinem hominis objectivam nonnisi in bono increato, nempe Deo, consistere posse, patebit ex dicendis in Tractatu de *Actibus humanis* (cf. n. 47), ubi ex professo demonstratur Deum solum esse finem ultimum, ad quem et propter quem homo tum naturaliter, tum supernaturaliter institutus fuit ; nam, ut ibidem recte adnotatur, beatitudo hominis ab ejus fine ultimo reipsa non differt. Unum duntaxat hic subjungemus, nempe Deum ita esse objectum nostræ beatitudinis, ut ipse absque alterius boni consortio sufficiat ad nos beatificandos. Ratio est, juxta Suarez (*De ultim. fine hom.*,

disp. 6, sect. 2), « non solum quia in Deo continetur omne bonum eminenter, sed etiam quia secum affert quidquid ad beatitudinem hominis necessarium esse potest. » Et vero ille finis simpliciter et absque ullo alio perfectus est, qui propter se semper et nunquam ob aliud est amandus. Porro Deus semper propter se amandus est, et reliqua omnia propter seipsum. Ergo.

Unde Psaltes regius (XVI, 15) canit : « *Satiabor*, cum appa- » ruerit gloria tua ; » ipseque Christus (*Marc.*, X, 18) ait : « Nemo bonus, nisi unus Deus; » unde etiam exclamabat Augustinus (l. 1 *Confes.*, c. 1) : « Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. »

Neque dicatur alia præter Deum requiri ad beatitudinem hominis ; respondet enim Suaresius (*op. cit.*, disp. 5, sect. 2, n. 2) « aliud esse loqui de proprio objecto bono, cujus consecutione beati sumus, aliud vero de his, quæ vel cum illo conjuncta sunt, vel ex parte nostra sunt necessaria ad consequendum illud objectum perfecte, et ut in nobis efficiat illos effectus omnes, quos perfecta beatitudo requirit; non enim omnia, quæ hoc modo requiruntur, oportet ut sint proprie objecta beatitudinis essentialis ; » ex quibus patet multa quidem concurrere ad statum perfectum beatitudinis, sed ita ut illud quod est summum et perfectum in eo statu dicatur *essentia* beatitudinis, cætera vero sint veluti *proprietates* et *accidentia* ejus.

195. — III. Quod ad beatitudinem formalem attinet, non una est theologorum sententia de ejus intrinseca ratione, seu, quod idem est, diversimode explicant per quid efficiatur Dei consecutio, qua beatificamur. Alii nempe beatitudinem hominis formalem reponunt in quodam illapsu divinæ essentiæ in essentiam animæ ; alii in visione Dei increata menti nostræ communicata et unita ; alii demum, et quidem communiter post D. Thomam, in actuali operatione homini propria et ab ipso beato elicita (Vide circa hæc Billuart, *de Ultimo fine*, diss. 2, a. 2).

Etsi vero de hoc communiter consentiant, hac potissimum innixi ratione, quod beatitudo formalis est ultima hominis

perfectio ipsaque beatorum vita, atque adeo debet esse actus vitalis ab intrinseco procedens, theologi tamen multiplici iterum ratione hunc actum intelligunt. Tres præsertim occurrunt sententiæ : prima asserit formalem beatitudinem essentialiter consistere in solo actu intellectus, seu in sola Dei visione. Secunda eam reponit in actu voluntatis, videlicet in solo actu vel amoris, ut vult Scotus, vel fruitionis, ut aliis placet. Tertia docet eam consistere in actibus intellectus et voluntatis simul, seu ad essentiam beatitudinis pertinere tum visionem, tum amorem, tum etiam delectationem ex amore provenientem, seu fruitionem.

De hujusmodi controversia hæc tantum adnotare juvat, nempe : — 1. beatitudinem formalem, si consideretur quantum ad *statum*, iis omnibus constitui, quæ hominem efficiunt plene beatum; sic igitur importat cognitionem, amorem et gaudium seu fruitionem; — 2. eamdem, si spectetur quantum ad *essentiam*, in solo actu intellectus *probabilius* reponi.

Primum sic a Lessio ostenditur : « Beatitudo, inquit, consistit in perfecta unione vitali cum Deo; perfecta autem cum eo unio non solum postulat conjunctionem per intellectum, sed etiam per affectum, quia non minus voluntas attingit Deum, quam intellectus; sunt enim hæ duæ facultates ad instar brachiorum, quibus animus Deum complectitur eumque sibi astringit et tenet. »

Secundum vero ex eo evinci potest, quod beatitudo formalis essentialiter consistit in adeptione finis ultimi; quæ quidem nullatenus fit per actum voluntatis; velle enim est quoddam appetere; appetere autem non est consequi rem appetitam, sed inclinari et tendere in illam. — Cæterum nec delectatione nec amore homo finem suum assequitur; namque delectatio, inquit S. Thomas (1. 2, q. 3, a. 4), « advenit voluntati ex hoc quod finis est præsens... Oportet igitur aliquid aliud esse, quam actum voluntatis, per quod fit finis ipse præsens voluntati; » amor autem, quando versatur circa bonum jam habitum causatur ex hoc quod bonum amatum jam habetur (S. Thomas, *C. Gent.*, l. 2, c. 26). — Restat ergo ut hæc finis ultimi adeptio fiat per intellectum, quatenus scilicet circa objectum suum

exercetur illud apprehendendo et attrahendo ad se, sicque faciendo illud sibi præsens vel per species, vel immediate.

His de beatitudine in communi præmissis, propriam beatitudinis cœlestis indolem explanare juvat; quod quidem præstabunt sequentes assertiones.

196. Assertio 1ª : *Sancti in cœlo Deum intuitive vident, eaque visione beati efficiuntur.*

Est de fide, quatenus saltem pronuntiatur Sanctos in cœlo regnantes intuitiva Dei visione perfrui. Decernit enim Concilium Flor. (*Decr. union.*) Sanctorum animas, quibus nihil luendum superest « in cœlum mox recipi et *intueri clare ipsum Deum, trinum et unum.* »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Hæc primum in Veteri Testamento videre est : « Ego autem in justitia apparebo conspec- » tui tuo; *satiabor cum apparuerit gloria tua* » (*Ps.* xvi, 15). — « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et *apparebo ante faciem Dei* » (*Ps.* xli, 2). — Job quoque exclamat (xix, 25 et seq.) : « De terra surrecturus sum et in » carne mea *videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse...* » reposita est hæc spes in sinu meo. » His autem et similibus clare saltem exprimitur visionem Dei animabus justis promissam fuisse, et quidem velut summum bonum appetitus rationalis expletivum.

At eadem veritas luculentius adhuc in novo Testamento declaratur. Sic (*Matth.*, v, 8) legitur : « Beati mundo corde, quo- » niam ipsi *Deum videbunt;* » item (*Joan.*, xvii, 3) : « Hæc est » vita æterna ut *cognoscant te Deum verum;* » et (I Ep. iii, 2) : « Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quo- » niam *videbimus eum, sicuti est;* » scribit pariter (I *Cor.*, xiii, 12) S. Paulus : « Videmus nunc per speculum et in ænigmate, » tunc autem *facie ad faciem.* Nunc cognosco ex parte; *tunc* » autem *cognoscam, sicut et cognitus sum.* » Ex quibus patet iterum non tantum hominibus promitti intuitivam Dei possessionem, sed etiam in ea reponendam esse veram beatitudinis cœlestis rationem.

Confirmatur demum visionis beatificæ existentia ex eo quod de Angelis (*Matth.*, xviii, 10) dicitur : « Angeli eorum in cœlis

» semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis, » siquidem, teste eodem evangelista (XXII, 30), homines in justitia decedentes « erunt *sicut Angeli Dei* in cœlo, » vel, juxta S. Lucam (XX, 36) « *æquales Angelis.* »

PROB. 2. *Traditione.* S. Irenæus (l. 4, *adv. Hær.*, c. 20, alias 37) dicit : « *Homines* ergo *videbunt Deum*, et *vivent per visionem*, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum. » — S. Augustinus (l. 22, *de Civit. Dei*, c. 29) scribit : « Sicuti Angeli faciem Patris vident, *ita* et *nos visuri sumus... Præmium* itaque *fidei nobis visio ista servatur...* Facies autem Dei *manifestatio ejus* intelligenda est. » — Audiatur demum S. Bernardus, qui (serm. 4, *in festo Omn. SS.*) hæc habet : « Tripliciter in æterna illa et perfecta beatitudine fruemur Deo, *videntes eum* in omnibus creaturis, *habentes eum in nobis ipsis*, et quod his omnibus ineffabiliter jucundius est atque beatius, *ipsam* quoque *cognoscentes in semetipsa Trinitatem*, et gloriam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. *In hoc* enim erit *vita æterna, ut cognoscamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, et videamus Deum sicuti* est. »

PROB. 3. *Ratione theologica.* Data nimirum revelatione, intuitive visionis existentia merito colligitur

1. *Ex desiderio hominibus insito Deum videndi ;* nam uti arguit S. Thomas (*Suppl.*, q. 92, a. 1) « sanctorum desiderium non potest omnino frustrari ; sed sanctorum desiderium commune est ut Deum per essentiam videant, ut patet Exodi (XXXVIII, 13) : « *Ostende* mihi *gloriam tuam*, » et (in *Ps.* LXXII, 20) : « *Ostende faciem tuam*, et salvi erimus, » et (*Joan.*, XIV, 8) : « *Ostende nobis Patrem*, et sufficit nobis. » Ergo sancti per essentiam Deum videbunt. »

2. *Ex natura perfectæ beatitudinis*, ad quam homo inclinanatur ; hæc enim hujusmodi esse debet ut omnem appetitum creaturæ rationalis expleat : sed hoc nonnisi visione beatifica præstatur ; quippe quæ præcipua hominis desideria, veritatis nempe, voluptatis, æternitatis et magnitudinis, quibus veluti quatuor ventis, omnes viæ humanæ turbines excitantur, sola exsatiare potest (cf. Gonet, *de Ult. fine*, c. 3).

3. *Ex perfectione hominis elevati ;* etvero in præserti rerum

ordine homo ad finem suum ordinatur secundum intellectum per fidem quæ est imperfecta Dei cognitio, secundum voluntatem per spem ac per caritatem; imo justi anima Dei veram similitudinem jam præ se fert : talis vero dispositio exspostulat in termino Dei visionem, qua scilicet firmetur possessio finis perficiaturque assimilatio cum Deo per gratiam incœpta. Unde S. Joannes (I *Ep.*, III, 2) dicit : « Cum apparuerit, similes ei « erimus; » et S. Thomas (*Contra Gent.*, l. 3, c. 51) scribit : « Secundum autem hanc visionem maxime Deo assimilamur et ejus beatitudinis participes sumus. Nam ipse Deus per suam essentiam suam substantiam intelligit, et hæc est ejus felicitas. »

197. Assertio 2ª : *Intuitivam visionem necessario consequitur amor beatificus, quo nempe voluntas beati Deum videntis in ejus amorem rapitur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra;* testatur enim S. Paulus (I *Cor.*, XIII, 8, 13) amorem seu caritatem Beatis inesse his verbis : « *Caritas nunquam excidit...* Nunc autem manent fides, spes, » *caritas*, tria hæc : major autem horum est *caritas*. »

Prob. 2. *Traditione;* juxta enim S. Augustinum (lib. *de Perf. justit.*) præceptum dilectionis, quo jubemur Deum diligere ex toto corde, et ex omnibus viribus, et proximum nostrum sicut nosmetipsos, licet in via ex toto non possit impleri, perfecte tamen implebitur in cœlesti beatitudine, quia ibi *caritas non cessat*, sed *perficitur*. Unde *in cœlo ita erit perfecta caritas*, ut quilibet plus Deum quam se diligat, proximum quantum se, et plus quilibet gaudeat de beatitudine Dei quam de sua, et tantum de cujuslibet angeli, vel beati hominis felicitate, quantum si illam in seipso haberet. Ergo.

Prob. 3. *Ratione theol.* Re quidem vera per visionem intuitivam Deus apprehenditur ab intellectu ut in se est, ac proinde uti summum bonum; sed fieri nequit ut voluntas ad illud, quod intellectus ut summum bonum apprehendit, non feratur. Ergo voluntas beatorum in necessitate Deum super omnia diligendi versatur, eoque vehementiori ardore in eum abripitur, quo clarius divinam essentiam infinite amabilem intuetur.

Exinde theologi merito inferunt Beatos in cœlo ad Deum

amandum necessitari necessitate non tantum *specificationis*, ita ut non possint Deum odio habere, sed etiam, ut dicunt, quoad *exercitium*, adeo ut divini amoris actum divertere vel suspendere non valeant. Ratio est quia intellectus Beatorum nullam rationem mali in hoc amoris actu nullamve rationem boni in ejus cessatione concipere potest. Neque esse potest lassitudo aut fastidium in illius exercitio, si quidem ab aliquo organo non pendet, bonumque increatum, cum infinitæ sit suavitatis et dulcedinis, tam suaviter implet, tam delectabiliter satiat, ut in ejus fruitione regnet desiderium et in satietate vigeat illius appetitus.

198. Assertio 3ª: *Ex clara Dei visione et amore beatifico oritur in sanctis ineffabile gaudium, summave delectatio, quæ Dei fruitio jure appellatur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra* ; sic (*Ps.* xxxv, 9) legitur : « *Ine-* » *briabuntur* ab ubertate domus tuæ et *torrente voluptatis tuæ* » *potabis eos* ; » et (*Ps.* xv, 11) : « Adimplebis me *lætitia* cum » vultu tuo, *delectationes* in dextera tua, usque in finem ; » item (*Matth.*, xxv, 21) : « Intra *in gaudium Domini tui* ; » et (*Joan.*, xvi, 22) : « *Gaudebit* cor vestrum, et *gaudium vestrum* » nemo tollet a vobis. » Porro hæc et sexcenta similia evincunt sanctos in cœlo ineffabili delectatione perfrui. Ergo.

Prob. 2. *Traditione*. Enimvero SS. Patres toti sunt ut ingens hoc Sanctorum gaudium describant. Audiatur imprimis S. Augustinus, qui (*de Spiritu*, c. 64) ait : « Gaudium vero quale aut quantum, ubi tale et tantum bonum invenitur? Cor humanum, indigens..., quantum gauderes, si his omnibus abundares. Interroga intima tua, si capere possunt gaudium suum de tanta beatitudine sua. » — S. Anselmus (*in Prosolog.*, c. 26) hæc scribit : « Tam magnum est *de Deo gaudium cœlestis patriæ*, ut non possit concludi in homine, et ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, et non intrat gaudium illud in hominem tanquam comprehensum ab homine. » — Demum S. Bernardus (*Epist.* 114) dicit quod « huic comparata omnis alia jucunditas, mœror est ; omnis suavitas, dolor est ; omne dulce, amarum ; omne decorum, fœdum ; omne postremo quodcumque delectare potest, molestum. »

3. *Ratione theologica*; etenim per visionem intuitivam sancti finem suum ultimum assequuntur in eaque assecutione quietatur omne eorum desiderium, ita ut anima possideat quidquid appetit : porro affectus voluntatis habentis id omne quod appetit est gaudium et delectatio. Ergo. — Neque solum de bono proprio et de felicitate, qua fruuntur, gaudent beati, verum etiam de bono divino in se considerato, secundum illud (*Apoc.*, XIX, 6) : « Quoniam *regnavit Dominus Deus noster* » omnipotens, *gaudeamus, exultemus*, et demus gloriam ei. »

199. Quæritur 1. *Quodnam sit objectum visionis beatificæ.*

Resp. 1. Objectum *primarium* et *essentiale* visionis intuitivæ in cœlis est ipse Deus, ita tamen ut beati essentiam divinam non *comprehendant*, etsi clare et intuitive videant *quæ in ea necessario includuntur*.

Patet *primum* ex rationibus supra allatis ad demonstrandam existentiam visionis beatificæ.

Secundum vero facile evincitur; nam in Scripturis Deus proclamatur *incomprehensibilis*. Insuper cum ejus natura sit infinita ac ineffabilis, perspicuum est illam non posse ab intellectu creato perfecte apprehendi; alioquin æqualis esset intellectus creatus divino intellectui. Et ideo hæc verba Apostoli : « *Cognoscam sicut et cognitus sum*, » intelligenda sunt de *modo* cognitionis, id est, de visione intuitiva, non autem de *æqualitate* cognitionis.

Tertium denique definitum videtur a Concilio Florentino dicente animas justorum post mortem « intueri ipsum Deum *trinum* et *unum sicuti est*. » — Innuitur etiam in Scriptura, quando dicitur (*Joan.*, XVII, 3) : « Hæc est autem vita æterna » ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum » Christum ; » quæ verba important cognitionem omnium, quæ in divina essentia formaliter et necessario continentur, hoc est, attributorum, Trinitatis personarum, processionum divinarum ac relationum.

Dicitur : *quæ necessario in essentia divina continentur*, quia illa quæ in ipsa sunt libera, v. g., decreta Dei libera, non necessario cognoscent Beati, sed prout Deo placuerit : sic Angeli et Beati diem judicii extremi ignorant.

Resp. 2. Præter Deum Beati alia etiam vident in divina essentia, et illa præsertim, quæ *ad eorum proprium statum pertinent.*

1. Alia quidem præter Deum in divina essentia vident. Nam beatitudo definitur status omnium bonorum aggregatione perfectus : atqui talis esse non potest status Sanctorum sine cognitione multarum creaturarum. Ista autem cognitio est tam perfecta, saltem circa præsentia, ut exclamaverit S. Bernardus : « O sapientia, qua tunc omnia quæ in cœlo, et quæ in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. »

2. Beati cognoscunt potissimum *ea quæ ad proprium statum pertinent.* Sic S. Petrus aiebat : « Dabo operam et frequenter » habere vos post obitum meum, ut horum memoriam facia- » tis » (II *Pet.*, I, 15). Sic S. Augustinus ad Cornelium scripsit : « Tua conjux te recordatur, te casta non vult ad pœnas venire mœchorum. » (*Epist.* 259, alias 125, n. 5). Sic conc. Senonis habitum, ait : « Beatis pervium esse divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit illucescat. » — Ratio illud indicat; conveniens enim omnino videtur ut Deus Beatis manifestet ea quæ illorum interest ; nec videretur quomodo sine ista cognitione forent perfecte beati.

200. Quæritur 2. *Quomodo Beati Deum videant.*

Resp. 1. Certum est Deum videri non posse oculis corporeis. — In Scrip. dicitur : « Regi sæculorum immortali et *invisibili* » (I *Tim.*, I, 17). Illud docent SS. Patres et manifestat ratio; Deus enim est incorporeus, immaterialis, dum oculus corporeus est materialis; ergo nulla proportio.

Resp. 2. Certum est etiam ad hanc visionem intuitivam imparem esse intellectum humanum sibi derelictum ; etenim visio intuitiva est donum supernaturale, ut omnes fatentur; ergo superat vires naturæ nostræ; ergo intellectus noster speciali auxilio indiget ad Deum intuitive videndum. — Conc. Viennense idem declarat ; damnat quippe sequentem errorem Beguardorum et Beguinorum : « Quod quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum et eo

beate fruendum » (Clem., *de Hæret.*, c. 3). — Nec aliter docet D. Thomas, quippe qui (1. q. 12, a. 5) ait : « Cum aliquis intellectus *creatus* videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei addatur ad hoc, quod elevetur in tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut ostensum est, oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ *illuminationem intellectus* vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen vel lux. » Merito igitur illud auxilium, quo indiget intellectus humanus ad Deum intuitive videndum, dicitur *lumen gloriæ*, juxta ista Scripturæ loca : « Apud te est fons vitæ, et *in lumine tuo videbimus lumen* » (*Ps.* XXXV, 10). — « Non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quo- » niam Dominus Deus *illuminabit illos* » (*Apoc.*, XXII, 5). Definiri autem solet lumen gloriæ : *Habitus supernaturalis, quo intellectus creatus elevatur ad intuitivam Dei visionem habendam.* Ex quo patet præcipuum munus luminis gloriæ esse corroborare et elevare intellectum ad eliciendam visionem intuitivam. Dico *præcipuum*, quia alterum est, quo nempe disponit intellectum ad receptionem divinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis; et tertium, quo eumdem intellectum disponit ad receptionem ipsius visionis beatificæ ; cum enim visio beatifica sit actio immanens, quæ recipitur in subjecto, a quo elicitur, hoc ipso quo lumen gloriæ disponit intellectum ad hanc visionem eliciendam, disponit etiam ad illam recipiendam.

Disputant demum theologi de modo quo intellectus et lumen gloriæ ad visionem intuitivam effective concurrant. At dicendum videtur intellectum et lumen gloriæ concurrere ut duas causas totales sub diversa ratione, videlicet : intellectum, ut principium elicitivum visionis; lumen gloriæ, ut rationem formalem proximam, quo intellectus elevatur et proportionatur visionis actui ; seu, ut dicunt alii, ex intellectu et lumine unicum exsurgit principium adæquatum visionis, cujus intellectus solus, vel solum gloriæ lumen, non est principium completum.

Resp. 3. Communis est theologorum sententia non dari speciem impressam in visione intuitiva; imo non desunt qui contendunt nullam dari posse. Patet primum ex inutilitate prædictæ speciei; quippe cum Deus, ens profecto summe intelligibile, per se intime præsens sit cuilibet intellectui beato. Secundum vero defluere videtur ex hoc quod nulla specie creata repræsentari potest essentia divina (cf. S. Thomas, 1, q. 12, a. 2).

Utrum vero detur aut saltem dari possit in hac visione species expressa, seu productio verbi, multo magis controvertitur. Affirmant plures hac potissimum innixi ratione, quod visio intuitiva non esset operatio vitalis, nisi adesset in ea terminus aliquis, seu verbum ab intellectu productum. Sed alii negant tum quia non minus est superflua hæc species expressa quam impressa, si quidem divina essentia est ex se sua ultima actualitas in esse intelligibili; tum quia repugnat dari aliquid creatum, quod sit perfecta Dei similitudo et ejusdem naturæ, seu immaterialitatis cum illo. Ex his inferunt Thomistæ, hujusce posterioris sententiæ fautores, ipsammet divinam essentiam in visione beata gerere vices speciei tum impressæ, tum etiam, saltem incomplete, expressæ (Cf. Billuart, *de Deo*, diss. 4, a. 6 et 7).

Ex his colligere fas est inæqualitatem visionis intuitivæ in variis sanctis repetendam esse ex inæqualitate luminis gloriæ, non vero ab inæqualitate intellectuum. Etenim — 1. visione intuitiva intellectus operatur supernaturaliter : porro in operatione supernaturali non est attendendum ad virtutem naturalem. — 2. Inde sequeretur duos Beatos inæquales intellectu, sed æquales meritis et lumine gloriæ, fore inæquales in remuneratione ob intellectuum differentiam; quod sat absonum videtur; ergo. Ita Thomistæ contra Scotistas.

201. Quæritur 3. *Utrum visio intuitiva vires et exigentias cujusvis naturæ intellectualis non tantum creatæ, sed etiam creabilis superet, ideoque absolute supernaturalis dicenda sit.*

Resp. *Affirmative*; idque constat auctoritate simul et ratione.

1. *Auctoritate* quidem; enimvero visio intuitiva passim in

Scripturis exhibetur ut *assimilatio ad Deum* et creaturæ *deificatio* (I *Joan.*, III, 2; II *Cor.*, III, 18); tanquam *hæreditas divina propria filiorum Dei* (*Rom.*, VIII, 17; *Coloss.*, III, 24); imo quasi *beatitudo ipsamet Dei* (*Matt.*, XXV, 21, *Apoc.*, III, 21; *Luc.*, XXII, 28-30). His autem quid exprimi non modo Angelis et hominibus, sed etiam omni creaturæ possibili indebitum nemo sanæ mentis non videt. Nec dicatur ad enervandam prædictorum testimoniorum vim beatificam visionem haud raro proponi in sacris litteris ut *mercedem* et *retributionem*; facili namque negotio ostendi potest visionem intuitivam ita mercedis retributionisve rationem habere, ut eatenus debita sit quatenus præcesserit gratuita retribuentis promissio; ut necessario donum gratuitum, in quo fundetur meritum, supponat; ut demum omne meritum prorsus excedat.

Neque aliter docent SS. Patres, qui etiam gloriam cœlestem repræsentant velut unionem cum Deo ipsiusque fruitionem, quæ omnem creatæ naturæ exigentiam certo certius transcendunt. Audiatur præ cæteris Dionysius Areopagita his verbis (*de Eccl. hier.*, c. 1, n. 3) characterem supernaturalem cœlestis beatitudinis, exprimens : « Omnia transcendenti divinissimæ beatitudini, trinæ unitati... in votis quidem est rationalis creaturæ salus tam nostra quam mentium supernarum; verumtamen hæc salus iis, qui salvantur, nonnisi jam *deificatis* potest obtingere. Est autem hæc deificatio Dei quædam, quoad fieri potest, *assimilatio unioque*. »

2. *Ratione* quoque idem evincitur; cum enim, ex antea probatis, intellectus creatus indigeat lumine gloriæ ad Deum intuitive videndum, eatenus dici posset intuitivam visionem non esse supra vires et exigentiam cujusvis intellectus creabilis, quatenus dari posset, saltem de potentia Dei absoluta, intellectus, cui lumen gloriæ esset connaturale : porro non est creabilis, etiam de potentia Dei absoluta, intellectus, cui lumen gloriæ sit connaturale. Ergo.

Constat minor præcedentis argumenti multiplici modo; sed imprimis — 1. ex eo quod lumen gloriæ, cum sit ultima dispositio ad naturam divinam uniendam intellectui in ratione formæ intelligibilis non possit esse naturale nisi habenti na-

turam divinam, seu Deo; — 2. ex eo quod talis intellectus importaret substantiam creatam supernaturalem; quæ quidem omnino impossibilis est; — 3. ex eo quod creatura, cui ita connaturale esset lumen gloriæ, ex se et naturaliter foret impeccabilis et beata; quod soli Deo proprium est (cf. Billuart, *de Deo*, diss. 4, a. 5).

Nec dicatur visionem intuitivam, nedum cujusvis intellectus creabilis exigentiam et vires excedat, ab homine naturaliter appeti, ideoque ipsi debitam esse. — Data præsenti ordinatione et imprimis prælucente revelatione, quæ nos edocet hominem ad claram Dei visionem destinari, ipsi quidem inest desiderium et appetitus prædictæ visionis; tale vero desiderium naturale dici non debere nemo non videt. Ideo igitur visionem intuitivam appetit homo, quia revelatione certus efficitur se a Deo elevatum esse ut capax sit visionis beatificæ, et hanc summam felicitatem ei velut finem assignatam fuisse. Cæterum, etiamsi absque ulla revelatione et in statu puræ naturæ admitteretur in homine desiderium quoddam claræ Dei visionis, non inde sequeretur illud necessario expleri debere; non enim aliud esset nisi velleitas quædam et appetitus conditionatus, cujus frustratio nullum inconveniens post se trahit, uti docet S. Thomas (in lib. 2 *Sentent.*, dist. 33, q. 2, a. 3, ad 2)

202. Scholium 1. *De dotibus animæ beatæ.* — Cum in beatitudine conjunctio sit Deum inter et animam, et veluti spirituale quoddam connubium, in beatis dotes admitti debent et revera admittuntur a theologis, aliæ quidem ex parte animæ, aliæ vero ex parte corporis. De dotibus animæ hic pauca dicenda sunt.

Tres communiter assignantur dotes animæ beatæ, scilicet *visio*, *comprehensio*. et *delectatio*. Ratio est quia dotes patriæ immediate conjungunt animam Deo, ac proinde correspondent virtutibus viæ immediate in illum tendentibus : porro virtutes viæ immediate ad Deum tendentes sunt tres, nempe fides, spes et caritas. Ergo tres esse debent animæ beatæ dotes, tribus virtutibus prædictis correspondentes, visio scilicet fidei, comprehensio spei, et delectatio caritati.

Advertendum est tamen nomina, quibus exprimuntur hæ

dotes, hic non sumi pro operatione videndi Deum, ipsum comprehendendi et de eo delectandi; in his siquidem operationibus consistit ipsa beatitudo, ut patet ex dictis; sed pro habitibus seu qualitatibus animam ornantibus eamque disponentibus ad perfectam cum Deo conjunctionem (cf. Billuart, *de ult. fine*, diss. 2. a. 5).

203. Scholium 2. *De aureolis beatorum.* — Præter essentialem beatitudinem et dotes animæ beatæ omnibus sanctis communes, admittunt Theologi quasdam singulares prærogativas aliquibus ob singularium virtutum eximios actus convenientes; quas quidem *aureolas*, seu parvas coronas vocant, ut distinguantur a præmio essentiali, quod *aurea*, sive *corona aurea* appellatur. Unde aureola definitur a S. Thoma (in 4 dist. 49, q. 5, a. 5) : « *Privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ respondens*, » seu gaudium quoddam accidentale, quod beati percipiunt ex victoria, quam in alicujus virtutis particularis exercitio reportarunt, scilicet *martyres* contra *mundum*, *virgines* contra *carnem*, *doctores* contra *dæmones*, quos ex hominum cordibus, monitis suis salutaribus, expellunt; ideo triplici huic præcellenti victoriæ respondet triplex aureola, scilicet martyrum, virginum et doctorum. — Utrum autem ista aureola in corpus redundet aliquo decore, probabiliter affirmant auctores; quia sicut gloria essentialis animæ apparet in corpore exteriori decore; ita probabile est gloriam accidentalem animæ in corpore refulgere : et ideo Soto probabile judicat claritatem gloriæ efformare in capite virginum coronulam albam, in capite martyrum purpuream, in capite doctorum subviridem (in 4 dist. 49, q. 5, a. 2).

§ III. De duratione beatitudinis cœlestis.

204. — I. Dogma catholicum est ab omnibus facile admissum beatitudinem sanctorum esse sine fine duraturam; dicitur namque in Symbolo Apostolorum : « Credo... *vitam æternam;* » et in Symbolo S. Athanasii : « Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. » Nec mirum, si quidem id indubitanter testantur Scriptura et Traditio.

In Scriptura nempe hæc leguntur : « Justi *in perpetuum*

» vivent » (*Sap.*, v, 16). — « Ibunt justi in *vitam æternam* » (*Matth.*, xxv, 46). — « Gaudium vestrum *nemo tollet* a vobis » (*Joan.*, xvi, 22). — « Dominus Deus illuminabit illos (servos » suos), et regnabunt *in sæcula sæculorum* » (*Apoc.*, xxii, 5). — Imo (I *Pet.*, i, 4) vocatur beatitudo futura « *hæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarcessibilis.* » — Unde, etsi vox *æternum* quandoque pro duratione *diuturna* sumatur, patet eam alio sensu, id est, *de duratione sine fine*, hic intelligendam esse.

Traditio quoque favet; possent enim adduci innumera testimonia SS. Patrum, qui una voce profitentur cum S. Augustino : « Ipse (Deus) finis erit desideriorum nostrorum, qui *sine fine videbitur*, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur » (*de Civit. Dei*, l. 22, c. 30, n. 1), vel etiam asserunt quod Sanctorum beatitudo « nullo modo esse poterit vita veraciter beata, *nisi fuerit sempiterna* » (*de Trinit.*, l. 15, c. 8).

205. — II. At difficultas est et controversia inter Theologos utrum hæc perpetuitas cœlesti beatitudini conveniat ab intrinseco et ex natura rei, vel solum ab extrinseco et ex gratuita voluntate Dei eam perpetuo conservantis. Sed cum Thomistis contra Scotistas dicendum videtur beatitudinem Sanctorum *ab intrinseco* perpetuam esse.

Etenim cœlestis beatitudo considerari potest vel in ratione communi beatitudinis, vel in ratione specialis beatitudinis, ex visione Dei et amore beatifico provenientis : porro sub utraque ratione ab intrinseco incorruptibilis est.

Patet primum; nam de ratione beatitudinis est quod perfecte satiet et quietet appetitum beati : sed beatitudo sanctorum non perfecte satiaret eorum appetitum, si non esset ab intrinseco perpetua ; sancti enim naturaliter exoptant perpetuitatem boni, quod possident, maximeque anxiarentur, si existimarent tale bonum non esse perpetuum. — Neque dicatur sufficere ad hoc ut beatus quietetur et omnis anxietas ab eo tollatur, quod Deus illius decreverit beatitudinem perpetuo conservare et hoc illi innotescat; nam contra hoc est quod de ratione beatitudinis formalis sit, ut *ratione sui* vel eorum quæ illi debentur, appetitum beati satiet omnemque miseriam et anxietatem excludat. Ergo.

Constat secundum, nempe beatitudinem sanctorum, prout est specialis beatitudo ex visione Dei et amore beatifico dimanans, esse ab intrinseco perpetuam, ex eo quod visio Dei (et consequenter amor beatificus) nullum in se habeat corruptionis principium. Etenim subjectum ejus, intellectus scilicet, est procul dubio incorruptibile; principia vero, quæ ad illam concurrunt, nimirum lumen gloriæ, et essentia divina ut gerens vices speciei intelligibilis, similiter immutabilia et invariabilia sunt; quin etiam ab ipsa, ut mox dicetur, causa moralis, quæ sola eamdem beatitudinem destruere posset, peccatum videlicet, omnino excluditur. Ergo.

206. — III. Cœlestis beatitudinis perpetuitati intime cohæret felix peccandi impotentia, in qua versari dicuntur sancti in cœlo regnantes. De hac igitur nonnulla subjungere opportunum erit.

Et primum manifestum est rectitudinem voluntatis, seu immunitatem a peccato, ad beatitudinis assecutionem requiri sive antecedenter, sive concomitanter. — *Antecedenter* quidem, cum (*Apoc.*, XXI, 27) legitur : « Non intrabit in eam (civitatem sanc» tam) *aliquid coinquinatum*, aut abominationem faciens et » mendacium; » et (*Ps.* XIV, 1, 2) : « Domine, quis habitabit » in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? » Qui ingreditur *sine macula*, et *operatur justitiam*. » — *Consequenter* vero, id est, eo sensu, quod, manente beatitudine, nequeat esse culpa in beatis, siquidem Apostolus (*Eph.*, V, 27) de Ecclesia triumphante scribit : « Ut exhiberet ipse sibi *glo*» *riosam* Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. » Unde etiam dicitur (*Apoc.*, XXII, 3 et seq.) : « Et omne male» dictum non erit amplius : sed sedes Dei et Agni in illo erunt, » et servi ejus servient ei : et videbunt faciem ejus. » Cæterum beatitudo sanctorum non esset status omnium bonorum aggregatione perfectus, si peccatum et consequenter reatum pœnæ admitteret.

Sed dato, quod Beati amplius peccaturi non sint, imo nec peccare possint, non ita constat inter theologos utrum ista impeccabilitas ab intrinseco proveniat. Negat Scotus cum suis dicens eam procedere ex voluntate et auxilio Dei impedientis

ne beati in peccatum labantur. Cæteri vero communius post S. Thomam asserunt beatos esse ab intrinseco impeccabiles illamque felicem peccandi impotentiam tum ex clara Dei visione, tum ex amore beatifico provenire.

1. *Oritur quidem ex clara Dei visione*; et hoc multiplici de causa, nempe : — tum quia visio beatifica beatum intime et immobiliter conjungit primæ regulæ suæ operationis, id est, suo fini ultimo, a quo proinde per peccatum deflectere non possit; — tum quia totam creaturæ rationalis capacitatem implet, adeo ut voluntas beati reddatur immutabilis a bono in malum, subindeque impeccabilis; tum quia non potest esse in intellectu beati Deum videntis error, ignorantia aut inconsideratio, quæ peccatum necessario præcedunt; — tum quia demum non magis fieri potest, ut voluntas videntis Deum quidquam velit quod ad ipsum non ordinetur, quam ut aliquis in via operetur non respiciendo rationem boni in communi. Ergo.

2. *Oritur etiam ab amore beatifico*; nam per peccatum homo avertitur a Deo ut ultimo fine; per caritatem vero in Deum ut ultimum finem convertitur : ergo cum aversio a Deo et conversio in illum simul esse nequeant, peccatum cum amore beatifico est omnino incompossibile. Unde S. Augustinus (*de Civit. Dei.*, l. 14, c. 9) : « Ubi amor boni immutabilis est, profecto, si dici potest, mali cavendi timor securus est. »

ARTICULUS IV.

De supremo rerum humanarum exitu.

Agendum venit — 1. de resurrectione corporum; — 2. de extremo judicio; — 3. de consummatione mundi.

§ I. De resurrectione corporum.

207. Corporum resurrectionem rejecerunt quidam veteres hæretici, et philosophi non pauci ipsam corporum resurrectionis possibilitatem impugnantes; contra quos sit sequens

Assertio : *Omnes mortui resurgent cum proprio corpore.*

Est de fide. — Symbolum apostolorum dicit : « Credo *carnis resurrectionem.* » Constantinopolitanum : « Expecto *resur-*

rectionem mortuorum. » S. Athanasii : « Ad cujus adventum *omnes resurgere habent.* » Concil. vero Later. IV (cap. 1. *Firmiter*) addit : « Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent quæ nunc gestant. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* « *Vivent* mortui tui, interfecti » mei *resurgent :* expergiscimini, et laudate qui habitatis in » pulvere » (*Isai.*, XXVI, 19). — « Scio quod Redemptor meus » vivit, et in novissimo die *de terra surrecturus sum*, et rursum » circumdabor pelle mea, et *in carne mea* videbo Deum meum » (*Job.*, XIX, 25). — « Omnes qui in monumentis sunt, audient » vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt *in resurrec-* » *tionem vitæ*; qui vero mala egerunt *in resurrectionem judi-* » *cii* » (*Joan.*, V, 28). — « Omnes quidem *resurgemus*, sed non » omnes immutabimur » (I *Cor.*, XV, 51). Jam vero hæc omnia de corpore, non vero de anima sola intelligi queunt ; nam sola corpora possunt *resurgere*, *existere in monumentis*, *habitare in terræ pulvere*, *de terra surgere :* ergo de resurrectione corporis agitur ; ergo surrectura sunt corpora.

Prob. 2. *Traditione.* S. Polycarpus Deum ante martyrium suum sic precatur : « Benedico te, qui me in hunc diem et ad hanc horam perducere dignatus es, ut partem caperem in consortium martyrum, et in calice Christi tui, *in resurrectionem vitæ æternæ*, animæ et *simul corporis*, incorruptione Spiritus Sancti » (Apud Eusebium, *Hist.*, l. 4). — S. Augustinus : « Propria fides est christianorum *resurrectio mortuorum* » (Serm. 241, n. 1). — Quinimo afferi possunt Patrum opera eo fine conscripta, ut resurrectionem futuram demonstrarent ; sic Athenagoras edidit librum integrum ea de re ; S. Cyrillus Hieros. (*in catech.* 18) de hoc dogmate ex professo tractat ; Origenes (*contra Celsum*, lib. 5) illud dogma invictis argumentis demonstrat ; S. Gregor. Nyssenus (*dialog. de anima et resurrectione*) et S. Ambrosius toto libro (*de fide resurrectionis, secundo de excessu fratris sui Satyris*) fidem resurrectionis stabili fundamento adstruunt.

Prob. 3. *Ratione saltem convenientiæ*, quæ desumitur ex eo quod prædicta corporum resurrectio Deo simul et homini apprime congruit.

1. *Deo* quidem, cujus attributa postulare videntur ut homines resurgant, imprimis vero — *bonitas*, ut justorum hominum non tantum animæ per visionem Dei intuitivam beatificentur, sed etiam ipsa corpora pro sua indole ejusdem gloriæ consortio reddantur; — *justitia*, qua exigitur, ut homines, qui ex corpore et anima compositi peccarunt vel recte egerunt, secundum animam et secundum corpus pœnam vel præmium accipiant; — *sanctitas*, ut caro, quæ fuit Christi carne saginata, sacramentis consecrata, vas et templum Dei, Christi membrum alia donetur sorte quam canes et jumenta.

2. *Hominis* etiam *naturæ* valde consentit corporum resurrectio. Ea est quippe propensio animæ humanæ ad corpus, in præsenti saltem rerum ordine, ut absque corpore nonnisi violenter et quasi præter naturam esse possit. At nihil quod est præter naturam, potest esse perpetuum. Cum igitur anima perpetuo vivere debeat, necesse est eam corpori de novo conjungi, et proinde corpus resurgere. Ergo.

208. OBJ. 1. *Ex Scrip. S.* — « Non resurgent impii in judi» cio : neque peccatores in concilio justorum » (*Ps.* I, 5). — RESP. *dist.* : Non resurgent impii in judicio et concilio justorum, ut participes sint ejusdem gloriæ et beatitudinis, *conc.*; nullatenus resurgent etiam extra conciliuin justorum, *nego.*

« Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes, qui des» cendunt in infernum » (*Ps.* CXIII, 17). — RESP. *dist.* : Mortui non laudabunt te in cœtu fidelium in terra viventium, non celebrabunt gloriam tuam coram gentibus, ut eas ad cultum tuum adducant, *conc.*; non laudabunt te in altera vita, *nego.*

« Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utri» usque conditio; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur » (*Eccles.*, III, 19). — RESP. *dist.* : Unus est interitus et æqua conditio hominis et jumentorum quantum ad miserias hujus vitæ et ipsam corporis dissolutionem, quæ bellüis et hominibus communes sunt, *conc.*; ex omni parte, *nego.*

« Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; » alii in vitam æternam, et alii in opprobium, ut videant sem» per » (*Daniel*, XII, 2); ergo non omnes resurgent. — RESP. Vox *multi* sumitur pro omnibus qui sane sunt multi; hic

sensus requiritur ab aliis textibus omnium resurrectionem postulantibus, et in Scripturis non est inusitatus : dicitur enim (*Rom.*, v, 19) : « Sicut per inobedientiam unius peccatores » constituti sunt *multi*, » et tamen de fide est *omnes* peccato originali coinquinari. Sic de sanguine suo dicit Christus (*Matt.*, XXVI, 28) : « Qui pro *multis* effundetur, » quamvis pro *omnibus* mortuus fuerit.

209. Obj. 2. *Ex ratione.* Impossibilis est corporum resurrectio, eo quod eadem materia in pluribus hominibus fuit, non tantum apud cannibales, qui humanis carnibus vescuntur, sed etiam apud nos; nemo quippe nescit « omnes omnino homines totidem anthropophagos esse; vix enim terræ cadavera mandata sunt, ut illico resolvantur in sua principia; his nutriuntur vegetabilia, quibus aluntur animantia, nosque dum vegetabilibus et animantibus vescimur, in nostram rursus convertimus substantiam ea ipsa principia primigenia, quæ substantiam constituerunt illorum hominum, qui superioribus sæculis vixerunt, et ita deinceps quoad futuras generationes » (Cf. Perrone, *de Deo creat.*, p. 2, c. 7).

Resp. Hæc difficultas evanescit, si attendatur — 1. non totam materiam, quam unusquisque habuerit toto vitæ tempore, resumendam esse in resurrectione, sed satis esse ad veram resurrectionem, ut ea resumatur quæ sufficiens erit ad tale corpus constituendum; fatentur siquidem omnes corpora perpetuæ mutationi subjacere, imo quolibet septennio forsan renovari, adeo ut si in resurrectione omnia servarentur elementa, difforme prorsus evaderet corpus humanum; — 2. stultam esse hypothesim anthropophagorum, qui non aluntur toto vitæ tempore nisi solis carnibus humanis; neque fieri posse absque miraculo, ut duo homines in toto vitæ decursu eamdem omnino materiam habeant, quia tot sunt rerum transmutationes, ut naturaliter accidere non possit eamdem omnino materiæ partem a duobus hominibus participari; — 3. herbas et plantas præter nutritionem quam ex cadaverum principiis adsciscunt, alia multa in proprium alimentum, seu succum convertere; imo illorum partem minimam esse quam ex cadaveribus attrahunt; quod propterea dici pariter debet de animantibus

ac de hominibus, qui tum terræ fructibus, tum animantibus vescuntur. Cæterum, uti adhuc advertit Perrone (*loc. cit.*), principia materiæ primigenia, etsi diversam modificationem habeant aut combinationem chimicam, in se prorsus incorruptibilia, imo et indestructibilia sunt; poterit igitur Deus, non obstante quocumque transitu de una substantia in aliam, eadem restituere iis, ad quos aliquo vitæ tempore pertinuerunt. — Adde ignorantia modi tolli non posse certitudinem facti.

210. Quæritur. 1. *Quænam erunt qualitates corporibus Beatorum et reproborum communes?*

Resp. Inter qualitates omnibus resurgentibus communes computari solent incorruptio, conservatio sexus, ætatis et staturæ perfectio et immunitas a vitiis naturæ. De singulis pauca seorsim dicenda sunt.

1. *De incorruptione.* — Illud expresse asserit B. Paulus his verbis : « In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet » enim tuba, et *mortui* resurgent *incorrupti* » (I *Cor.*, xv, 52). — « Seminatur in corruptione, surget *in incorruptione* » (I *Cor.*, xv, 42). « Oportet enim corruptibile hoc induere *in-* » *corruptionem* » (53).

2. *De conservatione sexus.* — Ex dictis homines resurgere debent cum propriis corporibus; ergo cum proprio sexu; sic S. Augustinus : « Sed mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant (*de Civit. Dei*, lib. 22, cap. 17).

3. *De perfectione ætatis et staturæ.* Resurgent homines in tali staturæ magnitudine et forma, qualem homines habere solent in ea ætate, qua Christus resurrexit, quæ fuit triginta trium annorum circiter; quia, ut dicit S. Thomas, Deus naturam perfectam reparabit; natura autem deficit in minori et in majori (*Suppl.*, q. 81, vel 83, a. 10). — « Quid ergo de infantibus dicturi sumus, inquit S. Augustinus, nisi quia in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate qua mortui; sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi » (*de Civ. Dei*, lib. 22, c. 14).

4. *De perfectione corporis*, id est, de immunitate a quocumque defectu. — Illud certum est pro Beatis; alioquin non

essent in statu omnium bonorum aggregatione perfecto. Quoad reprobos autem dubitat S. Augustinus; S. Thomas tamen affirmat; quia resurrectio est opus Dei : « Dei autem perfecta sunt opera » (*Suppl.*, q. 81, vel. 83, a. 2). Post resurrectionem manebunt ergo in homine facultates sensuum, visus videlicet, auditus et aliorum; quia id pertinet ad perfectionem naturæ.

In corpore Christi glorioso verisimiliter perseverant aperturæ quinque vulnerum, ut docet S. Chrysostomus; Christus enim dicit Thomæ : « Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; » et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse » incredulus » (*Joan.*, xx, 27). — Probabilius est idem fieri in martyribus; dicit namque S. Augustinus quod in locis vulnerum fulgor quidam lucebit, ita ut ad oculum videri possit in corpore martyris passiones ejus (*de Civit. Dei*, lib. 22, c. 19, n. 3). « Ac sicut corona imperatoria variis lapillis undique decorata fulgores varios emittit, ita et sanctorum martyrum corpora, quasi lapillis pretiosis, vulneribus pro Christo susceptis distincta, omni imperii diademate pretiosiora et venerabiliora videntur » (S. Chrys., Hom. 1, *in SS. Machab.*, n. 1).

211. Quæritur 2. *Quænam erunt dotes corporum gloriosorum?*

Resp. Quatuor numerari solent, nempe : impassibilitas, claritas, agilitas et subtilitas, quæ ex D. Paulo eruuntur (I *Cor.*, xv, 42), ideoque vocantur *dotes*, quia, uti jam diximus de dotibus animæ beatæ, sunt veluti ornamenta supernaturalia, quibus Christus Dominus electorum corpora dotabit.

1. *De impassibilitate.* — Hanc sic exprimit S. Joannes : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors » ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit » ultra » (*Apoc.*, xxi, 4).

2. *De claritate.* — « Seminatur in ignobilitate, surget » *in gloria* ». Jam antea dictum fuerat : « *Fulgebunt* justi, et » tanquam *scintillæ* in arundineto discurrent » (*Sap.*, iii, 7). — « Qui docti fuerint, *fulgebunt* quasi *splendor firmamenti* » (*Daniel*, xii, 3). — « Justi *fulgebunt sicut sol* in regno Patris » eorum » (*Matth.*, xiii, 43). Non tamen eadem erit corporum claritas, sed singulorum meritis adæquata : « Alia claritas so-

» lis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim » a stella differt in claritate : *sic et resurrectio mortuorum* » (I *Cor.*, xv, 41).

3. *De agilitate.* — « Seminatur in infirmitate, *surget in vir-* » *tute.* » Hæc autem proprietas, juxta theologorum placita, in eo consistit, quod corpus beatum possit statim transferri de loco in locum, ad nutum animæ ut indicant ista Apostoli verba : « Simul rapiemur.... in nubibus obviam Christo in aera. »

4. *De subtilitate.* — « Seminatur corpus animale, *surget* » *corpus spiritale.* » Ob istam subtilitatem non indigent Beati potu, vel cibo, vel somno, sed eorum corpus erit spirituum instar, et tantæ tenuitatis ut possit cætera corpora penetrare; ita Christus, januis clausis, apparuit discipulis suis et stetit in medio eorum (*Joan.*, xx, 19), sicut natus erat de B. Maria, illæsa ejus virginitate, atque exierat de sepulchro nondum reserato.

212. Scholium. Expendunt nonnulli utrum corporis resurrectio in statu naturæ puræ admittenda foret. De quo duplex sententia. — Prima est eorum, qui negant in hoc statu fore resurrectionem corporum, hac potissimum innixi ratione, quod a statu naturæ puræ excluditur quidquid supernaturale est. Non tamen eodem modo explicant, qua ratione, in eodem statu, ad perfectam beatitudinem naturalem homo pervenire posset; alii nempe asserunt justos illius status beatificandos non morituros fore, non quod dono immortalitatis intrinsece donarentur, sed quia, post requisitam virtutis et meritorum naturalium mensuram, Deus illos in corpore et anima vivos transferret in locum beatitudinis a se præparatum, ibique vitam ipsorum in perpetuum servaret, communicatis tam naturæ quam corporis dotibus tali beatitudini proportionatis; in quo nihil est quod ex hac parte repugnet. Alii vero concedunt hominem in hoc statu, quando ad terminum perveniret, privatum fore aliqua perfectione accidentaria beatitudini, nempe consortio et beatitudine corporis; sed nihilominus ipsum essentialiter beatum esse posse, sicut Sancti nunc sunt beati ante resurrectionem. Neque anima ullam violentiam aut pœ-

nam pateretur ex privatione corporis, quia illam non appeteret; nec mirum, siquidem status separationis est illi connaturalis, sicut status unionis.

Secunda sententia affirmat resurrectionem admitti posse in statu naturæ puræ, ratio est quia beatitudo est perfectio hominis; anima autem sine corpore non est homo. Neque obstat quod resurrectio sit supernaturalis; est enim supernaturalis, quoad modum, non quoad terminum (Cf. Billuart, *de Gratia*, diss. 2, art. 2, obj. 1).

§ II. De extremo judicio.

213. Mortuorum resurrectionem subsequetur extremum judicium, quod et *generale* dicitur, quippe cui Angeli simul et homines subjacere debent, in eoque publice expendendæ sunt omnes actiones bonæ et malæ præmio vel pœna dignæ. Unde judicium illud a judicio particulari dupliciter differt, ratione scilicet solemnitatis et extensionis; nec mirum quod maximo apparatu et in his circumstantiis fieri debeat, quæ gravitati causæ discutiendæ, majestati judicis, multiplicique fini a Deo intento respondeant.

Hoc autem judicium universale futurum esse antiquitus negaverunt plures sectæ gnosticæ, et in medio ævo Cathari et Albigenses. Protestantes illud quidem dogma retinuerunt; sed cum plurimi hodie in rationalismum impegerint, non raro inveniuntur qui cum rationalistis sentiunt nullum futurum esse judicium universale, ea nempe ratione, quod plura involvat quæ rationem superant; nec desunt illis frivolæ objectiones. — Adversus illos igitur sit sequens

214. Assertio : *Post resurrectionem universale judicium exercebitur in omnes homines.*

Est de fide, ut constat ex omnibus symbolis, præsertim ex symbolo Athanasiano : « Ad cujus (Christi judicis) adventum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et *reddituri sunt de factis propriis rationem.* » — Probatur vero

1. *Scriptura Sacra.* Plurimi afferri possent sacrarum Litterarum textus : sed duos tantum proferre satis erit, qui rem omnino evincunt. Legitur enim (*Matth.*, xxv, 31) : « Cum venerit

» Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, » tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabun- » tur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut » pastor segregat oves ab hædis. » Item (*Apoc.*, xx, 12) : « Et » vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, » et libri aperti sunt et judicati sunt mortui ex his quæ scripta » erant in libris, secundum opera ipsorum. » Hæc clara sunt nec necesse est ut instituatur argumentum, quo vis eorum demonstrativa magis declaretur (Cf. etiam *Ps.* xcv, 12; xcvii, 9; *Isai.*, xiii, 9, etc.; *Dan.*, vii, 9, etc.; *Joel.*, ii, 1, etc.; 10, etc.; 30; *Sophon.*, i, 14).

2. *Traditione.* Omnes Patres certatim extollunt magnum istud spectaculum, in quo divinæ providentiæ ordo quasi tela evolvetur atque expandetur; impiorum occultæ machinationes et artes, justorum autem afflictiones et ærumnæ in apertam prodibunt lucem; intimi denique cordium recessus omnium oculis patebunt : spectaculum profecto, quo nullum grandius ac Deo dignius excogitari potest.

3. *Variis congruentiis*; ratio enim has judicii universalis congruentias suggerit, videlicet : — 1. *gloriam Dei*, infinitas suas perfectiones, quas multi recte cognoscere et digne æstimare recusarunt, omnibus hominibus clarissime manifestantis : — 2. *gloriam Christi*, qui in primo suo adventu pauper, humilis, despectus, opprobriisque saturatus, in hoc altero adventu extremæ diei splendore inexplicabili refulgens summaque circumdatus majestate, omnes ad suum tribunal citabit gentes ut ei de propriis actibus rationem reddant, illiusque judicio singuli sese submittant; — 3. *gloriam electorum*, qui Christi vestigia secuti, pauperem, humilem, despectam, ærumnis plenam, injuriis persecutionibusque interdum atrocissimis obnoxiam vitam duxerunt; tunc autem laudem ac præmium ab ipso Christo publice accipient ejusque gloriæ consortes in æternum efficientur; — 4. *confusionem et ignominiam peccatorum*, qui ex simulata virtute lucrum sæpius reportaverunt, innumera peccata interna occultaverunt, scelera admiserunt, nec semel tamen innocentes, justi ac pii reputati sunt; sed patefactis tandem omnibus vel occultissimis peccatis

et operibus, coram omnibus pudore suffundentur intolerabili, divinorumque decretorum conscii exclamabunt (*Ps.* CXVIII, 137) : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum! » — 5. *perfectam retributionem* pro fructibus sive bonis sive malis, qui ex elicitis in vita actibus postea promanarunt, homines siquidem vitam suam et actiones continuare censentur in his quos exemplis ædificaverunt vel scandalis offenderunt; — 6. *moralitatem* denique per expectationem ultimi judicii promovendam; justi enim ex illa expectatione recreantur et ad perseverandum in bono excitantur : peccatores vero metu concussi ad meliorem frugem revocantur. Unde optimum est tremendum illud judicium interdum hominibus annuntiari : ita egit Christus; ita etiam se gesserunt Apostoli et apostolici viri. Ergo.

Dicitur in assertione : *In omnes homines;* non tamen eodem modo omnes judicabuntur. — Alii enim judicio tantum *retributionis*, non vero *discussionis* subjacebunt. In hoc ordine recensentur : inter electos, ii omnes, quorum sanctitas manifesta erit et conspicua propter observationem consiliorum evangelicorum, vel etiam infantes baptizati, qui candidam vestem a Deo acceptam nulla macula infecerunt; inter reprobos vero, qui propter infidelitatem omne pietatis opus excludentem a Christo alienissimi palam cognoscentur, vel etiam pueri non baptizati, qui licet nihil mali gesserint, nullum tamen bonum opus habent, et peccato originali inquinati remanent. — Verum autem alii omnes judicio *discussionis* simul et *retributionis* obnoxii erunt; ex electis nempe, qui vitæ maculas sincera et constanti pœnitentia abstergere conati sunt; ex reprobis vero, qui, fide Christi suscepta, non secundum eam vixerunt neque peccata sua pœnitentia diluerunt. Quidquid sit, nulla erit retributio, quin cujusque opera sibi et aliis manifestentur, ut constabit ex mox dicendis.

Ex his patet etiam quonam sensu angeli sive boni sive mali cum hominibus judicandi sint. Id sic explanat S. Thomas (*Suppl.*, q. 89, a. 8) : « Judicium *discussionis* nullo modo habet locum neque in bonis angelis, neque in malis : quia neque in bonis potest aliquid mali inveniri, neque in malis aliquid boni

ad judicium pertinens. Sed si loquamur de judicio *retributionis*, sic est distinguenda duplex retributio; una respondens propriis meritis Angelorum, et hæc a principio fuit utrisque facta; dum quidam in beatitudinem sublimati sunt, quidam vero in miseriam demersi. Alia retributio est, quæ respondet meritis bonis vel malis per Angelos procuratis; et hæc retributio in futuro judicio fiet, quia boni Angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum, quos ad meritum induxerunt, et mali amplius torquebuntur multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala incitati sunt. Unde *directe* judicium, neque ex parte judicantium, neque ex parte judicandorum, erit Angelorum, sed hominum; at *indirecte* quodammodo respiciet Angelos, in quantum actibus hominum fuerunt commixti. » Quod autem dixit Apostolus (I *Cor.*, VI, 3): « Nescitis quoniam Angelos ju- » dicabimus, » intelligendum est, pergit S. Doctor, « de judicio comparationis, quia quidam homines quibusdam Angelis superiores invenientur. » Sic etiam intelligitur prævaricatores Angelos (II *Petr.*, II, 4) *in judicium reservari*.

215. Quæritur 1. *Quis erit apparatus judicialis?*

Resp. Ex *S. Matthæo* (XXIV et XXV) aliisque collatis Scripturæ locis theologi statuunt octo sequentia: — 1. Omnes homines, tam mali quam boni, ministerio Angelorum ad locum judicii deducentur. — 2. Apparebit in cœlo signum Christi, id est, signum crucis splendidum, quod tanquam regium vexillum ante ipsum deferent Angeli, totoque judicii tempore omnium conspectui elatum tenebunt. — 3. Apparebit Christus in nube levi ob ejus corporis fulgorem lucidissima, tanquam triumphali cursu invectus, exhilarando electos, terrendo reprobos. — 4. Omnes Angeli eum comitabuntur, probabiliter in assumptis corporibus pulcherrimis et lucidissimis, sicut tempore Resurrectionis et Ascensionis Christi apparuerunt. — 5. In throno, id est, non tantum in spirituali divinæ majestatis throno, sed etiam probabilius in throno sensibili corporaliter sedens, ad judicium descendet Christus. — 6. Hanc judicis majestatem omnes aspicient, boni cum gaudio, mali cum tremore, juxta (*Apoc.*, I, 7) illud verbum: « Videbit eum omnis oculus, et » qui eum pupugerunt. » Videbunt illum quoque dæmones,

eodem coacti, ut omne tunc genu Christo flectatur. — 7. Separabit bonos a malis, ministerio Angelorum; collocabuntur mali a judicis sinistra, probabilius sensu proprio intelligenda; boni autem a dextra, aliquanto sublimiores, juxta Christum, in aere. — 8. Cum Christo judice judicabunt quidam homines. Id autem triplici modo fieri poterit, scilicet :

Comparative, id est, eo modo, quo non tantum boni malos, sed etiam mali judicabunt pejores, ostendendo alios, comparatione sui, majori pœna esse dignos; et ita Ninivitæ et regina Austri apud S. Matthæum dicuntur judicaturi et condemnaturi Judæos.

Interpretative, approbando judicis sententiam eamque ut justam venerando, et ita omnes justi judicabunt, juxta illud (I *Cor.*, VI, 2) : « An nescitis quoniam sancti de hoc mundo » judicabunt? » Vel etiam (*Jud.*, 14) : « Ecce venit Dominus » in Sanctis millibus facere judicium. »

Formaliter, id est, ut judices et assessores Christi, non tantum judicis sententiam approbantes, sed eam etiam in judicatorum notitiam ex officio deducentes. Hac ratione judicabunt Apostoli, et quicumque cum Apostolis sua reliquerunt, ut Christum sequerentur, juxta verbum Domini (*Matth.*, XIX, 28) : « Vos qui secuti estis me... sedebitis et vos super sedes duo» decim, judicantes duodecim tribus Israel » (Cf. Schouppe, *Tract. de Novissim.*, cap. 3, a. 3).

216. Quæritur 2. *Quid de inquisitione et manifestatione causæ tenendum sit?*

Resp. Nomine causæ intelligitur ipsa materia, circa quam judicium versatur : quæ porro in ultimo judicio quam latissime patebit; complectetur enim opera cujusque, sive bona, sive mala, nec non talenta et gratias acceptas. — Causæ autem hujusmodi inquisitio fiet non indiciorum vel testium ope, ut accidit in judiciis humanis, sed illuminatione quadam interna, quæ in instanti cuilibet omnia vitæ gesta cum omnibus circumstantiis ad apicem ante oculos exponet. Nec enim Deum latere quidquam potest, nec ipsi difficile est præterita in memoriam revocare. Quod ergo dicitur de libris aperiendis, ex quibus judicandi sunt homines (*Apoc.*, XX, 12), non de libris materia-

libus intelligendum est, sed de conscientia singulorum, in qua tam jura quam facta reperientur conscripta, juxta illud (*Sap.*, I, 9): « In cogitatione impii interrogatio erit. »

Non absimilis erit causæ manifestatio ac discussio, ad quam referuntur accusatio, defensio et testificatio : hæc omnia quippe per eamdem illuminationem internam peragentur, quatenus scilicet non proprios tantum actus cuique Deus manifestabit, sed etiam aliorum omnium vel occultissimas cogitationes; et sic omnia quæ gesta vel excogitata unquam sunt, ad notitiam publicam deducet, juxta illud (*Matth.*, X, 26): « Nihil est » opertum, quod non revelabitur et occultum quod non scie» tur. » Cum enim veniet Dominus (I *Cor.*, IV, 5) « illuminabit » abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium. » Quod et librorum apertio significat, quæ ideo in forensibus fit, ut actus legantur palam, et omnibus, qui interfuerunt, innotescant. Unde clare ac perfecte patebit justitia Dei; os omne obstruetur, nec erit quod quidquam ullus judici reponere possit, « testimonium reddente illis, inquit Apostolus (*Rom.*, II, 15), » conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accu» santibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus » occulta hominum. »

217. Quæritur 3. *Quænam sententia proferenda sit in extremo judicio?*

Resp. Manifestationem ac discussionem causæ subsequetur sententia, per quam ita consummatur judicium, ut in ea merito consistere dicatur. Jam vero, juxta probatissimos auctores ac Scripturæ Sacræ interpretes, divinus judex mentali primum voce bonos laudabit, malos vero vituperabit, dicens : « *Esurivi enim*, » etc., et similiter utrique mentali voce respondebunt : « *Domine, quando te vidimus esurientem*, » et alia, quæ ibidem (*Matth.*, XXV, 34-45) leguntur. Ultimam deinde voce sensibili proferet sententiam ; conversus quippe ad omnes electos, suavissime dicet : « Venite, benedicti Patris mei, possidete » paratum vobis regnum a constitutione mundi; » ad reprobos vero severa voce : « Discedite a me, maledicti, in ignem æter» num, qui paratus est diabolo et Angelis ejus. » Tunc, aperta statim terra, damnati absorbebuntur, et, patescente cœlo,

Beati cum Christo ascendent in æternum regnaturi (Cf. Schouppe, *loc. cit.*).

218. Scholium. *De loco et tempore extremi judicii.*

I. Quod ad *locum* attinet, assignari videtur, dum (*Joel*, III, 12) dicitur : « Consurgant et ascendant gentes in vallem Josa-» phat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. » Sed quia, juxta chaldaicam interpretationem, *Josaphat* significare videtur *discretionem judicii*, non desunt qui his verbis designari autumant quemlibet locum, in quo judicium habebitur. Communior tamen sententia tenet vere celebrandum esse universale judicium in valle Josaphat, quæ, teste S. Hieronymo, non procul a Jerusalem, ad pedem montis Olivarum, et ad Orientalem plagam templi Hierosolymitani sita est. Ita insignis ille Scripturæ interpres, S. Thomas et cæteri Doctores, necnon pervulgata ab antiquissimis temporibus traditio, quæ ex multis documentis constat, præsertimque ex canone 30 Concilii Nicæni locum judicii prope Jerusalem esse declarantis. Confirmat etiam ratio conveniens esse dictans ibi judicium exerceri, ubi Christus crucifixus est a Judæis et ad cœlos ascendit. Nec dicatur angustiorem esse locum; nam in vaticinio Joël supra citato non exprimitur judicandos omnes concludendos esse intra terminos vallis Josaphat, sed ibi sessurum esse Christum, ut judicet omnes gentes, quæ in *circuitu* erunt, ipsumque in aere præeminentem miroque refulgentem splendore a longe aspicient. Insuper electi omnes in aere prope Christum sublimes stabunt; humi vero reprobi prostrati jacebunt.

II. *Quoad autem judicii tempus*, hoc latere nos Deus voluit, ut expresse testatur Christus (*Marc.*, XIII, 32) : « De die autem » illa et hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, » nisi Pater. » Certum quidem est multa signa extremum judicium præcessura esse, quæ in Evangeliis vel Epistolis legere cuique datur : sed ea insufficientia esse ut tempus determinate agnosci possit, longo rerum experimento constat; nam ea quæ prænuntiantur vicinum Christi adventum præcessura, etiam a tempore primitivæ Ecclesiæ, pluries visa sunt etiam sanctis doctoribus evenisse; et semper inanes compertæ sunt

hujusmodi conjecturæ. Unde Leo X in Concilio Lateran. V (*sess.* XI) expresse prohibuit, ne quisquam de his rebus aliquod pro certo asserere auderet.

Quamdiu autem duraturum sit ultimum judicium plane incertum est. S. Augustinus (*de Civit. Dei*, l. 20, c. 1) ait : « Per quot dies hoc judicium tendatur, incertum est; sed Scripturarum more sanctarum, diem poni solere pro tempore, nemo qui illas litteras quamlibet negligenter legerit, nescit. » Addit autem Suarez (in III p. disp. 57, sect. 10) : « Est versimile nec duraturam tantum per instans, nec magna temporis mora, quæ non erit Christo necessaria ad convincendas singulorum conscientias et sententiam proferendam (Cf. S. Thomas, *Suppl.*, q. 88, a. 3 ; Knoll, Jungmann, Mazella).

§ III. De mundi consummatione.

219. — I. De mundi conflagratione. Certum omnino est per ignem destruendum esse mundum hunc visibilem. — Hoc nempe constat

1. *Scriptura Sacra*, quæ (*Ps.* XCVI, 3, etc.) judicis divini adventum sic describit : « *Ignis* ante ipsum præcedet et » *inflammabit* in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus » orbi terræ : vidit et *commota est terra. Montes sicut cera* » *fluxerunt* a facie Domini, a facie Domini omnis terra. » Item (*Joel*, II, 3) : » Ante faciem ejus *ignis vorans*, et post eum » *exurens flamma.* » Nec minus explicite ait B. Petrus (II *Ep.*, III, 7, etc.) : « Cœli autem qui nunc sunt et terra eodem verbo » repositi sunt, *igni reservati* in diem judicii, et perditionis » impiorum hominum... Adveniet autem dies Domini sicut » fur; in quo cœli magno impetu transient, *elementa* vero » *calore solventur* ; *terra* autem *et quæ in ipsa sunt opera exu-* » *rentur.* »

2. *Traditione*, quam sic enuntiat Estius (lib. 4 *Sent.*, dist. 47, § 14) : « Quod ad Ecclesiasticam traditionem attinet, in antiquissimis Ecclesiæ cæremoniis circa baptismum et alia quædam sacramenta, Christus dicitur « judicaturus vivos, et mortuos, et sæculum *per ignem...* » Suffragantur unanimiter Patres ac Doctores.

220. — II. De mundi innovatione et clarificatione. Etsi igne comburendus sit, mundus tamen per ultimam conflagrationem non annihilabitur, cum Ecclesiastes (III, 14) dicat : « Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, *perseverant* » *in perpetuum* ; » sed immutabitur in melius. Unde quemadmodum pro homine mors est præludium gloriosæ resurrectionis, ita et pro mundo conflagratio præludium erit melioris transfigurationis.

Hæc autem mundi innovatio et clarificatio colligitur

1. *Ex Scriptura Sacra*; Deus enim ipse per Isaiam (LXVI, 17) dicit : « Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam; » et non erunt in memoria priora, et non ascendent super » cor. » Quæ quidem non de restauratione Judæorum, sed de mundi innovatione intelligenda esse testatur, cum, post assertam mundi conflagrationem, B. Petrus (II *Ep.*, III, 12, etc.) ait : « Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa » ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. » Nec minus vide S. Paulus (*Rom.*, VIII, 19-21) loquitur : « Nam expectatio » creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim » subjecta est creatura non volens : sed propter eum, qui sub» jecit eam in spe : quia et ipsa creatura liberabitur a servi» tute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus » enim quod creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. » Quibus verbis perbelle exprimit Apostolus creaturas materiales maledictione peccati veluti affectas in consortium glorificationis corporalis electorum vocari, eamque ardentissime appetere, haud secus ac servus aut mulier parturiens liberationem expectat.

2. *Ex SS. Patribus*, qui textus Scripturæ supra citatos in eodem sensu ac nos intelligunt et interpretantur. Audiatur pro omnibus S. Gregorius Naz. (*Orat.* 10) : « Expectabo, inquit, Archangeli vocem, extremam tubam, cœli transformationem, terræ immutationem, elementorum libertatem, totius mundi renovationem. »

3. *Ratione*, quæ et ipsa fide innixa innuit non interituram, sed clarificandam esse terram, quam Verbum caro factum inhabitavit, effusione sui sanguinis consecravit, cujusque ele-

menta adhibuit ad sanctificandos electos, imo in proprio suo corpore divinæ naturæ consortia effecit. Et vero si annihilaretur mundus, nonne periret monumentum potentiæ et sapientiæ creatricis, instrumentum quo electi usi sunt ut consequerentur gloriam, scabellum pedum Dei, et pars solida ac veluti necessaria regni illius, quod paravit Deus sanctis suis a constitutione mundi, juxta illud Apostoli (I *Cor.*, III, 23) : « Omnia vestra » sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. »

Ex his colligere est mundum hunc visibilem permansurum esse quoad *substantiam*, sed quoad *accidentalia* eo modo renovandum ac perficiendum esse, quo meliorem proportionem habeat cum statu hominum, qui et ipsi in carne erunt renovati, et ita gloriam Dei atque Christi ejus splendidius manifestet : quemadmodum enim gloria corporalis a Christi corpore glorificato in sanctorum corpore redundabit, ita et per immensam irradiationem ad materiales creaturas pertingat necesse est.

Non consentiunt tamen theologi circa tempus, quo conflagratio et innovatio mundi continget. Alii cum S. Thoma mundum ante judicium extremum comburendum innovandumque esse asserunt; alii cum S. Augustino et Bonaventura post judicium utrumque peragendum esse existimant; alii demum recentiores incendii generalis initium ante judicium reponunt, et sic explicant Scripturæ Sacræ textus, qui supremum judicem igne præcedi asserunt ad vindictam primam contra malos in terra degentes justorumque purgationem; post judicium vero dicunt complendam esse mundi exustionem et innovationem; quam idcirco reprobis cernere non dabitur.

221. — III. De usu speciali mundi innovati. Sunt qui existimant terram hanc clarificatam præcipuam fore beatorum habitationem, non tamen exclusivo modo : eamque sententiam ex Apocalypsi (XXI, 1, 2) colligi posse credunt : « Et vidi cœlum » novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra » abiit, et mare jam non est. Et ego Joannes vidi sanctam ci» vitatem, Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, » paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem » magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum

» hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, » et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. »

Hæc tamen sententia probanda non videtur. Verba enim Apocalypsis invocata mere sub quadam imagine exhibent conjunctionem hominum justorum in novissimo tempore viventium cum civibus cœlestis Jerusalem, nec ulterius urgeri posse videtur illa descriptio. Præterea, cum cœlum unice non contineatur statu glorioso, sed certus sit locus, quem cœlum empyreum dicunt, in quo Angeli et sancti etiam nunc cum Christo degunt ac regnant, non est quod supponamus alium substituendum vel cohabitandum fore locum post mundi innovationem.

Rectius igitur dicitur, post consummationem sæculi, totum universum ad regnum Christi gloriosum pertinere; nec immerito, siquidem « terra, pontus, astra, mundus, *sanguinis ejus lavantur flumine.* » Cum vero sancti hujusce regni consortes futuri sint, juxta illud (*Apoc.*, v, 10) : « Fecisti nos Deo nostro » regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram, » manifeste consequitur nihil in mundo innovato alienum fore a Christo Redemptore et sanctis ejus, sed omnes partes illius penes ipsos esse ac veluti appendicem eorum regni se habere.

APPENDIX.

De divinis decretis circa futuram hominis vitam.

222. Tria nos edocet divina revelatio de decretis, quibus Deus æternam hominum sortem intendit, nempe : — 1. Deum velle sincera voluntate omnes homines salvos fieri; — 2. Ipsum decrevisse nonnullos æternis præmiis remunerandos esse; — 3. Eumdem ab æterno etiam statuisse alios æternis suppliciis afficiendos fore. Primum pertinet ad *voluntatem* Dei, quæ nuncupari solet *salvifica;* secundum appellatur *prædestinatio;* tertium denique *reprobatio.* De his pauca dicenda sunt ut compleantur quæ ad hominem spectant.

§ I. De voluntate Dei salvifica.

223. Divinæ voluntatis præcipuæ divisiones. Ut recte intelligatur quæstio nunc solvenda, observandum ducimus Dei

voluntatem ratione rei volitæ et etiam pro diverso modo, quo in objectum tendit, esse virtualiter multiplicem, seu plures habere actus virtualiter distinctos.

Et quidem dividitur primo in voluntatem *beneplaciti* et voluntatem *signi;* prior est ipse actus divinæ voluntatis; unde est proprie et formaliter in Deo. — Posterior est aliquid exterius, quod solet inter nos esse signum quod volumus aliquid, nec nisi metaphorice dicitur voluntas, sumpto nempe signo seu effectu voluntatis pro ipsa voluntate.

Rursus voluntas beneplaciti dividitur in *antecedentem* et *consequentem. Antecedens* nimirum dicitur a Thomistis, quatenus fertur in objectum secundum se consideratum et præcisum a circumstantiis; *consequens,* quatenus fertur in objectum vestitum omnibus suis circumstantiis (Cf. Billuart, *de Deo,* diss. 7, a. 5). — Juxta vero Molinistas *antecedens* voluntas ea est, quæ antecedit prævisionem consensus nostri; *consequens* autem ea, quæ dictam prævisionem sequitur.

Altera demum divisio est divinæ voluntatis in *absolutam* et *conditionatam*; prior est illa, quæ nullam involvit conditionem ex parte objecti, seu quæ a nulla conditione pendet. Posterior est illa, quæ aliquam conditionem includit ex parte objecti, seu est illa, quæ ab aliqua conditione pendet. Hæc autem divisio vix differt a præcedenti, siquidem voluntas consequens non aliud est ac voluntas absoluta, et antecedens in conditionatam recidit.

224. Errores. Circa voluntatem Dei salvificam errarunt — 1. semi-pelagiani, qui ponebant in Deo voluntatem generalem et æqualem salvandi omnes homines, si vellent, ita ut non magis vellet salutem prædestinatorum quam reproborum; — 2. prædestinatiani et nonnulli Calvinistæ docentes Deum nolle omnes homines salvos fieri, sed solos electos; — 3. Jansenius, qui non agnoscit in Deo nisi voluntatem antecedentem salvandi omnes homines ante peccatum originale, sed non, illo supposito; — 4. quidam theologi, quorum alii, ut Vasquesius, fatentes Deum velle voluntate antecedente vera et sincera omnium adultorum salutem, id tamen negandum esse volunt de parvulis, quibus nulla humana industria potest

applicari baptismus, quales sunt ii qui in utero materno moriuntur; alii vero asserunt hanc Dei voluntatem, qua vult omnes homines salvos fieri, non esse voluntatem beneplaciti, sed tantum signi. — At contra hos omnes sequentem assertionem statuimus.

225. Assertio : *Deus, etiam post Adæ lapsum, vult voluntate antecedente vera et sincera omnes omnino homines salvos fieri.*

Assertio est de fide, prout affirmat Deum velle salutem aliorum quam prædestinatorum ; theologice vero certa videtur, quatenus spectat ad omnes omnino homines. Constat quippe

1. *Scriptura Sacra.* Huc potissimum spectat testimonium B. Pauli (I *Tim.*, II, 1 et seq.), quod ita se habet : « Obsecro » igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postu- » lationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc » enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, » qui omnes *homines vult salvos fieri* et ad agnitionem veri- » tatis venire. Unus enim Deus, unus mediator Dei et homi- » num, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semet- » ipsum *pro omnibus.* » Porro hæc verba Apostoli intelligenda sunt. — 1. *de vera et interiori voluntate*, non autem de mera voluntate signi ; ratio est quia, juxta receptam de Scripturarum interpretatione regulam, Scripturæ verba ad sensum improprium et metaphoricum detorqueri non debent, nisi sensus litteralis aliquid contineat quod sit Deo indignum vel fidei bonisque moribus contrarium ; quod quidem hic minime occurrit ; — 2. *de homine lapso ;* Apostolus enim rationem et causam voluntatis Dei pro salute omnium istam reddit : « Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui » dedit redemptionem semetipsum pro multis ; » loquitur ergo de homine peccatore, qui solus redemptore indiget ; — 3. *de omnibus et singulis hominibus*, nullo excepto ; idque evincitur tum ex verbis ipsis Apostoli, quæ gratuito prorsus ad paucos vel plurimos restringerentur ; tum ex rationibus, quas inducit ad probandum Deum velle omnium hominum salutem, nimirum quia *unus est Deus* omnium, et quia Jesus Christus *omnium hominum mediator est, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* : at Deus est omnium hominum,

nemine excepto, creator; Jesus Christus est omnium hominum, nemine excluso, mediator; hic demum mediator Dei et hominum pro omnibus redimendis, nemine excepto, semetipsum obtulit; ergo Deus vult etiam omnes homines salvos fieri, nullo excluso.

Confirmatur Apostoli testimonium ex innumeris prope Scripturarum locis, quæ ex utroque Testamento in medium adduci possent; sic (*Ezech.*, XXXIII, 11) legitur: « Vivo ego, dicit » Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua » et vivat. » Item (*Matth.*, XVIII, 11): « Venit Filius hominis » salvare quod perierat; » et (II *Petr.*, III): « Non vult Deus » aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. » Quæ quidem omnia, nisi illusoria sint, veram ex parte Dei voluntatem salvandi omnes homines supponunt.

2. *Traditione*, cujus testes invocabimus Patres, concilia et fidelium sensum. — Quod ad SS. Patres attinet, Græcos nobis ultro concedit Jansenius, ideoque eos commemorare supervacaneum est. Ex latinis vero satis erit proferre verba S. Augustini et S. Prosperi. Porro hæc habet (l. *de Spiritu et litt.*, c. 33) S. Augustinus: « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et in cognitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. » Nec dicatur cum Jansenio his verbis non doctrinam ipsam Augustini, sed objectionem pelagianam exprimi; nam ex toto contextu patet dicta verba proferri ut modum probabilem explicandi textum Apostoli, nec in illa explicatione quidquam reprehendit. — Non aliud sensit S. Prosper, fidelissimus S. Augustini interpres; quippe qui, in responsione ad secundam objectionem Vicentianam, germanam magistri doctrinam de præsenti controversia sic exponit: « Sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit... ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. »

Idem docuerunt concilia, eaque præsertim, in quibus damnati sunt Pelagianorum aut Prædestinatianorum errores. Citare

sufficiat Concilium Moguntinum anno 848 habitum et concilium Carisiacum an. 849, quod (capitulo III) ita pronuntiat : « Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. »

Accedit demum communis sensus fidelium, qui in ea sunt sententia ac fide, quod Deus velit omnes salvos fieri, et quod ideo Filium suum miserit, juxta illud S. Joannis (III, 16) : « Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret ; » non dicit aliquos ex mundo, sed mundum ipsum, seu omnes homines mundi (Cf. Billuart, *de Deo*, diss. 7, a. 6).

Omittimus brevitatis causa innumera prope theologorum, præsertimque S. Thomæ et S. Bonaventuræ, testimonia, quibus diserte asserunt Deum velle omnes homines salvos fieri (Cf. Lafosse, *de Deo ac divinis attributis*, q. 6, a 4).

3. *Ratione*, seu momentis theologicis. *Primum* petitur ex providentia Dei, cujus est res quaslibet ad fines suos per media idonea dirigere ac perducere. « Hoc quippe, ait S. Thomas (q. 14, *de Verit.*, a. 11), pertinet ad divinam Providentiam, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. » Porro finis omnium hominum est vita æterna ; vult ergo eam largiri, supposita tamen mandatorum suorum per auxilium gratiæ suæ observatione.

Secundum desumitur ex amore, quo Deus res quaslibet a se factas prosequitur : « Diligis omnia quæ sunt, ait Sapiens » (*Sap.*, XI, 25), et nihil odisti eorum quæ fecisti. » Porro, ut observat S Augustinus (*Enarrat. in Psal.* CXXI), « habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis. » Cum ergo Deus præ cæteris creaturis hominem diligat, pro quo Filium suum unigenitum dedit, consequenter, quantum est ex parte sua, ipsius salutem vere ac sincere vult et desiderat.

Tertium ducitur ex firmitate spei christianæ. Scilicet, omnes prorsus homines, sive prædestinati sive reprobi, firmissimam salutis spem in Dei auxilio reponere debent. Porro firmissima non erit spes illa, sed maxime fluctuans, et omnino incerta, si Deus non velit omnes, sed solos prædestinatos salvos fieri, cum nullus certus esse possit an ad prædestinatorum numerum

pertineat. Cf. Lafosse (*loc. cit.*), ubi alia etiam momenta proponuntur.

226. Scholium. Etsi Deus veram sinceramque voluntatem omnes prorsus homines salvandi habeat, certum est tamen ipsum voluntate absoluta et consequente solos electos velle salvos fieri. Ratio est quia voluntas Dei absoluta et consequens semper impletur ac suum finem assequitur, juxta illud Apostoli (*Rom.*, IX, 19) : « Voluntati ejus quis resistit? » Porro soli electi et prædestinati salutem consequuntur. Ergo.

Concludendum est igitur Deum voluntate conditionata omnium omnino hominum salutem velle. At circa conditionem, a qua pendet divina voluntas, gravis occurrit controversia. Juxta Molinistas, voluntas Dei salvifica, prout omnes prorsus homines complectitur, eo sensu conditionata est, quod Deus velit omnes salvos fieri, si ipsi velint, volitione quam expectat ab eorum voluntate libera. Thomistæ vero contendunt voluntatem antecedentem salvandi omnes homines non esse hujusmodi, ut per solum hominem stet gratiæ consentiendo reddere illam ex omni parte efficacem ad salutem de facto consequendam; sed eo sensu conditionatam dici, quod velit Deus omnes homines salvos fieri, si non obstent fines altiores, v. g., bonum generale universi, ordo Providentiæ aliave similia (Cf. Billuart, *loc. cit.*).

In hac tamen controversia discutienda haud immorabimur; ejus siquidem solutio in unam aliamve partem tota pendet ex infra dicendis de predestinationis gratuitate.

§ II. De prædestinatione.

227. Prænotanda. — I. *Prædestinare*, juxta vim nominis, non aliud est quam rem aliquam decernere, antequam fiat : unde aliquando sumitur in malam partem, sicut et in bonam. Communius tamen prædestinatio, apud Scripturam, Patres et theologos, accipitur pro electione et divina ordinatione aliquorum ad gratiam et gloriam; atque hoc sensu definitur a S. Augustino (lib. *de dono persev.*, c. 14) : « *Præscientia est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*; » et a S. Thoma (1, q. 64, a. 2) : « *Ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente divina existens.* » Po-

test etiam definiri et revera ab aliis definitur : « *Æternum decretum, quo Deus efficaciter providet quibusdam de gratiis largiendis in hac vita et de assecutione regni cœlorum in altera.* » Ex quibus patet prædestinationem habendam esse veluti divinæ providentiæ partem, quæ quidem considerari potest vel *adæquate*, prout respicit simul gratiam et gloriam, medium scilicet et finem ; vel *inadæquate*, prout spectat sive ad gratiam solam, sive ad solam gloriam. Hic autem de prædestinatione, prout gloriam respicit, potissimum agitur.

228. — II. Admittendam esse divinam prædestinationem, qua Deus aliquos præ aliis ad vitam æternam, et quidem certissime quoad effectus consecutionem dirigit, omnino constat. Legitur enim (*Eph.*, I, 5) : « *Prædestinavit* nos in adoptionem » filiorum per Jesum Christum; » et (*Rom.*, VIII, 30) : « Quos » autem *præscivit, hos et vocavit* : et *quos vocavit, hos* et *justi*» *ficavit... illos* et *glorificavit.* » — « *Prædestinationem* Dei nullus catholicus negat, » dicit S. Prosper (*in resp. ad object. Gallorum*). — Et revera Deus nihil in tempore facit, quod ab æterno non determinaverit : atqui de fide est Deum quibusdam potiusquam aliis gratiam et gloriam largiri. Ergo.

Quod autem hujusmodi prædestinatio certa et infallibilis sit quoad sui effectus consecutionem, patet etiam — tum ex *Scriptura*, dicente S. Joanne (VI, 39) : « Hæc est voluntas ejus qui » misit me Patris, ut *omne quod dedit mihi non perdam ex eo ;* » et (X, 28) : « Non rapiet eas (oves meas, seu prædestinatos) » quisquam de manu mea ; » — tum ex S. Augustino, qui (*de Corrept. et gratia*, c. 7) hæc de electis asserit : « Horum si quisquam perit, fallitur Deus ; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus ; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus ; » — tum ex ipsa definitione prædestinationis supra relata. Adde prædestinationem procedere ex voluntate Dei consequente, cui nemo resistit.

229. — III. Præcipuum igitur præsentis quæstionis caput est de causa prædestinationis, non physica, siquidem nulla est causa decretorum divinorum, sed morali, seu meritoria. Jam vero probabimus in Tractatu *de Gratia*, primam gratiam esse

omnino gratuitam, nec meriti objectum esse; itemque perseverantiam finalem, prout importat conjunctionem mortis cum statu gratiæ habitualis esse peculiari modo objectum gratuitæ prædestinationis. — Constat aliunde gloriam ipsam, seu vitam æternam, adultis non concedi nisi propter eorum merita supernaturalia; fides enim catholica docet Deum ab æterno decrevisse gloriam conferri tanquam mercedem et præmium, ac proinde ob bona opera et merita. — Quæstio est itaque an Deus decretum suum absolutum et determinatum de quorumdam prædestinatione ad gloriam, ex solo erga eos beneplacito et antecedenter ad eorum merita prævisa, vel consequenter ad eorumdem meritorum supernaturalium prævisionem protulerit. Porro hac de re duæ sunt præcipuæ opiniones.

Prima est Thomistarum, qui docent prædestinationem ad gloriam esse omnino gratuitam, omniumque meritorum prævisionem antecedere. Unde, juxta illos, hic est divinorum decretorum ordo: — 1. Deus creaturas omnes rationales ordinat ad æternam felicitatem eisque ad hunc finem obtinendum media vere sufficientia præparat; — 2. decreto absoluto et efficaci quosdam præ aliis eligit, et est decretum, quod vocant *intentionis*; — 3. electis decernit media per se efficacia, in quibus certo videt eorum bona opera futura et perseverantiam finalem; — 4. per decretum *executionis* statuit illis gloriam velut meritorum mercedem conferre.

Huic sententiæ aliquatenus suffragantur post Suaresium plurimi congruistæ, qui tamen, etsi fateantur electionem et discretionem salvandorum fieri ex gratuita Dei voluntate, dicunt Deum prius decernere gratiam seu merita, et eorum intuitu gloriam.

Secunda sententia est Molinistarum, qui asserunt prædestinationem ad gloriam fieri ex prævisis meritis, sicque divina decreta ordinare solent: — 1. Deus vult voluntate antecedenti, vera et sincera omnes homines salvos fieri, ita ut ex sola eorum voluntate pendeat, ut divina voluntas suum effectum consequatur; — 2. ex speciali prædilectione aliquibus destinat gratias efficaces, quas certissime scit habituras effectum suum; — 3. posita hac meritorum prævisione eisdem gloriam decernit.

His præmissis, utriusque sententiæ argumenta seorsim exponenda ducimus : quæ quidem depromuntur sive ex Scriptura Sacra, sive ex SS. Patribus, sive ex ratione.

I. *Exponuntur momenta primæ sententiæ.*

230. I. *Ex Scriptura Sacra.* Legitur (*Act.*, XIII, 48) : « Crediderunt quotquot erant *præordinati ad vitam æternam.* » (*Rom.*, VIII, 30) : « Quos *prædestinavit, hos et vocavit;* et quos » vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et » glorificavit » — (*Rom.*, IX, 11) : « Cum enim nondum nati » fuissent (Jacob et Esau), aut aliquid boni egissent, aut mali, » (ut secundum electionem propositum Dei maneret), *non ex* » *operibus, sed ex vocante* dictum est ei : quia major serviet » minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio » habui... Igitur *non volentis, neque currentis*, sed *miserentis* » *est Dei.* Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum » excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam. An non habet » potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem » vas in honorem, aliud vero in contumeliam? — (*Eph.*, I, 4) : » *Elegit nos... ante mundi constitutionem*, ut essemus sancti et » immaculati in conspectu ejus in caritate. » Unde sic : Ex illis textibus nonnisi post prædestinationem veniunt fides, justificatio, glorificatio; fit electio antequam aliquid boni aut mali actum fuerit, ante omnem mundi constitutionem; atqui in his omnibus sita est prædestinatio ante prævisa merita; ergo ista prædestinatio est admittenda.

231. — II. *Ex. SS. Patribus.* S. Augustinus (lib. *de Grat. et lib. arb.*, c. 9, n. 21) ait : » Apostolus maluit dicere : gratia autem Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus, *non pro meritis nostris* Deum nos ad vitam æternam, sed *pro sua miseratione*, perducere. » — S. Fulgentius (lib. *de Fide ad Pet.*, c. 3) : « Illi cum Christo regnabunt, quos Deus *gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum.* » — Confirmat S. Thomas (1, q. 23, a. 5, ad 3) dicens : « Quare hos elegit ad gloriam... *non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* »

233. — III. *Ex ratione.* Etenim — 1. qui ordinate vult, prius vult finem quam media; atqui gloria est finis, et merita sunt

media ad illam; ergo Deus prius præscivit gloriam quam merita. — 2. Deus prius vult absolute dare gratias efficaces, et antequam viderit opera meritoria, cum gratia sit principium operis meritorii; sed volendo absolute dare gratias efficaces, vult absolute dare gloriam; ergo vult absolute dare gloriam ante merita prævisa. — 3. Idem est prædestinari ad gloriam et prædestinari ad gratiam finalem, cui debetur gloria : atqui electi gratis prædestinantur ad gratiam finalem; ergo et ad gloriam.

II. *Exponuntur momenta secundæ sententiæ.*

234. — I. *Ex Scriptura.* Legitur (*Matth.*, xxv, 34) : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum » a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere. » — (I *Cor.*, II, 9) : « Oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, » quæ *præparavit Deus iis qui diligunt illum.* » — (*Jacob.*, II, 5) : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in » fide, et hæredes regni, *quod repromisit Deus diligentibus se?* » — (II *Petr.*, I, 10) : « Quapropter, fratres, magis satagite ut » per bona opera certam vestram vocationem et electionem » faciatis. » Unde sic : Ex his textibus cœlum datur ob merita, præparantur bona diligentibus, et bona opera certam faciunt vocationem et electionem; atqui hæc soli conveniunt prædestinationi post prævisa merita; ergo admittenda est.

235. — II. *Ex SS. Patribus.* Origenes ait : « Deus cognoscens præsentia, præsciens vero futura, et *quos ita prænovit* (se totos virtuti daturos) *futuros conformes imagini Filii sui* prædestinavit. » (In c. 1, *Epist. ad Romanos*). — S. Ambrosius, illud Matth. (xx, 23) exponens : « *Non est meum dare...*, » ait : « Non enim ante prædestinavit, quam præsciret, sed *quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit* » (lib. 5, c. 6, vel n. 83, *de Fide*). — S. Chrysostomus hunc locum (*Matt.*, xxv, 34) : « *Venite benedicti*, » exponens, ait : « Antequam nati essetis, *quia sciebam vos hujusmodi esse futuros*, hæc vobis a me præparata fuere » (*Hom.* 80, n. 2). — S. Prosper de reprobis ait : « Quia illos restituros propria ipsorum voluntate præscivit, et ob hoc a filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit »

(Resp. 7, ad obj. Gal.). — Ita valde explicite S. Franciscus Salesius (in epistola ad Lessium), in qua hanc sententiam vocat veriorem, amabiliorem et Scripturæ conformiorem (Vide Feller, art. *Lessius*).

236. — III. *Ex ratione;* namque — **1.** Deus vult salutem omnium : atqui hæc voluntas Dei non videtur posse stare cum systemate prædestinationis antecedentis ; etenim illa tam pia, tam benigna voluntas omnes salvandi, nequit esse voluntas prorsus inutilis, sterilis et illusoria : porro istius modi esset, si occulto mysterio et absoluto decreto Deus quosdam tantum vult salvare independenter ab eorum prævisis meritis.

2. Posita prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita, Deus illudit reprobis, et vana eos spe lactat, dum ipsis promittit gloriam, quam eis nunquam concedet, cum in suo decreto absoluto circa gloriam, ante prævisa merita, non contineantur. Illudit etiam electis, et vano metu eos terret, dum minatur se illos exclusurum a regno, ad quod tamen decreto suo absoluto pervenire debent.

3. Prædestinatio absoluta, certa et infallibilis ad gloriam ante prævisa merita antecedit libertatem, et includit necessitatem bonorum operum, sine quibus prædestinatio esse nequit : nam, si hæc committerentur libero arbitrio, possent deficere per arbitrii libertatem ; ergo tollitur hominis libertas.

237. Quæritur 1. *Quinam sint effectus prædestinationis?*

Resp. Effectus prædestinationis est illud omne et solum quod prædestinato conceditur, ut vitam æternam consequatur. Tres vulgo recensentur : vocatio, justificatio et glorificatio, juxta illud Apostoli (*Rom.*, VIII, 30) : « Quos prædestinavit » (sive ante sive post prævisa merita), hos et *vocavit*; et quos » vocavit, hos et *justificavit*; quos autem justificavit, illos et » *glorificavit.* »

238. Quæritur 2. *Quisnam sit prædestinatorum numerus?*

Resp. **1.** Numerus iste in se sumptus et absolute, absque ulla ad reprobos relatione, est ingens juxta illud (*Apoc.*, VII, 4-9) : « Audivi numerum signatorum, centum quadraginta » quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel... Post » hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. »

Quisnam vero sit ille numerus, definiri nequit : quidam putant tot esse homines salutem consecuturos, quot ceciderunt angeli ; sed nil est certum.

Resp. 2. Si electi cum reprobis comparentur, in memoriam sunt revocanda hæc Christi verba (*Matth.*, XXII, 14) : « Multi » sunt vocati, pauci vero electi ; » et (*Luc.*, XIII, 24) : « Con- » tendite intrare per augustam portam. » Unde omnes admittunt pauciores esse electos quam reprobos, si omnes simul sumantur homines, tum fideles, tum infideles, tum præteriti, tum præsentes, tum futuri.

Resp. 3. Si sermo sit de solis christianis, sive catholicis, sive hæreticis, communiter tenetur numerum damnatorum majorem esse quam electorum; ita censent S. Gregorius, qui dicit multos recipere fidem, sed paucos salvari ; S. Augustinus qui christianos comparat areæ, in qua sunt simul paleæ et grana, sed major est multitudo palearum. Cum autem auctores generatim supponant christianos adultos, res foret incerta, si simul computarentur infantes decedentes ante usum rationis.

Resp. 4. Si agatur de solis catholicis, respondet Suarez verisimilius esse plures illorum salvari, præsertim si morientes infantes adultis jungantur; sed idem dicendum judicat de solis adultis, quia licet major pars hominum sæpius mortaliter peccet, tamen sæpius resurgunt, et in fine vitæ pauci sunt qui per sacramenta non præparentur ad mortem, et de peccatis non doleant, saltem per attritionem.

Caute de numero electorum ac reproborum loquendum est ; non desunt enim fideles qui, audita electorum exiguitate, graves exinde patiuntur tentationes, sive contra spem, sive contra misericordiam divinam; ex alia parte, si prædicatur quam plurimos salvari, facilis oritur socordia spiritualis.

239. Quæritur 3. *An dari possit certitudo de alicujus prædestinatione?*

Resp. 1. Absque speciali revelatione dari nequit absoluta et infallibilis certitudo de alicujus prædestinatione. Illud declarat Conc. Tridentinum (sess. 6, c. 16) his verbis : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, *absoluta et infallibili certitudine* dixerit, nisi hoc ex

speciali revelatione didicerit, anathema sit. » Et revera in Scripturis dicitur (*Eccl.*, IX, 1) : « Nescit homo, utrum amore an » odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta. » (*Philipp.*, II, 12) : « Cum metu et tremore vestram salutem » operamini. » (I *Cor.*, IX, 27) : « Castigo corpus meum, et in » servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse re- » probus efficiar. » Ita omnes.

Resp. 2. Multa dantur prædestinationis probabilia signa, juxta SS. Doctores ; quo igitur plura et insigniora erunt hæc signa, eo probabilior erit prædestinatio. Inter alia hæc indicari possunt : — *In adversis patientia* ; unde (*Jac.*, I, 2) dicitur : « Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incide- » ritis. » — *In pauperes misericordia*, dicente S. Matth. (V, 7) : « Beati *misericordes* : quoniam *ipsi misericordiam consequen-* » *tur.* » — 3. *Inimicorum dilectio*, juxta hæc verba Christi (*Matth.*, VI, 12) : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos di- » mittimus debitoribus nostris. » — 4. *Religiosa verbi Dei auditio* ; legitur enim (*Joan.*, VIII, 47) : « Qui ex Deo est, verba » Dei audit. » — 5. *Timorata conscientia*, quæ se ab omni specie mala abstinet. — 6. *Continua carnis mortificatio* ; nam scribit Apostolus (*Rom.*, VIII, 13) : « Si spiritu facta carnis » mortificaveritis, vivetis. » — 7. *Sincera et vera humilitas*, secundum illud (*Ps.* CXII, 6) : « Deus humilia respicit. » — 8. *Singularis erga B. Virginem pietas*, cujus efficaciam præclaris encomiis celebrant SS. Patres et Doctores. Hanc igitur oratio- nibus repetitis postulemus ; hanc sacerdotes facti totis viribus fidelium visceribus infundere satagamus.

§ III. De reprobatione.

240. Prænotanda. — I. *Reprobatio* generatim significat rei alicujus rejectionem ; hic sumitur pro rejectione a gloria æterna, et nihil aliud est nisi decretum, quo Deus vult per- mittere ut aliqui sua culpa a gloria decidant, et pro culpa in- fligere damnationis pœnam. — Ex quo patet reprobationem in eo discriminari a prædestinatione, quod in hac Deus non modo noverit, sed et ordinet gratias et merita tanquam media ad æternam salutem conducentia, dum in illa cognoscit qui-

dem et permittit peccata, quibus impii æternam damnationem merentur, sed minime ista intendit et ordinat ut media ad reprobationem.

Reprobatio, licet una sit, dividi solet in negativam et positivam : *Negativa* ea est, quæ respicit puram negationem gloriæ, ut est beneficium indebitum ; *possitiva* dicitur ea, qua Deus ordinat culpam ad pœnam æternam.

241. II.— Dari reprobationem aliquorum nemo dubitat ; sed contentio est in assignando motivo istius reprobationis. Porro ex modo dictis facili negotio colligitur prædestinationem negativam, in sententia Thomistarum, fieri ante peccata prævisa ; dato nimirum quod Deus ante prævisa merita velit efficaciter certum numerum hominum ducere ad gloriam, necesse est ut qui non sunt de illo felici numero, sint negative reprobati, seu a gloria ejecti. Utrum vero hæc reprobatio antecedens negativa, ex parte Dei voluntatis actum importet, quo velit a gloria excludere, vel solam negationem voluntatis efficacis assumendi ad eamdem gloriam, non omnino constat inter assertores prædestinationis gratuitæ. — Juxta Molinistas reprobatio negativa non fit nisi consequenter ad peccatorum prævisionem.

242. — III. Quod autem ad reprobationem positivam spectat, non defuerunt hæretici, qui asserere non dubitarunt Deum decreto positivo nonnullos homines pœnis æternis addicere antecedenter ad peccatorum prævisionem et ex solo beneplacito suo. Ita in v sæculo Lucidus, et in ix Gotescalcus, docentes prædestinationem Dei tum ad vitam, tum ad mortem ante omnem meritorum et peccatorum prævisionem fieri, veramque voluntati necessitatem imponere. Eumdem errorem renovavit Calvinus eumque extendit etiam ad statum naturæ innocentis. Unde ejus in hoc puncto asseclæ vocati sunt *Antelapsarii*, dum ii, qui voluerunt reprobationem non ita fieri nisi ob peccatum originale, dicti sunt *Postlapsarii*. — Ad hanc sententiam ultimam accedunt Jansenistæ, qui dicunt Deum, post Adæ lapsum, quorumdam tantum misereri, eis gratiam efficacem concedendo ; alios autem perditioni devoveri, quibus ne gratiæ quidem sufficientes conferuntur aut præparantur. — Contra quos doctrina catholica sequenti modo stabilitur :

243. Assertio : *Deus neminem destinat ad supplicia æterna ex solo beneplacito, etiam post peccatum originale.*

Est de fide. Conc. Arausicanum II (can. 25) ait : « Aliquos *ad malum divina potestate prædestinatos esse*, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. » Conc. Trid. (sess. 6, can. 19) : « Si quis... dixerit reliquos omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, *utpote divina potestate prædestinatos ad malum*, anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Nam legitur (*Sap.*, I, 13) : « Deus » mortem non facit, nec lætatur in perditione vivorum ; » item (*Ezech.*, XVIII, 23) : « Numquid voluntatis meæ est mors impii, » dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et » vivat? » et (II *Pet.*, III, 9) : « Dominus..., nolens aliquos » perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti : » porro Deus lætaretur in perditione vivorum, vellet mortem impii et aliquos perire, si decreto positivo et antecedente quorumdam damnationem decerneret.

Prob. 2. *Ex SS. Patribus* expresse id asserentibus. Sic S. Augustinus (lib. 3, *contra Julianum*, cap. 18, n. 35) ait : « Deus potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est ; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. » — S. Prosper (*Resp. ad 3 obj. Vincentii*) : « Omnium quidem hominum creator est Deus ; sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret : quia alia est causa nascendi, et alia est causa pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium ; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum. »

Prob. 3. *Ratione.* Repugnat nimirum reprobatio positiva ante peccata prævisa — tum quia Deus foret auctor peccati ; prædestinando enim positive ad damnationem ante prævisa demerita, necessario peccata vellet tanquam medium ad finem, et sic auctor peccati dicendus esset ; — tum quia Deus esset crudelis, creaturas suas ante ullum peccatum æternis suppliciis devovendo.

Dicitur in assertione : *etiam post peccatum originale*, quia probationes allatæ de homine lapso in præsenti rerum statu evidenter intelligendæ sunt.

TRACTATUS

DE

DEO REDEMPTORE

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE INCARNATIONE

Ex Symbolo S. Athanasii aliisque fidei documentis.

SYMBOLUM ATHANASIANUM.

... Necessarium est ad æternam salutem, ut (qui vult salvus esse) Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris, ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris, in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo; ex anima rationali, et humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ: Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines re-

surgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides catholica; quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

DECRETA CONCILII EPHESINI, GENERALIS III.

De unione hypostatica Verbi cum natura humana, contra Nestorium, an. 431.

Can. 1. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei Genitricem sanctam Virginem : peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei verbum, secundum quod scriptum est : « Verbum caro factum est : » anathema sit.

Can. 2. Si quis non confitetur carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul et hominem; anathema sit.

Can. 3. Si quis in uno Christo dividit substantias post unitionem, sola eas connexione conjungens, quæ secundum dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem; anathema sit.

Can. 4. Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quæ in apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, dividit, vel quæ Christo dicuntur a Sanctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex his velut homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tanquam dignas Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit; anathema sit.

Can. 5. Si quis audeat dicere, hominem Christum Theophorum, idest Deum ferentem ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per naturam secundum quod Verbum factum est caro, et communicavit similiter ut nos carni et sanguini; anathema sit.

Can. 6. Si quis dicit Deum esse vel Dominum Christi, Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur Deum

simul et hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas; anathema sit.

Can. 7. Si quis velut hominem Jesum operante Deo Verbo dicit adjutum, et Unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit; anathema sit.

Can. 8. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum tanquam alterum cum altero (nam *con* syllaba superadjecta hæc cogit intelligi), ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est; anathema sit.

Can. 9. Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium Spiritum, per quem divina signa explevit; anathema sit.

Can. 10. Pontificem et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est, et homo juxta nos homines, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit); anathema sit.

Can. 11. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia propria facta est verbi vivificare valentis; anathema sit.

Can. 12. Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est, et vivificator ut Deus; anathema sit.

EPISTOLA S. LEONIS PAPÆ AD S. FLAVIANUM.

De duplici naturâ in Christo, contra Eutychen, an. 449.

Cap. 3. Salva igitur proprietate utriusque naturæ et substantiæ et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili : ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris.

Cap. 4. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine : quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse cœpit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata majestatis suæ immensitate, suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus : quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Jesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit.

CONCILII CHALCEDONENSIS, GENERALIS IV, DECRETUM.

Contra Eutychen, an. 451.

Sequentes sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eumdemque perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationabili et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato: ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem; unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eumdem Filium unigenitum Deum, Verbum Dominum, Jesum Christum: sicut ante prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et Patrum nobis symbolum tradidit.

His igitur cum omni undique exacta cura et diligentia a nobis dispositis, definivit sancta et universalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, aut conscribere, vel componere, aut sentire, aut alios docere. Eos autem, qui audent componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum symbolum volentibus ad agnitionem veritatis converti, vel ex gentilitate vel ex Judaïsmo, vel ex hæresi quacumque; hos, si Episcopi fuerint aut clerici, alienos esse, Episcopos ab episcopatu, et clericos a clero: si vero monachi aut laïci fuerint, anathematizari eos.

EPIST. AGATHONIS ET SYN. ROM. 125 EPISCOPORUM.

De duplici voluntate in Christo, contra Monothelitas.

Unum eumdemque D. N. J. C., Filium Dei unigenitum, ex

duabus et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere cognoscimus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed potius salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam unamque subsistentiam concurrente, non in dualitatem personarum dispertitum vel diversum, neque in unam compositam naturam confusum; sed unum eumdemque Filium unigenitum, Deum Verbum, D. N. J. C., neque alium in alio, neque alium et alium, sed eumdem ipsum in duabus naturis, id est, in deitate et humanitate, et post subsistentialem adunationem cognoscimus: quia neque Verbum in carnis naturam conversum est, neque caro in Verbi naturam transformata est: permansit enim utrumque quod naturaliter erat: differentiam quippe adunatarum in eo naturarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est compositus; unum enim ex utrisque et per unum utraque, quia simul sunt et altitudo deitatis et humilitas carnis, servante utraque natura etiam post adunationem sine defectu proprietatem suam; « et operante utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet: Verbo operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est; quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis » (Leo papa, Ep. 10).

Unde consequenter, sicut duas naturas sive subsistentias, id est, deitatem et humanitatem, inconfuse, indivise, incommutabiliter eum habere confitemur, ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum et perfectum hominem, unum eumdemque ipsum Dominum Jesum Christum pietatis nos regula instruit, quia hoc nos apostolica et evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quos Sancta apostolica atque catholica Ecclesia et venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstratur.

DECRETA CONC. CONSTANTINOPOL. III, GENERALIS VI.

Contra Monothelitas, an. 680.

Quæ præsens sancta et universalis Synodus fideliter suscipiens, et expansis manibus amplectens tam suggestionem, quæ

a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum, piissimum atque fidelissimum nostrum imperatorem, quæ nominatim abjecit eos, qui docuerunt vel prædicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem et unam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri; adæque amplexa est et alteram synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium Episcoporum, ad ejus a Deo instructam tranquillitatem, utpote consonantes Sancto Chalcedonensi Concilio, et tomo sacerrimi ac beatissimi Papæ ejusdem antiquæ Romæ, Leonis, quí directus est ad S. Flavianum, quem et titulum rectæ fidei hujusmodi Synodus appellavit; ad hæc et synodicis Epistolis, quæ scriptæ sunt a B. Cyrillo adversus impium Nestorium et ad Orientales Episcopos; assecuti quoque sancta quinque universalia Concilia et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum nostrum, unum de sancta, et consubstantiali et vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in deitate, et perfectum eumdem in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationali et corpore; consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem; per omnia similem nobis absque peccato; ante sæcula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eumdem propter nos et propter nostram salutem de Spiritu Sancto ex Maria Virgine proprie et veraciter Dei genitrice secundum humanitatem; unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, nusquam exstincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturæ, et in unam personam, et in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eumdemque unigenitum Filium, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum; juxta quod olim prophetæ de eo et ipse nos Dominus Jesus Christus erudivit, et Sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum; et duas naturales voluntates in eo, et duas

naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Sanctorum Patrum doctrinam, adæque prædicamus; et duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.

Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subjici vero voluntati divinæ, juxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim ejus caro, caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait: « Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris, » suam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam et caro propria ejus facta est. Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata ejus caro deificata, non est perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit: ita et humana ejus voluntas deificata, non est perempta, salvata est autem magis, secundum deiloquum Gregorium, dicentem: « Nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum totum. »

Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino nostro Jesu Christo, vero Deo nostro, glorificamus, hoc est, divinam operationem, et humanam operationem, secundum divinum prædicatorem Leonem, apertissime asserentem: « Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo, scilicet, operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. » Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei et creaturæ, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam: neque quod eximium est divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. « Unius enim ejusdemque tam miracula, quamque passiones cognoscimus, secundum aliud et aliud earum, ex quibus est, naturarum et in quibus habet esse; » sicut admirabilis inquit Cyrillus.

Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus: unum sanctæ Trinitatis, et, post

Incarnationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum esse credentes, asserimus duas ejus esse naturas in una ejus radiantes subsistentia, in qua tam miracula, quamque passiones per omnem sui dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione utraque natura indivise, et inconfuse propria vellet, atque operaretur: juxta quam rationem, et duas naturales voluntates et operationes confitemur, ad salutem humani generis convenienter in eo concurrentes.

His igitur cum omni undique cautela atque diligentia a nobis formatis, definimus aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, componereve aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præsumpserint fidem alteram componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud Symbolum volentibus converti ad agnitionem veritatis ex Gentilitate vel Judaïsmo, aut ex qualibet hæresi; aut qui novitatem vocis, vel sermonis adinventionem ad subversionem eorum, quæ nunc a nobis determinata sunt, introducere : hoc siquidem Episcopi fecerint aut Clerici, alienos esse, Episcopos quidem ab episcopatu, Clericos vero a clero : sin autem monachi fuerint vel laici, etiam anathematizari eos.

TRACTATUS PROŒMIUM

1. Tractatus objectum. Deus, cujus misericordiæ non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, hominis in peccatum per diaboli astutiam delapsi misertus est; ipsumque ex multiplici malo, in quo jacebat, eripere et rursum ad supernaturalem statum erigere decrevit. Ut autem culpæ plena esset reparatio et copiosa simul humani generis redemptio, consilium admirabile prorsus et omnino ineffabile excogitavit divina bonitas, ut nempe ipsemet Dei Filius, sapientia genita, per quam omnia facta sunt, naturam nostram sibi copularet et in ea ac per eam totum genus humanum redimeret. Hoc est objectum, de quo nobis, postquam catholica doctrina de hominis elevatione et lapsu jam exposita et vindicata fuit, in hac nova tractatione disserendum venit.

2. Tractatus momentum. Summi momenti esse ea quæ ad Deum generis humani reparatorem spectant, facile quisque colligere potest — 1. ex eo quod vix objectum excellentius nobis considerandum proponi possit; ipse enim est Jesus Christus, secunda persona Sanctissimæ Trinitatis, *Verbum Patris* (*Joan.*, I, 1), *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* (*Hebr.*, I, 3), *lux vera*, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.*, I, 9), *via*, *veritas et vita* (*Joan.*, XIV, 16), *Ecclesiæ caput* (*Col.*, I, 18), etc. Unde Apostolus (I *Cor.*, II, 2) exclamabat : « Non judicavi me scire aliquid inter vos *nisi Jesum et hunc crucifixum.* » — 2. Ex eo quod nullum forsan dogma tanta adversariorum undequaque tumultuantium multitudine impetitum fuit; alii enim dominicam Incarnationem adulterantes vel Christo humanitatem denegarunt, vel ejus divinitatem subvertere conati sunt, vel etiam utriusque conjunctionem multipliciter deturparunt. Alii vero, præsertim inter Socinianos et recentiores Rationalistas, redemptionis œconomiam e medio sustulerunt; imo non defue-

runt qui Christum non secus ac Mahumetem inter deceptores annumerare non erubuerunt; nonne igitur eo majori studio vindicanda est doctrinæ catholicæ veritas, quo a tot adversariis acrius et vehementius impugnata fuit? — 3. Ex eo quod nemo ad æternam salutem pervenire possit, nisi utrumque mysterium, Incarnationis nempe et Redemptionis, fideliter credat, ut patebit ex dicendis in Tractatu *de Virtutibus theologicis*; adde in his duobus mysteriis intimam contineri essentiam christianæ religionis, quæ ab ipso Verbo incarnato et hominum redemptore non originem tantum et nomen, sed etiam propriam indolem accipit.

3. Tractatus divisio. Pro duplici mysterio, circa quod versatur, duplex erit pars præsentis tractatus : *prima* scilicet de Verbi divini Incarnatione; *altera*, de hominis per Christum redemptione. Nec aliam divisionem usurpavit ipse D. Thomas, qui ab exordio tertiæ partis summæ theologicæ hoc prænotat : « Circa salvatorem duplex consideratio occurrit. Prima est de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo; secunda de his, quæ per ipsum Salvatorem nostrum sunt acta et passa.

PARS I.

DE INCARNATIONIS MYSTERIO.

PRÆVIÆ NOTIONES.

4. Antequam ad doctrinam de Verbo incarnato explanandam accedamus, quædam præmittere juvat — 1. de notione; — 2. de possibilitate; — 3. de notitia Incarnationis.

I. *Incarnationis notio.*

5. — I. De nomine Incarnationis. Incarnationis, græce *Sarcosis*, juxta vim nominis unionem, seu potius, si ita loqui

fas est, identificationem cum carne significat; juxta vero Ecclesiæ sensum, Incarnatio est unio Verbi divini cum humana natura. — Vox ista Incarnatio habetur æquivalenter in his verbis Joannis (I, 14) : « Verbum caro factum est, » id est, incarnatum. Hac voce usi sunt quarto sæculo Patres concilii Nicæni. Illam jam usurpaverat S. Irenæus (lib. 3. *de Hæres.*, cap. 19, alias 21, n. 1).

Varia fuerunt Incarnationis nomina. A græcis vocata fuit : *œconomia*, id est, dispensatio, attemperatio, quia Christus in illo mysterio benignum ac misericordem sese erga nos ostendit, infirmitatique nostræ sese accommodavit; *Epiphania*, seu apparitio; *Theophania*, seu Dei manifestatio. Dicta fuit autem a latinis : *Exinanitio*, *Abbreviatio*, *Demissio*, quia Deus exinanivit semetipsum ; *Unio*, *Adunatio*, *Unitas*, ratione scilicet duarum naturarum quæ in hocce mysterio uniuntur (Vide Petavium, *de Incarn.* lib. 2, cap. 1, 2).

His addendæ sunt appellationes, quibus secunda persona Sanctissimæ Trinitatis ratione humanitatis assumptæ insignitur; dicitur nempe *Verbum incarnatum*, *Emmanuel*, seu *nobiscum Deus*, *Jesus*, id est, *salvator*, *Christus*, seu per excellentiam *unctus*, unde omnes Christiani unguntur. » Vide insuper quæ de hoc Christi nomine habet catechismus Rom. (p. 1, a. 2, n. 9 et 10).

Præcipuum est tamen nomen *Jesus* — sive ratione *originis* ; siquidem « vocatum est ab Angelo » (*Matth.*, II, 21); — sive ratione *dignitatis;* est quippe « super omne nomen, ut in no- » mine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et in- » fernorum » (*Philip.*, II, 9, 10); — sive ratione *efficaciæ;* « nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in » quo oporteat nos salvos fieri » (*Act.*, IV, 12).

6. — **II. De definitione Incarnationis.** Definiri potest Incarnationis mysterium : *Unio naturæ divinæ et humanæ in unica Verbi persona, ex qua unus fit Christus.*

Dicitur — 1. *Unio*, id est, conjunctio distinctorum, qua fit unum ex pluribus.

Dicitur — 2. *Naturæ divinæ et humanæ*, quia juxta fidem catholicam Christus Dominus natura divina et natura humana

constat, ita ut nihil desit duabus illis naturis, nulla facta fuerit illarum permixtio aut confusio, neutra in alteram conversa fuerit, nec divina humanam absorpserit.

Dicitur — 3. *In unica persona*; etsi enim duæ sint in Christo naturæ, divina et humana, fide tamen edocemur esse in eo unicam personam, qua mediante duæ naturæ in eo adunantur unione vera, reali, physica, atque, ut aiunt hypostatica seu personali.

Dicitur — 4. *In unica persona Verbi divini*, siquidem de fide est illam unicam personam, duplici natura in Christo constantem, esse ipsammet personam Verbi divini, quæ eadem semper manens prorsusque immutabilis perficit humanitatem et ejus personalitatem supplet quin ipsa perficiatur atque compleatur.

Dicitur — 5. *Ex qua unus Christus*, quia Christus illa est persona, quæ constat duabus naturis, divina et humana, hypostatice unitis in una persona Verbi.

Præfata definitio uberius explanabitur in decursu Tractatus. Hic tamen adnotare juvat Incarnationem non tantum sumi pro statu unionis Verbi cum natura humana, seu *in termino*, sed etiam *efficienter* et *active* pro actione, qua Deus humanam naturam Verbo divino in unitate personæ conjunxit.

7. — III. De figuris Incarnationis. — Non desunt inter Sanctos Patres, qui opinati sunt Verbi Incarnationem quadamtenus præfiguratam fuisse — 1. *Adamo et Eva*, quam ex una costarum primi hominis ædificatam ipsi conjugem dedit Deus, ut inde oriretur universum genus humanum; quo significabatur Verbum divinum naturam humanam in unitate personæ sibi copulans ad totam humanitatem restaurandam; — 2. *variis Dei* sub antiqua lege *apparitionibus*, quæ idcirco tribui solent Verbo ac veluti tentamina quædam perhibentur, quibus futuram sui incarnationem jam perficere videbatur; — 3. *rubo*, quem ardentem et tamen non combustum vidit Moyses; ab illo namque significatur natura humana Christi, quæ etsi a natura divina Verbi pervadatur, per eam tamen minime absorbetur; — 4. *columna nubis* partim *lucidæ*, partim *tenebrosæ*, quæ Judæos in deserto præcedebat; hæc nimirum utramque

naturam Christi præsignabat; — 5. *Elia* super mortuum puerum se expandente, ut eum ad vitam revocaret; eadem quippe fuit agendi ratio, qua Verbum semetipsum exinaniens, per quamdam sui abbreviationem intra naturam humanam veluti se contraxit, ut ipsi vitam supernaturalem redderet. Hæc sufficiant.

II. *Incarnationis possibilitas.*

8. — I. Fatentur omnes Incarnationis possibilitatem non posse naturali lumine demonstrari aut evidenter cognosci. Quod quidem constat — 1. *Scriptura Sacra*; in qua Incarnatio vocatur « *Sacramentum absconditum a sæculis in Deo* » (*Eph.*, III); « *Sapientia Dei in mysterio abscondita* » (I *Cor.*, II, 17); — 2. *testimoniis SS. Patrum*, pro quibus appellare sufficiat S. Augustinum, qui (Epist. 137, alias 3 *ad Volusian.*, c. 2, n. 8) dicit de hoc mysterio : « Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigari non posse. In talibus rebus tota ratio facti est voluntas facientis; » — 3. *Ratione*; cum enim mysterium Incarnationis sit maxime supernaturale in substantia, adeoque infinite superemineat omni naturæ debito et exigentiæ causarum naturalium, nullum datur ens naturaliter cognoscibile, quod, tanquam causa, effectus vel signum, in ejus notitiam ducere possit.

9. — II. Etsi vero Incarnatio sit supra rationem, minime tamen ipsi contraria ostendi potest, ideoque merito possibilis dicitur. Etenim Incarnationis mysterium nulla ex parte contradictionem involvit. — Non quidem *ex parte Verbi* naturam humanam assumentis; quippe cujus subsistentia, cum sit infinita, subindeque eminentissimo et perfectissimo modo contineat omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, vices illius supplere, atque adeo humanam naturam hypostatice terminare possit, quin ob unionem cum humanitate in possessione divinæ majestatis et beatitudinis turbetur, aut quoad attributa infinita circumscribatur, ullamve mutationem recipiat. — Neque *ex parte naturæ humanæ* assumptæ, quæ cum realiter a propria sua subsistentia distinguatur eaque sit prior, ab ea separari et a Verbo divino terminari potest, ita ut integra, inconfusa et impermixta remaneat, suasque proprietates essen-

tiales retineat. — Neque demum *ex parte unionis;* hæc enim eatenus rationi contraria demonstraretur, quatenus ab adversariis perfecte et adæquate explicaretur, et aliquid repugnans secum ferre ostenderetur; sed frustra id tentari sat superque constat, ex eo quod humanæ rationis captum transcendat unio hypostatica Verbi cum natura humana. — Cæterum Incarnationis impossibilitatem nullo argumento demonstrativo evinci posse necessario sequitur, ex eo quod solubiles sunt omnes objectiones, quibus hoc dogma impugnari solet, uti constabit ex infra dicendis.

10. — III. Quin etiam idem mysterium variis analogiis suaderi potest, quibus catholica doctrina non sane evidens, sed tamen credibilior efficitur. Prima petitur ex *rebus materialibus*; citatur imprimis exemplum ferri candentis, in quo duæ naturæ, ferri scilicet et ignis, sic uniuntur ut proprietates unius alteri communicentur; ferrum quippe ita transformatum splendet et calefacit; ignis vero quasi in ferro concretus riget et gravitat. Neque aliter trunco alieno inseri solet ramus extraneus et diversæ speciei, ut una velutique nova arbor efficiatur, diversos specie fructus proferens.

Secunda analogia oritur ex *homine*; ut toti homini attribuantur ea quæ ad corpus vel ad animam spectant, uti, v. g., quando dicitur hominem ambulare aut intelligere; imo haud raro de sola anima aut de solo corpore prædicantur quæ præsertim alteri competunt. Porro non aliter fieri de Verbo incarnato infra probabitur. — Alia similitudo depromi solet ex cogitatione per locutionem expressa; sicut nimirum in Incarnatione Verbum divinum carne humana vestitum exibetur, ita sermonis ope verbum mentis nostræ materiali forma indutum exterius apparet.

Tertia inveniri potest analogia in *ipsomet Sanctissimæ Trinitatis mysterio*; si enim fieri possit ut tres sint personæ realiter distinctæ in una et eadem natura, profecto facilius concipitur duas naturas in eadem persona subsistere, siquidem multæ occurrunt naturæ, quæ in unum subjectum coalescunt, dum nusquam videmus plures personas in una natura existentes.

III. *Incarnationis notitia.*

11. — I. De Angelis. Affirmant plures post Suaresium et alios Angelis in statu viæ revelatum fuisse mysterium Incarnationis quantum ad substantiam, ita ut Verbum esse aliquando carne induendum fide tenuerint, inscii tamen et modi et circumstantiarum illius arcani, ac præsertim redemptionis hominum hoc mysterio perficiendæ; imo, in Tractatu præcedenti, jam diximus in hoc mysterio reponendum esse, juxta multos, objectum probationis, cui obnoxii fuerunt, durante via, Angeli. Ex quibus inferunt idem mysterium velut peragendum innotuisse non tantum Angelis beatis in cœlo regnantibus, sed etiam dæmonibus, ita tamen ut nonnisi labentibus sæculis ad plenam ejus notitiam pervenerint.

Multi vero prædictam Incarnationis revelationem Angelis in via concessam rejicientes existimant hoc mysterium dæmonibus saltem ante Christi mortem probabilius non innotuisse. Quod quidem erui posse contendunt — tum ex Apostolo dicente (I *Cor.*, II, 8), quod illud mysterium « *nemo principum hujus sæculi cognovit*, » quod de dæmonibus interpretantur doctores; — tum ex tentatione Christi; tentator ei dicit : « *Si Filius Dei es*, » dic ut lapides isti panes fiant » (*Matth.*, IV, 3); ergo dubitabat; deinde addit : « Omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me; » quod sane Christo, ut Filio Dei cognito, proponere non ausus fuisset; — tum ex SS. Patribus; sic S. Leo (Serm. 70, qui est II de pas. c. 3) ait : « Si crudelis et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere : ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. » Unde in hac sententia, si Dæmon Christo ait (*Marc.*, I, 24) : « Scio quis sis, Sanc» tus Dei, » illud dicit vel mentiendo, vel augurando; sciebat itaque Christum esse a Deo missum, sed ignorabat illum esse Dei Filium, Deo ita providente, quia, ut ait Apostolus (I *Cor.*, II, 8) « *si cognovissent*, nunquam Dominum gloriæ crucifixis» sent. » — Advertunt tamen adversarii hæc in sua sententia rectius forsan componi; dato enim quod illud mysterium An-

gelis in via revelatum fuerit quoad substantiam, facile intelligitur Incarnationem non tantum factam, sed etiam futuram Angelis malis post lapsum non fuisse penitus reconditam, licet ex ignorantia omnium illius mysterii circumstantiarum Christum inter homines conversantem Deum esse certo cognoscere non potuerint.

Quidquid sit de dæmonibus, hæc communiter docent theologi de Angelis bonis : — 1. Hi nempe Incarnationem futuram a principio saltem suæ beatitudinis quoad substantiam cognoverunt. Ita S. Augustinus (*de Genes. ad litt.*, lib, 5, c. 19, n. 38, et de *Civit. Dei*, lib. 7, c. 32); valde enim probabile est Deum hoc mysterium non occultasse Angelis in sinu suo quiescentibus. — 2. Sæculis labentibus, illud mysterium plenius cognoverunt, prout nempe vaticinia nova edebantur, aut pleniora fiebant. — 3. Incarnatione peracta, non pauca didicerunt, quæ illos latuerant : sic legitur (*Eph.*, III, 8) : « Mihi... data est » gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias » Christi... Ut *innotescat Principatibus et Potestatibus in cœles-* » *tibus et per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* » Unde S. Gregorius Nyss. (hom. 8, *in Cant. cantic.*,) ait : « Aperte edocti sunt (Angeli) per Ecclesiam quemadmodum Verbum caro fit; quemadmodum morti vita miscetur, etc. » — 4. Plenissimam Incarnationis cognitionem non adepturi sunt ante sæculorum consummationem. Ratio est, juxta theologos, quod multiformis sapientia Dei in sacramento abscondita, ex iis quæ eventura sunt in Ecclesia, magis ac magis declaretur.

12. — II. De hominibus. Adamus probabiliter Incarnationem cognovit ante peccatum, quia unionem Christi cum Ecclesia, teste Apostolo (*Eph.*, v, 31), prophetavit loquendo de conjunctione viri cum uxore. Probabilissime cognovit post lapsum, ob ista Dei verba ad serpentem (*Gen.*, III, 15) : « Ini- » micitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et se- » men illius, ipsa conteret caput tuum. » — Patriarchæ et Prophetæ illud non ignorarunt; patriarchæ, ob promissiones divinas; prophetæ, quia, juxta SS. Patres, prophetæ cognoscunt quæ prænuntiant. — Legis peritiores Judæorum intellexerunt Incarnationem, quæ erat patriarchis revelata, a prophetis

prænuntiata, a cæremoniis et sacrificiis adumbrata. — Plebs judæa expectabat Messiam, sed valde dubium est an illum futurum esse Dei filium crediderit. — Ex gentibus plures illud cognoverunt mysterium, ut, v. g., Melchisedech, Job, Balaam, et alii, ut testatur S. Augustinus (*de Civit. Dei*, lib. 18, cap. 47. Cf. *Genes.*, XIV, 18; *Job.*, XIX, 25; *Num.*, XXIV, 17). Insuper nemo nescit extitisse apud Romanos oracula ex Sybillis profecta, quibus futuri liberatoris exspectatio indubie exprimitur. Vide, si juverit, circa hæc oracula Goschler (*Dict. de Théologie*, XXII, p. 90); *Annales de philosophie chrétienne* (sept. 1842, t. 25); Drach (*de l'harmonie entre l'Eglise et la Synog.*, t. II); Billuart (*de Incar.*, digress. hist. *de libris Sybillinis*).

13. His prænotatis, catholicam doctrinam de incarnatione exponemus in triplici capite, agendo nempe; — 1. de existentia utriusque naturæ, divinæ et humanæ, in Christo; — 2. de unione naturæ humanæ cum Verbi persona; — 3. de fine, necessitate et convenientia dominicæ incarnationis.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA UTRIUSQUE NATURÆ DIVINÆ ET HUMANÆ IN CHRISTO.

14. Tres erunt articuli; primus de divinitate, secundus de humanitate, tertius de generatione temporali Christi. Quæ ad æternam ejus generationem spectant, sufficienter in Tractatu *de SS. Trinitate* jam explanavimus.

ARTICULUS I.

De divinitate Christi.

15. Triplici adversariorum genere impugnatur Christi divinitas, Judæis scilicet, hæreticis plurimis, de quibus mentionem jam habuimus in Tractatu de *SS. Trinitate*, et hodiernis incredulis. Etsi vero contra hos omnes plurima jam dicta fue-

rint, ex quibus statim inferri posset Christum Jesum esse Deum, operæ tamen pretium erit probationes alibi productas ad rem præsentem transferre præcipuumque ac fundamentale Religionis Christianæ dogma magis directe ac uberius stabilire. Sit proinde sequens

16. Assertio : *Jesus Christus, quem in tempore natum et cum hominibus conversatum esse jam novimus, verus est Deus.*

Prob. 1. *Ex eo quod Christum futurum esse Deum prænuntiarunt prophetæ.* Constat ex dictis in Tractatu *de vera Religione* Christum Jesum esse Messiam in veteri Lege promissum, præfiguratum et prænuntiatum : atqui Messiam futurum esse non hominem purum, sed Deum cum hominibus conversantem, disertissimis affirmatur Scripturæ testimoniis, quibus Messiæ tribuuntur generatio divina, nomen Dei necnon varii divinitatis characteres.

1. *Messiæ tribuitur generatio divina.* De Messia namque intelligi solent hæc *Psal.* II : « Dominus dixit ad me : *Filius* » *meus es tu, ego hodie genui te.* » Imo iisdem verbis ipsummet nostrum Jesum significari haud obscure testatur Apostolus (*Hebr.*, I, 5) : his autem verbis veram naturalemque ex Deo generationem exprimi probatum fuit in Tractatu de *SS. Trinitate.* Ergo.

2. *Messiæ tribuitur nomen Dei;* ait enim (VII, 14) Isaias : « Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen » ejus *Emmanuel*, » id est, *nobiscum Deus*, ut interpretatur S. Matthæus (I, 23). Item (IX, 6) : « Parvulus natus est nobis... » et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, *Deus*, » Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. » — Jeremias quoque (XXIII, 5) ita prophetatur : « Ecce dies veniunt, dicit » Dominus, et suscitabo David germen justum et regnabit » rex... In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit con- » fidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum, *Dominus Jus-* » *tus noster.* » In Hebræo pro *Dominus* est *Jehova*, quod simpliciter dictum nulli creaturæ appropriatur.

3. *Messiæ tribuuntur varii divinitatis characteres*, videlicet : — *æternitas;* sic enim vaticinatur Michæas (V, 2) : « Et tu » Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te

» mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus » ab initio a diebus æternitatis; » — *adorationis cultus* ei ab ipsis regibus exhibendus; de Messia quippe (*Ps.* LXXI) scribitur : « Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ser- » vient ei; » — *totius mundi imperium;* « dominabitur a mari » usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terra- » rum (*Ibid.*) ».

PROB. 2. *Ex eo quod Christus se Deum esse comprobavit.* Illud nimirum de Christo affirmandum est, quod ipse de se prædicavit, sua agendi ratione confirmavit verumque plurimis signis ostendit. Atqui Christus se Deum esse multoties affirmavit, sua agendi ratione confirmavit plurimisque signis verum ostendit.

1. Christus quidem *se Deum esse multoties affirmavit;* hoc siquidem asseruit — sive coram *discipulis;* quando, v. g., Apostolos suos ita alloquitur : « Creditis in Deum : et *in me* » *credite*... Ego sum via et veritas et vita... qui videt me, » videt et Patrem... Non creditis quia *ego in Patre*, et *Pater* » *in me est?* » (*Joan.*, XIV, 1, 6, 9, 10); — sive coram *Judæis*, quibus ipsum circumdantibus et dicentibus : « Quousque ani- » mam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam, » asserendo sic respondit : « Loquor vobis, et non creditis; » opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium » perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex » ovibus meis; » — sive coram *magistratibus;* namque a Cai- pha principe sacredotum interrogatus his verbis : « Adjuro te » per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius » Dei, » respondit : « *Tu dixisti* » (*Matth.*, XXVI, 63, 64).

2. *Christus se vere proprieque Deum esse sua agendi ratione confirmavit.* Quum enim Judæi intelligerent ipsum vocasse Deum Patrem suum *vere* ac *proprie*, ideoque eum interficere quærerent, eo quod, quum homo esset, se faceret Deum, Christus sane, si non fuisset vere Deus ac proprius Dei Filius, debuisset omni modo vel ipsam hujus rei suspicionem e Ju- dæorum animis evellere, sive ut eorum furorem compesceret, sive ut scandalum amoveret, prout ipsius veracitas et caritas exposcebant : porro Jesus non solum ea verba non emollivit

ac temperavit, quibus de sua divinitate opinionem ingesserat Judæis, sed constanter eamdem sibi vindicavit, et eo magis perstitit in ea asserenda, quo magis illi exardescebant. Nam (*Joan.*, VIII, 26) : « Qui me misit, inquit, verax est, et ego quæ » audivi ab eo, hæc loquor in mundo ; » et (v. 38) : « Ego quæ » vidi apud Patrem meum loquor. » Ita Perrone. — Nec aliter se Christus gessit erga Apostolos, quum post præclaram Simonis Petri confessionem : « *Tu es Christus Filius Dei vivi*, » ipsum ita allocutus est : « Beatus es Simon Bar-jona, quia » caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est » in cœlis, » statimque pro divinitatis suæ confessione hanc divinam retribuit promissionem : « Tu es Petrus, et super hanc » petram ædificabo Ecclesiam meam. »

3. *Christus se Deum esse plurimis factis ostendit.* Huc faciunt miracula, prophetiæ aliaque facta divina, ex quibus divinitas Religionis Christianæ demonstrari solet. Hæc enim non tantum divinam Christi missionem patefaciunt, sed etiam doctrinæ suæ veritatem evidenter declarant; quippe cum Deus intervenire nequeat in favorem doctrinæ falsæ. Cæterum Christus suo nomine suaque propria auctoritate ea quæ alii non possunt nisi in nomine Dei operari, se peragere haud semel declaravit. Ex quibus patet quonam sensu facta Christi allegari possint ad demonstrandam ejus divinitatem ; ipsa nempe nullam quidem necessariam connexionem habent cum divina natura; sed, datis peculiaribus adjunctis, in quibus peracta fuerunt, dataque imprimis Christi de sua divinitate affirmatione, certam procul dubio demonstrationem faciunt, meritoque proinde ab oratoribus sacris usurpantur (Cf. Lacordaire, Monsabré, etc.).

Prob. 3. *Ex eo quod Christum Deum esse semper in Ecclesia fides viguit.* Ille scilicet merito Deus affirmatur, cujus divinitatem asserunt scriptores inspirati, prædicat sacra Traditio virique haud suspecti non confiteri non potuerunt. Atqui hujusmodi est Christi divinitas.

1. *Christi divinitatem asserunt Scriptores inspirati.* Huc imprimis venit præclarum S. Joannis testimonium, quo nempe de Verbo, cujus æternam generationem narravit, hæc subdit : « Et *Verbum caro factum est*, et habitavit in nobis ; » ex qui-

bus manifestum fit non alium esse Jesum Christum ac ipsummet Verbum divinum, Deo Patri consubstantiale. — Nec aliter intellexerunt et locuti sunt cæteri Evangelistæ; S. Matthæus Christi conceptionem referens, verba Isaiæ supra citata (VII, 14) : « Ecce Virgo concipiet... et vocabitur nomen ejus » *Emmanuel*, » ei applicat. Sanctus Marcus ita incipit : « Ini- » tium Evangelii Jesu Christi *Filii Dei*. » Sanctus Lucas inducit Angelum ita Zachariam de Joanne Baptista alloquentem (I, 16, 17) : « Multos filiorum Israel convertet *ad Dominum* » *Deum ipsorum*, et ipse præcedet ante *illum* spiritu et virtute » Eliæ. » — Consonant alii auctores Sacri, præsertimque B. Paulus, cujus mentem ea de re infinita propemodum testimonia declarant (Cf. I *Cor.*, VIII, 6; *Philip.*, II, 6, 7, 10; *Rom.*, VIII, 32; *Hebr.*, I, 3, 5, 23; *Colos.*, I, 15, 16, 17 et II, 3, 9).

2. *Christi divinitatem prædicat sacra Traditio.* Huc redeunt ea quæ in Tractatu *de SS. Trinitate* ad probandam Verbi divinitatem exposuimus, tum ex testimoniis SS. Patrum, tum ex Martyrum confessionibus, tum ex argumento præscriptionis. Ne igitur eadem rursus repetamus, ad citatum locum remittimus, subjungendo tamen fidei Ecclesiæ expositionem, qualis in symbolo Athanasiano exprimitur : « Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris in sæculo natus, perfectus Deus, perfectus homo : ex anima rationali et humana carne subsistens, æqualis Patri secundum divinitatem; minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. »

3. *Christi divinitatem viri minime suspecti non confiteri non potuerunt.* Audiatur præ cæteris civis Genevensis, qui de Christo hæc scripsit : « Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. » Nec aliter sentiebat Napoleo I, quando in exilio hæc palam proferebat : « Je me connais en homme et je vous dis que Jésus-Christ n'était pas un homme... (*Sentiments de Napoléon 1er sur le Christianisme*).

17. Scholium. Præcipuas objectiones, quibus Christi divinitas impugnatur, jam in Tractatu *de SS. Trinitate* diluimus. Pauca tamen addere juvat cum card. Franzelin (*de verbo Incarn.*, th. 3), ad eos refellendos qui asserere præsumunt Christum nonnisi improprie Filium Dei ac Deum in variis locis Scripturæ supra adductis appellari : « Quamvis, inquit citatus auctor, significatio nominum *Filius Dei* et *Deus* quibus Jesus Christus in Scripturis appellatur, non ita sit determinata, ut nunquam improprie et analogice usurpari possint, non ea tamen est in usu loquendi biblico horum nominum ambiguitas, qualem Sociniani post alios hæreticos, ut argumentorum vim eluderent, asseruerunt. Demonstrari enim potest : — 1. Nomen *Dei*,, præter unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nemini unquam in singulari a sacris Scriptoribus attribui simpliciter et absque expressa restrictione et improprietatis significatione ; — 2. in universis Scripturis præter unum Filium Dei, qui est Jesus Christus, nullam personam singularem et definitam ex propria Scripturarum sententia appellari *Filium Dei*, nisi fortasse ratione typi, quem gerat ipsius Jesu Christi ; — 3. falsum esse nomen Filii Dei ætate Christi fuisse vulgatissimum, quo tanquam proprio non secus ac nomine *Filii David* designare Messiam consueverint Judæi, etiam illi, qui non alium Christum expectabant, quam regni judaici potentissimum restauratorem, eumque merum hominem. » Quæ quidem fuse evolvit cl. auctor.

ARTICULUS II.

De humanitate Christi.

18. Errores. Humanæ naturæ Christi veritatem negaverunt — 1. illi omnes, qui finxerunt, corpus Christi non fuisse verum ac solidum, sed fictitium, umbratile et phantasticum ; ita præsertim Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides, etc., qui propterea dicti sunt *Docetæ* a voce græco δοκεῖν, vel etiam *Phantasiastæ ;* — 2. ii qui docuerunt solam carnem a Verbo assumptam fuisse, vel si animam, quæ vitæ animalis ac vegetativæ principium foret, ipsi agnoverunt, eam rationalem

esse noluerunt : unde dicebant Verbum ipsum animæ aut saltem mentis vices in Christo gerere. Ita Ariani et Appolinaristæ, quorum primi animam simpliciter, alii vero mentem solummodo Christo negabant; — 3. nonnulli demum ex FF. Minoribus, qui contenderunt corpus et animam in Christo non ita inter se uniri, ut ab anima corpus informaretur.

Catholica vero doctrina profitetur Christum, simul ac « *perfectus Deus* » est, esse pariter *perfectum hominem, ex anima rationali et humana carne subsistentem.* Quam ut vindicemus, generalem assertionem de veritate humanæ Christi naturæ instituendam ducimus ; ex qua pronum erit concludere ipsum triplici essentiali hominis elemento, corpore scilicet et anima inter se substantialiter unitis donatum fuisse. Sit igitur

19. Assertio : *Jesus Christus, qnem verum Deum esse jam compertum est, verus etiam et perfectus est homo nobis consubstantialis.*

De fide est, ut constat tum ex concilio Chalcedonensi definiente Christum « perfectum in humanitate; Deum verum et *hominem verum*, eumdem *ex anima rationali et corpore*, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato » ; — tum etiam ex Symbolo Athanasiano, in quo Christus dicitur « *perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua — 1. Christus in persona Messiæ prænuntiatur sub nomine *Seminis* (*Genes.*, III, 15; XXII, 18; XXVI, 9; XXVIII, 14) ; dicitur *Moysis similis* (*Deut.*, XVIII, 18); *vir dolorum* (*Isa.*, LIII, 3), multaque alia de ipso prædicuntur quæ nonnisi de vero homine dici possunt; — 2. iis nominibus jam in mundo conversans insignitur, quibus ipsum verum hominem esse manifeste probatur ; sic ipse Christus se vocat *Filium hominis* (*Luc.*, XIX, 10; *Matth.*, XVI, 13); alias appellatur *Filius* ac *Semen Abrahæ* (*Gal.*, III, 16), *Filius David* (*Luc.*, I, 32), imo *fructus lumborum ejus* (*Act.*, II, 30), *puer* (*Ibid.*, IV, 27), *vir* (*Ibid.*, XVII, 31), *secundus Adam* (I *Cor.*, XV, 45); frequentissime demum simpliciter *homo* dicitur, nempe vel a seipso (*Joan.*, VIII, 40), vel a B. Petro (*Matth.*, XXVI, 70), vel etiam a S. Paulo (I *Tim.*, II, 5; I *Cor.*, XV, 21);

— 3. ea denique Christo tribuuntur, quæ hominem verum, non phantasticum et putativum, arguunt; nempe natus est (*Matth.*, I, 16); fatigatus ex itinere sedebat (*Joan.*, IV, 6); flevit (*Luc.*, XIX, 41; *Joan.*, XI, 35); passus et mortuus est, ac deinde resurrexit (passim); quæ omnia de Deo, seu de natura divina intellecta blasphemiam, de homine phantastico absurditatem certo certius importarent. Ergo Christus verus homo fuit.

Prob. 2. *Traditione.* Enimvero SS. Patres conceptis verbis Christum verum hominem profitentur; siquidem de eo dicunt quod sit ille « qui *veritate homo factus est* » (S. Ignatius, *Epist. ad Smyrn.*, n. 4); « qui *solus est ambo, Deus et homo* » (Clemens Alex. *cohort., ad gent.*, l. 10); «Quis est Filius Dei et *filius hominis*, Deus simul et homo? » (S. Cyprianus, *de idol. vanit.*); ita unanimiter cæteri Patres.

Prob. 3. *Rationibus theologicis*, quas ipsimet SS. Patres ad stabiliendam humanæ Christi naturæ veritatem ex œconomia divinæ redemptionis depromunt. — Prima desumitur *ex homine redimendo*; totum nempe et integrum hominem liberari oportuit : ergo totus a liberatore assumi debuit; ita Faustinus (*contra Arian.*, c. 3) : — Secunda petitur *ex munere Christi redemptoris*; Christus videlicet fuit mediator naturalis Deum inter et hominem : ergo Deus et homo simul esse debuit; ita S. Leo (serm. 10, *de natal. Dom.*) — Tertia oritur ex *ipsa redemptionis indole* ; namque voluit Deus ut homo per hominem liberaretur, seu, quod idem est, ut liberator in ea natura adversus dæmonem pugnaret, quam ipse diabolus vicerat : porro natura humana in Adamo victa erat. Ergo. Quod quidem innuit S. Irenæus (l. 3, *contra Hær.*, c. 20).

Ex his vero ita generatim statutis hæc sponte fluunt corollaria :

20. Corollarium 1. *Ergo Christus habuit verum et solidum corpus, non fictitium, umbratile vel phantasticum.* Sequitur ex dictis. — Potest tamen id directe confirmari

1. *Scriptura Sacra.* « Verbum *caro* factum est » (*Joan.*, I, 14). — « Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc » cognoscitur Spiritus Dei : omnis Spiritus qui confitetur Je-

» sum Christum *in carne venisse*, ex Deo est » (I *Joan.*, IV, 1). Alii multi sunt textus eamdem veritatem clare declarantes. — 2. *Rationibus theologicis.* — Prima : Christus, nisi carnem habuisset, pro salute nostra non potuisset pati ; — secunda : nos fefellisset Christus, si corpus, quo induebatur, phantasticum fuisset ; — tertia : Scriptores sacri lusorie nos exemplo Christi excitarent ad ærumnas et labores hujus vitæ patienter sustinendos ; nihil enim fuisset passus Christus, si verum corpus non habuisset.

21. **Corollarium 2.** *Ergo Christus habuit animam eamque rationalem.* Patet etiam ex supra probatis. Insuper confirmatur quoque

1. *Scriptura Sacra* : « *Animam meam* pono pro ovibus » meis... Ego pono *animam meam* ut iterum sumam eam » (*Joan.*, X, 15, 17). — « Pater, in manus tuas commendo *spi-* » *ritum meum* » (*Luc.*, XXIII, 46). Hanc autem fuisse rationalem evidenter colligitur ex eo quod ei tribuuntur intellectus, voluntas, necnon humani affectus, qui in solam animam rerum spiritualium apprehensivam futurorumque præsciam cadere possunt, ut constabit ex infra dicendis contra Monothelitas nec non ubi de dotibus animæ Christi.

2. *Ex SS. Patribus*, pro quibus sit S. Augustinus, qui (*Epist.* 187, al. *ad Dardan.*, n. 4) scribit : « Non est homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit. » Ergo Christus, cum sit homo perfectus, anima rationali pollere debet.

3. *Ratione* ; Christus nempe actus humanos orationis, demissionis exercuit ; functiones mediatoris et sacerdotis obiit ; passus est ; descendit ad inferos, dum corpus in sepulchro jaceret ; a mortuis surrexit : sed hæc omnia non de Verbo prædicari possunt. Ergo anima eaque rationalis in Christo admittenda est.

22. **Corollarium 3.** *Ergo corpus et anima Christi ita inter se unita fuere, ut anima corpus informaret.* Ratio est quia non est perfectus homo, nisi corpus ita cum anima conjungatur. Etvero Christus esuriit, fatigatus est, de cruciatibus doluit : hoc autem prærequirit substantialem unionem corpus inter et animam,

siquidem prædictæ passiones nec ab anima sola, nec a solo corpore, sed ex natura mixta, et quidem una, procedunt. Præterea Christus mortuus est et resurrexit : porro utrumque animam et corpus substantialiter uniri supponit; mors enim, cum sit separatio animæ a corpore, ea prius unita exigit; resurrectio autem in hoc sita est quod corpus iterum ab anima vivificetur seu informetur. Unde Concilium Viennense merito definivit « Unigenitum Dei Filium... partes nostræ naturæ simul unitas, ex quibus in se verus Deus existens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam, seu rationalem, *ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem*, assumpsisse. »

ARTICULUS III.

De temporali generatione Christi.

23. Errores. 1. Docuerunt Valentinus et Appelles Christum habuisse corpus sidereum vel cœleste, quod per Mariam, sicut aqua per fistulam, trasmeavit, nihil inde accipiens vel mutuans. Eumdem errorem excitaverunt sæculo XVI Anabaptistæ, asserentes corpus Christi non ex B. Virgine assumptum fuisse, sed a Spiritu Sancto creatum, atque e cœlo allatum per eam transiisse, sicut aqua per canalem et lux per vitrum. — 2. Judæi nonnullique veteres hæretici, quales fuerunt Cerinthus, Ebion, Photinus dixerunt Jesum communi more procreatum fuisse, ideoque Beatæ Mariæ integritatem per ipsam Christi conceptionem fuisse violatam. Quibus accensentur nostri temporis Rationalistæ et increduli. — 3. Demum, sæculo IV, Jovinianus monachus negavit Mariam virginalem corporis integritatem in partu servavisse, eo prætextu, ne Christum phantasma crederemus, si incorrupta matris integritate exortum diceremus. — Contra quos catholicam doctrinam de temporali Christi generatione vindicabit sequens

24. Assertio : *Jesus Christus ex Beatæ Mariæ substantia carnem suscepit, ita tamen ut ex matre virgine conceptus, salva quoque ejusdem integritate, natus fuerit.*

Est de fide; legitur enim de Christo in Symbolo Apostolo-

rum : « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, *natus ex Maria Virgine;* in Symbolo Nicæno : « Et *incarnatus est* de Spiritu Sancto *ex Maria Virgine;* » et in Symbolo S. Athanasii : « Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris in sæculo natus. »

Prima pars, *Christum* scilicet *ex Beata Maria carnem suscepisse*, constat

1. *Scriptura Sacra*, in qua Christus, qui jam prænuntiatus fuerat ex semine Patriarcharum nasciturus (*Gen.*, xxii, 15; xxvi, 4; xxviii, 14), sæpe revera dicitur *Filius David, Filius Abraham* (*Matth.*, i, 1), factus *ex semine David secundum carnem* (*Rom.*, i, 2). *factus ex muliere* (*Gal.*, iv, 4), *filius hominis;* hæc quippe manifeste evincunt ipsum non ex materia cœlesti, sed ex substantia matris, nempe Mariæ, quæ erat de domo et familia David, corpus suum suscepisse. — Hinc est etiam cur recte appelletur *fructus lumborum David* (*Act.*, ii, 30), *filius Mariæ* et fructus *ventris ejus* (*Luc.*, i, 42). — Idem confirmatur ex textibus, in quibus Maria vocatur *mater Christi* (*Matth.*, i, 12; ii, 11, 13, 14; *Luc.*, i, 43); illa siquidem sola mater dici potest, quæ ex sua substantia filium natura similem per generationem produxit.

2. *Auctoritate SS. Patrum.* S. Irenæus (l. 3, *adv. Hæret.*, c. 32) ait : « Si non accipit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis, supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil moliebatur sumere ab ea? » S. Gregorius Naz. (*Epist.* 101 *ad Cled.*, n. 4) scribit : « Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino simul et humano modo formatum esse dixerit, divino quidem, quia absque viri opera; humano, quia humani conceptus lege, æque atheus est. » Demum S. Hieronymus (*Comment. in Gal.*, iv, 4) dicit etiam : « Diligenter attendite, quod non dixerit (Apostolus) factum per mulierem..., sed *factum ex muliere*, ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur. » Hæc in re tam aperta sufficiunt.

3. *Ratione theologica*, imprimisque ex eo quod oportuerit in præsenti œconomia ut mediator Dei et hominum homo

Christus Jesus non solum verus esset homo, sed et *ex nostro genere* secundum humanitatem originem traheret. Voluit quippe Deus ut satisfactio non modo per hominem, verum etiam per hominem generationis hujus Adamiticæ exhiberetur, atque ita genus humanum lapsum quasi ex seipso, in suo videlicet capite, satisfaceret. Hanc doctrinam Apostolus proponit (*Hebr.*, II, 11-16), ubi præsentem œconomiam redemptionis proxime nexam esse ostendit cum communi origine nostra et Christi secundum carnem : « Qui enim sanctificat, inquit, et qui sanc-» tificantur, ex uno omnes, propter quam causam non confun-» ditur fratres eos vocare. » Hoc igitur modo fit, ut pueri, id est, redempti omnes, communem habeant cum ipso carnem et sanguinem, et ipse vicissim particeps sit eorum carnis et sanguinis : sunt enim hæc reciproca. Quam quidem cognationem fuisse dispositam ait Apostolus (*Ibid.*, 14), « ut per mortem » destrueret eum, qui habebat mortis imperium, » ut scilicet mors ejus esset satisfactio pro omnibus.

Affinis his est idea secundi Adam, ut in Scripturis exhibetur (I *Cor.*, XV, 21, 22; *Rom.*, V, I *Tim.*, II, 5); quibus in locis sub nomine *hominis* non modo communis natura, sed etiam origo Christi secundum carnem *ex genere nostro* implicite continetur.

Secunda pars, nempe *Christum de Spiritu Sancto ex Maria manente virgine conceptum esse*, probatur quoque

1. *Scriptura Sacra*; nam legitur (*Matth.*, I, 18 et seq.) : « Christi autem generatio sic erat : Cum esset desponsata ma-» ter ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in » utero *habens de Spiritu Sancto* : ... Hoc autem totum factum » est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicen-» tem : Ecce *virgo* in utero habebit, et pariet filium; et voca-» bunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : No-» biscum Deus. » Ex quibus nullo negotio colligitur — 1. conceptionem Christi præter omnes naturæ leges, operante Spiritu Sancto, ex *Maria manente virgine* factam fuisse; — 2. ipsam haud obscure jam ab Isaia (VII, 14) prænuntiatam fuisse hoc celeberrimo vaticinio : « Propter hoc dabit Dominus ipse vobis » signum : Ecce *virgo concipiet* et pariet filium, et vocabitur » nomen ejus Emmanuel; » quod quidem ad Messiam ideoque

Christum ex Maria virgine supernaturaliter concipiendum referri non tantum interpretatur S. Matthæus (*loc. cit.*), sed etiam vetus synagoga jam agnoverat et manifeste demonstratur ex textu atque ejus adjunctis.

2. *Ex SS. Patribus*, pro quibus sint S. Justinus, qui (*Apol. ad imp.*) ait : « Christus e Virgine de semine Jacob, qui fuit pater Judæ, *per virtutem Dei* conceptus fuit; » et S. Petrus Chrysol. (Serm, 15) dicens : « Natus est in carne Christus, sed natus de Spiritu Sancto : accepit hospitium carnis, sed in aula virginis : ut et veritas esset corporis humani, et de pollutione humani corporis nihil haberet. »

3. *Variis congruentiis*, quas S. Thomas (3, q. 28, a. 1) ita exponit : « Quod Christus conceptus sit ex virgine, conveniens est *primo* propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. — *Secundo* hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quinimo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset et caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur... — Conveniens fuit præterea propter ipsum finem incarnationis Christi, quæ ad hoc fuit, ut homines nascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo, id est, ipsa Dei virtute, cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus dicit in libro de Sancta Virginitate (cap. 6, ante medium) : « Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. » (Cf. Catech. Rom., 1. p., a. 3).

Tertia pars, hoc est, Christum, *salva Mariæ integritate, natum esse*, ita quoque ab eodem Catechismo Rom. (*loc. cit.*, n. 13) declaratur : « Nascitur (Christus) ex matre sine ulla maternæ virginitatis diminutione, et quomodo postea ex sepulchro clauso et obsignato egressus est, atque ad discipulos clausis januis

introivit : vel ne a rebus etiam, quas a natura quotidie fieri videmus, discedatur, quo modo solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque frangunt tamen aut aliqua parte lædunt. »

Hoc sane omnes naturæ leges transcendit; sed nullam repugnantiam involvit, et revera ita rem esse constat

1. *Scriptura Sacra*; Isaias enim in oraculo jam citato non tantum prædicit quod *Virgo concipiet*, sed etiam eamdem virginem ut parientem exhibet, ita ut sive conceptus sive partus æque virgineus dicendus sit : quod autem tale oraculum in Maria Christum pariente adimpletum sit, non est cur iterum demonstremus. Ergo.

2. *Auctoritate SS. Patrum*; audiantur solummodo S. Ambrosius qui (in epist. 42 *ad Siricium Papam*, n. 5) ait : « Hæc est Virgo, quæ in utero concepit, virgoque peperit filium suum. Sic enim scriptum est : Ecce virgo concipiet, et pariet filium. Non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit; » et S. Augustinus ita in *Enchiridio* (cap. 34, n. 10) scribens : « Quod si vel nascente corrumperetur ejus (Mariæ) integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia. »

3. *Ratione theologica*, qua ostenditur conveniens fuisse ut mater Christi etiam in partu virgo fuerit, et hoc « propter tria, inquit Angelicus Doctor (*loc. cit.*, a. 2); primo quidem quia hoc competebat proprietati ejus, qui nascebatur, qui est Verbum Dei; nam verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto virginis utero nasceretur... Secundo hoc est conveniens, quantum ad effectum Incarnationis Christi. Nam ad hoc venit, ut nostram corruptionem tolleret; unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo rumperet... Tertio fuit conveniens, ne matris honorem diminueret, qui parentes præceperat honorandos. »

Ex hac vero partus virginitate inferunt SS. Patres Beatam Mariam expertem fuisse cruciatuum, quos cæteræ mulieres

tolerare solent, quando parturiunt, ob sententiam a Deo in Evam prolatam; imo non desunt qui asserunt eamdem ex Christi gestatione nullam omnino sensisse gravitatem et molestiam; quæ quidem exponens S. Bernardus (Serm. in illud Apoc. : *Signum magnum apparuit*) ait : « Sola sine corruptione concepit, *sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit.* »

25. Quæritur 1. *Quonam sensu Christus dicatur de Spiritu Sancto ex Maria conceptus?*

Resp. 1. Hoc sibi vult Filium Dei ex B. Virgine nostram accepisse naturam ita ut Maria vitali actione totum id contulerit, quod ad rationem veræ ac propriæ maternitatis requiritur, Spiritu Sancto efficaciam tribuente et concurrente ad producendum ex purissimo Virginis sanguine corpus in ordine ad infusionem animæ.

Resp. 2. Exinde intelligi datur Christum vere quidem ac proprie Mariæ filium esse, minime vero Spiritus Sancti filium dici posse. Ad veram quippe generationem, requiritur ut genitus procedat ex substantia generantis et in ejus similitudinem. Porro Christus carnem assumpsit non ex substantia Spiritus Sancti, sed ex substantia Mariæ, et natus est non in similitudinem Spiritus Sancti, sed in similitudinem hominum.

Resp. 3. Quando vero dicimus Christum virtute Spiritus Sancti conceptum fuisse, nullatenus significatur solam hanc Trinitatis personam hujus mysterii auctorem esse, si quidem omnia opera Dei ad extra tribus personis communia sunt; sed hoc fit ex lege appropriationis qua nempe de una persona præ aliis generatim prædicari solent opera quæ cum proprietatibus relativis hujus personæ peculiarem nexum habent, et in specie Spiritui Sancto tribuuntur opera misericordiæ et amoris.

26. Quæritur 2. *Utrum B. Maria post partum semper virgo permanserit.*

Resp. Perpetuam B. Mariæ post partum virginitatem impugnarunt Apollinaris, Eunomius, Helvidius aliique hæretici veteres, qui asserebant eam post natum Jesum ex suo conjuge Joseph alios filios habuisse eosque nominari in Evangelio fratres Domini. Eumdem errorem restaurarunt sæculo XXI, Anabaptistæ necnon plurimi inter Lutheranos et Calvinistas.

— Sed contra Beatissimam Mariam perpetuo virginem mansisse docet Ecclesia, innuit Scriptura, suadet ratio.

1. *Docet Ecclesia*; concilium enim Lateranense, sub Martino I habitum, definivit Mariam incorruptibiliter genuisse, indissolubili permanente *et post partum* ejusdem virginitate. Ecclesia insuper in liturgia multoties hanc fidem profitetur, v. g., in his similibusve invocationibus : » *Atque semper virgo; — post partum, Virgo, inviolata permansisti*, » etc., inde etiam illæ appellationes: *Virgo, Virgo virginum.* — Ita cæterum omnes SS. Patres.

2. *Innuit Scriptura*; hæc enim ad Angelum dixisse Maria (*Luc.*, I, 34) refertur : « Quomodo fiet istud quoniam virum » non cognosco : » porro supponi nequit eam post servandæ virginitatis votum tam evidenter præfatis verbis expressum, a suo proposito defecisse. Ergo. — Et vero idem conjici potest ex eo quod Christus moriens matrem suam Mariam S. Joanni commendavit; non enim ita egisset, si alii filii Mariæ fuissent. — Denique non desunt qui de Maria dicta esse volunt hæc Ezechielis (XLIV, 2) : « Porta hæc clausa erit et vir non transi- » bit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per » eam, eritque clausa Principi. »

3. *Suadet ratio*; S. Thomas (*loc. cit.*, a. 3) errorem Helvidii injuriosum esse ostendit tum Christo, tum Spiritui Sancto, tum Mariæ, tum B. Joseph : « *Primo* derogat Christi perfectioni, qui, sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia filius ejus, ita decuit ut esset unigenitus matris, tanquam perfectissimum germen ejus. — *Secundo* hic error injuriam facit Spiritui Sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit, unde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. — *Tertio* derogat dignitati et sanctitati matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset, et si virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. — *Quarto* etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam, quam, revelante Angelo, de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. »

Ex his vero omnibus ratio statim colligi potest cur Beatissima Dei Genitrix Maria antonomastice *virgo* et *semper virgo* appelletur. Nec est cur in his discutiendis immoremur quæ contra hanc matris amantissimæ prærogativam afferuntur; facili namque negotio solvuntur. Duo tantum adnotare juvat, videlicet — 1. Christum dici Mariæ *primogenitum* non eo sensu quod alios post Christum natum filios habuit, sed quia ante ipsum nullus fuit genitus; — 2. *fratres Domini*, de quibus mentio fit in Scripturis, ejus consanguineos vel agnatos fuisse.

27. Scholium. *De matrimonio Beatissimæ Virginis Mariæ cum S. Joseph.* — Verum et ratum extitisse matrimonium Mariam inter et B. Joseph certa et communis est SS. Patrum sententia, quæ quidem pluribus congruentiis suadetur; hoc enim conveniens fuit — 1. ut per generationem Joseph origo Mariæ demonstraretur; — 2. ne lapidaretur a Judæis ut adultera; — 3. ut in Ægyptum fugiens haberet solatium; — 4. ut partus ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

CAPUT II.

DE UNIONE NATURÆ HUMANÆ CUM PERSONA VERBI.

Dicendum venit — 1. de natura, — 2. de adjunctis, — 3. de consectariis prædictæ unionis, quæ, ut patebit ex dicendis, *hypostatica* merito dicitur.

ARTICULUS I.

De natura unionis hypostaticæ.

28. Exponuntur errores. Triplex fuit præsertim error, quo hæretici unionem duarum Christi naturarum, qualis ab Ecclesia propugnatur, pervertere conati sunt, Nestorianismus scilicet, Eutychianismus et Monothelismus. Successiva igitur cu-

jusque expositio et confutatio quænam sit ratio hujusce unionis nobis patefaciet.

1. *De Nestorianismo.* — Nestorius, a Syria oriundus, monachus primum Antiochenus, tantam doctrinæ et zeli specie contra hæreticos morumque affectata gravitate famam sibi conciliavit, ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus sit. Cum vero Theodori, Mopsuetiæ Episcopi, erroribus ex animo adhæreret, mox docuit duas in Christo naturas, divinam scilicet et humanam, non fuisse inter se unitas *substantialiter* et *hypostatice*, sed *moraliter* et *accidentaliter* tantum.

Quadruplicem porro unionem accidentalem et moralem inter Verbum et humanitatem profitebatur Nestorius, videlicet unionem *habitationis*, quantenus Verbum inhabitaret in homine tanquam in templo ; unionem *amoris*, qua duo amici dicuntur quid unum ; unionem *operationis*, quatenus Verbum in Christo utebatur homine ut instrumento ad eximia opera ; unionem denique cujusdam *communicationis moralis*, quatenus Verbum communicabat dignitatem et excellentiam suam homini : nam volebat Nestorius propter hanc conjunctionem accidentalem et moralem Christum simul cum Verbo esse adorandum et conglorificandum, quamvis tamen Christus esset purus homo, nec ita unitus Verbo fuisset in ipso vitæ suæ ortu, sed serius, postquam id promeruerit.

Ex hac autem unione mere morali et accidentali tanquam ex fonte profluebat : — 1. duas esse in Christo personas, unam Dei, alteram hominis, quia unio moralis, qua, v. g., duo amici inter se conjunguntur, non facit unam ex ipsis personam ; — 2. B. V. Mariam non posse dici Θεοτοκον, latine Deiparam, sed χριστοτοκον, latine Christiparam, eo quod non Deum, non Verbum genuerit, sed purum hominem humana personalitate completum, cui postea Verbum moraliter aut physice quidem, sed accidentaliter per gratiam unitum est ; — 3. duos esse filios Dei, unum naturalem, ab æterno ex Patre natum, alium in tempore factum ex Maria, ac proinde adoptione tantum, non natura Dei filium ; — 4. admitti non posse communicationem idiomatum in Christo, ne in concreto quidem, scilicet dici non posse Deum esse natum, passum, nec vicissim hominem esse

Deum, sed deiferum. Isti errores in conc. Ephesino, anno 431 celebrato, damnati sunt.

2. *De Eutychianismo.* — Eutyches, presbyter Constantinopolitanus et Archimandrita, seu monasterii abbas, contra Nestorium fidem catholicam acerrime defendens, nimio forsan zelo abreptus, in errorem oppositum incidit. Docebat « ex duabus naturis fuisse Christum Dominum ante unitionem; post unitionem vero unam naturam » profitebatur; hæc sunt ipsius verba in Concilio Constantinopolitano. Unde aliqua ex parte Nestorio assentiebat, docendo scilicet humanam Christi naturam aliquando extitisse, priusquam cum Verbo uniretur; sed præcipuus ejus error in professione unius naturæ consistens, ex eo profluere videtur quod duas naturas unione physica et immediata, id est, nullatenus mediante persona seu hypostasi Verbi divini, conjunctas esse voluerit. Quo autem sensu unam exinde resultasse naturam docuerit, an scilicet existimaverit ex unione divinitatis et humanitatis tertiam quamdam per commixtionem aut compositionem prodiisse, vel an putaverit divinam naturam in humanam, aut vice versa humanam in divinam conversam esse, liquidum id atque exploratum non est. Quantum tamen ex dictis eorum conjicere licet, qui post Eutychetem unam naturam asseruerunt, probabilius videtur ab eo admissam esse conversionem humanæ naturæ in divinam per modum cujusdam absorptionis, haud secus nempe ac guttula aquæ maris undis immixta evanescit.

Quidquid vero hac in re senserit imperitissimus et imprudentissimus ille senex, ut ait S. Leo, certum est ex ipsius propagine exortas esse plures sectas, quarum præcipuæ fuerunt *Theopaschitæ*, sic appellati, quia divinitatem vere passam fuisse asserebant propter quamdam cum carne Verbi consubstantialitatem; *Corrupticolæ*, qui carnem Christi corruptibilem dicebant; *Incorrupticolæ*, qui eam contra incorruptibilem factam esse admittebant. Eutychiani tamen communi vocabulo *Monophysitæ* appellati sunt, vel etiam *Jacobitæ* a Jacobo quodam Syro, obscuri generis viro; nec raro hodie in Oriente hoc etiam nomine ipsi Nestoriani designantur. Eutychiani in conc. Chalcedonensi, an. 451, damnati sunt.

3. *De Monothelismo.* — *Monothelitæ* ita dicti sunt a duabus vocibus græcis μονος *unus*, et θέλησις *voluntas*, eo quod unam tantum voluntatem unamque operationem admittebant in Christo. Hoc autem historice simul et theoretice sic explicari potest. Cum Sergius, occultus discipulus Athanasii, Jacobitarum Patriarchæ, ad sedem Constantinopolitanam pervenisset, nihil non molitus est, ut falsa moderationis specie controversiam catholicos inter et Eutychianos agitatam componeret. Qua de causa Imperatori Heraclio persuasit dissidentes subditos conciliari posse, si, ex una parte, duplex in Christo agnosceretur natura, ex altera vero parte, retineretur una tantum voluntas et operatio divina, quia unicum est in eo operandi principium, Verbum divinum, cui omnes actiones tribuuntur. Sergio fidem adhibuit Imperator, et multa exinde orta sunt mala.

Enim vero, etsi duas naturas conjunctas esse unione physica mediata, id est, mediante hypostasi Verbi, faterentur novæ doctrinæ fautores, et utramque post unionem permanere assererent, naturam tamen humanam quoad nobiliorem ejus facultatem, voluntatem scilicet, imo quoad vim omnem operandi, a divinitate absorptam fuisse profitebantur. Nec enim, ut opinatus est Vasquezius, voluntas illa et operatio, quam Monothelitæ humanitati Christi detraxerunt, sumebatur ab illis pro *actu* volendi aut operandi, sed pro ipsa *facultate* et *energia operatrice*; aiebant quippe naturam humanam Christi instrumentum esse divinitatis, sicut corpus nostrum instrumentum est animæ; nec in alio sensu actiones Christi vocaverunt *Deiviriles*, *theandricas*; quasi scilicet ex divina et humana ita procederent, ut divina *active*, humana *passive* se haberet. — Ex quibus patet nomine tenus humanam Christi naturam a Monothelitis assertam fuisse ut plane distinctam a natura divina, cum ei, juxta illos, subjacuerit, sicut materia formæ supponitur, et in novam cum ipsa vere coaluerit naturam; imo patet eam omnino sublatam fuisse, cum ut merum figmentum haberi debeat natura, quæ propria voluntate et energia spoliatur. Qua de causa Monothelismus merito dictus est nova Eutychianismi forma, Eutychianismus mitigatus, semi Euty-

chianismus. Præcipui ejus defensores, præter Sergium, fuerunt Pyrrhus, Paulus et Petrus qui sibi in Sede Constantinopolitana successerunt. Fautores habuit imperatores duos, Heraclium, qui *Ecthesim* promulgavit, et Constantem qui, *Typum* edidit.

His expositis, vindicanda nobis est doctrina catholica de una in Christo persona Verbi divini, duplici vero natura distincta nec non duplici voluntate et operatione ex utraque natura, divina scilicet et humana, profluente. Sit ergo

29. Assertio 1ª : *Unica est in Christo persona, nempe Verbi divini, quæ naturam humanam in ratione subsistendi complet et perficit.*

Est de fide. In symbolo apostolico : « Credo... *in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum*, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine. » — In Symbolo Nicæno : « Credimus... *in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei, natum ex Patre...* qui propter nos homines descendit de cœlis, et incarnatus est... et homo factus est. » — In symbolo Athanasiano : « Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed *unus est Christus... unus omnino*, non confusione substantiæ, sed *unitate personæ*. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Etenim (*Joan.*, I, 14) legitur : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; » unde sic S. Thomas (l. 4, c. *Gent.*, c. 34, n. 3) : « Omne quod factum est aliquid, est illud quod factum est : Sicut quod factum est homo, est homo, et quod factum est album, est album. Sed Verbum Dei factum est homo : igitur Verbum Dei est homo... Si Verbum caro factum est, id est, homo, ut Evangelista testatur, impossibile est quod Verbi Dei et illius hominis sint duæ personæ, vel duæ hypostases, vel duo supposita. »

Cujus quidem argumenti vis ineluctabilis apparet, si attendatur aliter quam per assumptionem naturæ humanæ in unitatem suæ personæ explicari non posse Verbum carnem, id est hominem, factum esse. Verbum enim homo fieri non potuit — 1. per conversionem in humanitatem aut permixtionem cum ea, quia immutabile ac simplex omnino est ; — nec per inhabitationem in homine, alioquin hominis incola, non vere homo

fieret; — nec per unionem amicitiæ, cum tanta nunquam sit amicorum necessitudo aut conjunctio Dei cum justis per gratiam, ut amicus unus dici queat vere et proprie effectus alter, aut Deus dicatur fieri talis sanctus ; — nec per operationem, quia absurde diceretur operantem fieri instrumentum, quo utitur ; — nec demum per communicationem moralem suæ dignitatis ; ad quantamcumque enim dignitatem rex ministrum evehat, nunquam rex ille dicetur minister effectus, ideoque a fortiori Verbum dici nequit homo ille factus, cui gloriam et dignitatem suam communicavisset. Ergo.

Legitur etiam (*Philipp.*, II, 6) : « Qui cum in forma Dei » esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed » semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitu- » dinem hominum factus, et habitu inventus ut homo ; » ex quibus sic arguimus : Christus Jesus, qui in forma seu natura Dei erat et æqualis Deo, idem ille est, qui stupenda exinanitione formam servi seu hominis accepit : atqui idem non esset si persona, quæ accepit naturam humanam, alia esset ac persona, quæ in natura Dei primum fuisse dicitur in textu citato : ergo Jesus non alia est persona in natura humana ac in natura divina. Hæc autem persona est Verbum divinum, seu Filius Dei, ut ex Apostoli doctrina liquido constat. Ergo una est Verbi divini persona, quæ humanam naturam terminat et complet in genere subsistendi.

Sed ut multa congeramus simul sacrarum litterarum testimonia, in Christo unica eaque Verbi divini agnoscenda est persona, si ipsi tanquam unico supposito tribuantur ea quæ Verbo seu Filio Dei competunt, et ea quæ homini conveniunt : atqui in Scriptura de Christo vicissim prædicatur quod sit *Filius Dei* et *filius hominis* (*Matth.*, XVI, 13) ; quod *Deum habeat Patrem* et *natus sit* aut *factus ex muliere* (*Galat.*, IV, 4) ; quod *natus* ex Patribus secundum *carnem* sit super omnia *Deus* benedictus (*Rom.*, IX, 5) ; quod *natus* sub imperio Cæsaris Augusti seipsum dixerit « *extitisse*, *antequam Abraham fieret* » (*Joan.*, VIII, 58) ; quod eum *morti tradens* Deus *proprio suo Filio* non pepercerit (*Rom.*, VIII, 12) ; quod sit *Dominus gloriæ crucifixus* (I *Cor.*, II, 2) et

auctor vitæ interfectus (*Act.*, III, 15); quod demum inter homines degens unigenitus sit Dei filius, « qui est in sinu Pa-» tris, » enarrans quæ Dei sunt (*Joan.*, I. 18). Ergo.

PROB. 2. *Traditione.* — De Patrum consensu qui post exortam Nestorii hæresim scripserunt, nulla difficultas; quosdam igitur ex præcipuis citare sufficit Nestorio anterioribus. S. Irenæus (*de Hær.*, lib. 3, cap. 6 et 18) ex professo probat unum et eumdem esse Verbum Dei, et hunc esse ingenitum et hunc incarnatum pro salute nostra, Jesum Christum Dominum. — S. Ambrosius (lib. *de Incarnat. Verbi*, cap. 5, n. 35) : « Non alter ex Patre, alter ex virgine, sed *idem aliter ex Patre, aliter ex virgine.* » — S. Augustinus (*in Enchiridio*, ante nestorianam hæresim scripto, c. 35, n. 20) dicit : « Christus Jesus Dei filius est, *et Deus et homo;* Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo; Deus, quia Dei Verbum, *Deus* enim *erat Verbum* : homo autem quia *in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro.* »

SS. Patribus accedunt concilia generalia, Ephesinum scilicet, Chalcedonence et Constantinop. II, quæ repetitis ictibus Nestorii hæresim profligaverunt. Eorum decreta superius exscripsimus; legere est imprimis in conc. Ephesini Actis duodecim anathematismos S. Cyrilli unanimi Patrum consensu approbatos, qui nullum hæresi relinquunt effugium.

PROB. 3. *Ratione theologica.* Admissa Nestorii doctrina, ruit : — 1. *Incarnationis notio*, quæ semper de solo Verbo asseritur ut stupendum mysterium; et tamen, si consistat in unione morali, Patri etiam et Spiritui Sancto, utpote cum natura humana moraliter conjunctis in hominibus justis, ut quid commune ac vulgare adscribenda est; — 2. *Redemptio*, quæ, si in Christo duplex sit persona, fieri nequit a persona divina, utpote doloris ac satisfactionis incapace; nec a persona humana, quæ condigne satisfacere non valet; — 3. *Eucharistia.* In eo enim non consistit tantum Eucharistia, quod contineat corpus et sanguinem Christi hominis, sed etiam Christi Dei, ita ut in ea Deum recipere possimus, et juxta Tertullianum de Deo anima nostra saginetur; porro Deus evanescit ab Eucharistico cibo in Nestorii systemate; ergo; —

4. Religionis christianæ fundamentum; nam illud fundamentum stat in dogmate Christi passi, crucifixi et mortui, qui tamen sit objectum adorationis : porro in doctrina Nestorii Christus ille qui pro nobis passus, crucifixus ac mortuus est, non est Deus, nec proinde adorandus. Ergo.

Dicitur in assertione; *unica est in Christo persona Verbi divini;* nam, etsi in singulis textibus allegatis expressa non sit mentio de Verbo seu Filio Dei, certum est tamen ex aliis Scripturæ locis solum Verbum, Dei Filium, fuisse incarnatum, nec aliam personam divinam intelligendam esse, ubi agitur de Christo, juxta illud jam citatum (*Joan.*, I, 14) : « *Verbum* caro factum » est; » vel etiam (*Joan.*, III, 16) : « Sic Deus dilexit mundum ut *Filium suum unigenitum* daret; » vel demum (*Hebr.*, I, 6) : « Cum iterum introducit *primogenitum* in orbem terræ, dicit : » et adorent eum omnes Angeli Dei. » Ita cæterum tota traditio.

30. Assertio 2ª : *Duæ sunt in Christo naturæ, divina et humana, quæ inconfusæ, impermixtæ, distinctæ et integræ post unionem permanent.*

Hæc assertio, quæ ita enuntiatur ut omnes Monophysitarum excludantur hypotheses, est *de fide.* Constat symbolo tum Apostolico, tum Nicæno, in quo expresse asseritur duplex in Christo natura. Expressius vero Symbolum S. Athanasii dicit : « Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur quia D. N. Jesus Christus Dei Filius, *Deus et homo est,* Deus est ex substantia Patris, ante sæcula genitus : et homo est ex substantia matris, in sæculo natus, perfectus Deus, perfectus homo. *Unus* non confusione substantiæ, sed *unitate personæ.* » — Ita et conc. Chalcedonense : « Confitemur unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, *in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum,* nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Huc recurrunt omnes textus in præcedenti assertione allegati; quippe qui non tantum ostendunt utramque naturam in unam convenisse Verbi divini personam, sed etiam utramque permanere inconfusam, distinctam et integram, peracta licet unione. — Sed eamdem in-

super eruitur conclusio ex iis non paucis testimoniis, quibus ostendemus naturæ divinæ et humanæ proprietates de Christo simul prædicari. Immerito autem prædicarentur, si Christus utramque naturam post unionem inconfusam et impermixtam non servavisset. — Unde ipse Christus ait (*Joan.*, x, 30) : « Ego et Pater, *unum sumus* » ut ostendat se eamdem cum Patre essentiam divinam habere; sed antea (*Joan.*, x, 14, 15, 16) dixerat : « Pater *major me est;* » quæ manifeste arguunt naturam humanam, qua Patri inferior est. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* Unanimes sunt Patres, qui post Eutychen floruerunt in asserenda duplici Christi natura. Ex Patribus autem qui antea vixerunt, S. Ignatius (*in Epist. ad Eph.*) sic loquitur : « Verbum caro factum est, *incorporalis in corpore mortali.* » — S. Amphilochius (Dial. 2) : « Discerne *naturas*, *unam Dei*, *alteram hominis*. Neque enim ex Deo excidens, homo factus est; neque proficiens, ex homine Deus. » — S. Hilarius (lib. 9, *de Trin.*, n. 3) : « Fides vera est *Deum* et *hominem* prædicare, *Verbum* et *carnem* profiteri. »

Ex documentis autem ecclesiasticis, præter supra citatum Concilii Chalcedonensis decretum, non prætermittenda sunt quæ in Epistola jam commemorata S. Leonis Max. eximie dicta leguntur : « Salva igitur, inquit, proprietate utriusque naturæ et substantiæ et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas et ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili... In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. »

In symbolo S. Athanasii legitur quidem : « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo, unus est Christus; » quibus verbis innui videtur in Christo esse unicam naturam, sicut in homine unica est natura, scilicet humana. Verum hæc comparatio adhibetur tantum ad designandam unitatem personæ, non vero unitatem naturæ, quia statim subjungitur : « Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Si est una tantummodo natura

in Christo, ea vel divina est, vel humana, vel neutra, vel divina simul et humana. Jam vero si sola est natura divina, Christus non est homo; si sola humana, non est Deus; si neutra, nec homo est nec Deus; si divina simul et humana, talis natura nec Dei est, qui nihil humani vel creati compatitur, nec hominis, qui elementis tantum creatis constat; et sic Christus nec consubstantialis Patri æterno esset, nec matri temporali : quæ quidem omnino repugnant. Ergo duæ naturæ distinctæ absque confusione et permixtione in Christo admittendæ sunt.

Confirmatur ex impossibilitate — tum *confusionis ac mixtionis;* ea enim est naturæ divinæ et animæ humanæ simplicitas, ut neutra cuiquam rei misceri possit; non enim miscentur nisi composita; — tum *conversionis ac mutationis*; nam res, quæ mutatur, esse desinit; porro ad veritatem Incarnationis necesse est utramque rem permanere; — tum *compositionis naturalis;* nam compositio naturalis supponit utrumque ex componentibus esse imperfectum : porro Christus est perfectus homo et perfectus Deus. Ergo. Conferatur etiam S. Thomas (3, q. 15, a. 1), qui ultimam rationem paulo aliter proponit.

31. Assertio 3ª : *In Christo cum duabus naturis duæ sunt pariter voluntates et operationes.*

De fide est assertio, ex definitione concilii Constantinop. III : « Duas naturales voluntates, inquiunt Patres, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Patrum doctrinam adæque prædicamus; et duas naturales voluntates, non contrarias, absit, juxta quod asseruerunt impii hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati. »

Probatur insuper assertio de duplici voluntate et operatione in Christo

1. *Scriptura Sacra*, et quidem duplici modo, scilicet : — Primo, *verbis Christi* sibi operationes divinas vindicantis, dum (*Joan.*, v, 17) ait : « Pater meus usque modo operatur; et ego » operor, » et infra (19) : « Non potest Filius a se facere quid- » quam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim » ille fecerit, hæc et Filius similiter facit; » operationes vero

humanas sibi aperte tribuentis, cum (*Matth.*, XX, 28) dicit : « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Idem iterum inculcat post lotionem pedum (*Joan.*, XIII, 15) inquiens : « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita » et vos faciatis. » — Quod speciatim attinet ad voluntates, duas Christus exerit voluntates, ubi Deum Patrem orans (*Matth.*, XXVI, 39) exclamat : « Pater mi, si possibile est, tran- » seat a me calix iste; verumtamen, non sicut *ego volo*, sed » *sicut tu;* » hæc enim verba : *non sicut ego volo*, humanam voluntatem clare significant; *sed sicut tu*, ad divinam voluntatem referuntur, quæ Filii eadem est ac Patris.

Secundo, *actionum Christi serie*. Geminas enim operationes nobis exhibet tota vita Christi ; *humanas* quidem, iis in locis S. Evangelii, in quibus legitur *concipi*, *nasci*, *ambulare*, *esurire*, *fatigari*, *exultare gaudio*, *lacrymari*, *tristis esse*, *pati et mori* ; hæc enim certe divina operatione fieri nulla ratione possunt, — *divinas* vero, dum prophetias edit et miracula patrat, non accito aliunde auxilio, sed propria virtute ; quæ certe inter operationes divinas recenseri debent. — Unde præclare S. Leo Max. in epistola jam citata : « Esurire, sitire, lactescere, atque dormire, evidenter *humanum est;* sed quinque panibus quinque millia hominum satiare, et largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti præstet, ne ultra jam sitiat ; supra dorsum maris plantis non decidentibus ambulare, et elationes fluctuum, increpata tempestate, consternare, sine ambiguitate *divinum est.* »

2. *Traditione*. SS. Patres constanter duas in Christo operationes duplici ejusdem naturæ congruas distinxerunt. Etenim — 1. testimonia Evangelica, in quibus de eodem Christo prædicantur divinæ et humanæ operationes, in sensu litterali interpretati sunt. Ita S. Athanasius (Tract. *de Incarn.*, n. 21), S. Ambrosius (*in Luc.*, l. 10, n. 59, 60), S. Cyrillus Hier. (*Catech.*, 4, n. 10). — 2. Ex illa distinctione solvunt difficultates Arianorum clamitantium de Christo talia asseri quæ a divinitate aliena sunt, ut comedere, bibere, dormire, pati ; ita S. Athanasius (Orat. 4, *C. Arian.*). — 3. Ex eadem operationum distinctione colligunt naturarum distinctionem in Christo :

sic S. Cyrillus Alex. (l. 24, *de Theotoc.*) ait : « Quæ divinitati convenienter dicta vel facta sunt, Salvatorem indicant Deum, et rursus quæ humanitus dicta sunt et facta, verum hominem ostendunt; hujusmodi vis est mysterii. » — 4. Denique ex ista dictinctione rationem repetunt, cur perfectus sit mediator Christus; quod quidem S. Augustinus exprimit (Ep. 137 *ad Volus.*, c. 9) dicens : « Ita inter Deum et homines apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret. »

Consonant definitiones ecclesiasticæ; S. Leo Max. in Epistola dogmatica supra citata viam præcluserat Monothelismo, ita demonstrationem contra Eutychem concludens : « Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est : Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. » Cum tamen exorta fuit hæresis, eam primum damnavit Martinus I in concilio Lateranensi (an. 649), canone 12, anathema dicente ei qui « secundum Sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem duas unius ejusdemque Christi Dei nostri voluntates cohærenter unitas, divinam et humanam. » Deinde S. Agatho eumdem errorem una cum 125 episcopis perstrinxit in Epistola ad imperatores directa, quam summo plausu susceperunt Synodi VI Patres, et suo decreto supra relato obfirmarunt.

3. *Ratione theologica.* Ex jam probatis, Christus, cum sit perfectus Deus et perfectus homo, duabus constat naturis plane distinctis et integris. Porro hæc est naturæ definitio, ut sit principium operandi secundum insitas proprias vires, quæ essentiam consequuntur. Ergo in Christo duplex sit principium operandi proprium, volendi scilicet et agendi, prorsus necesse est; potentiæ autem in actum erumpere natæ sunt. Ergo in Christo duplex est volitio et operatio. Unde Synodi VI Patres aiebant : « Ubi naturas duas accepimus, ita et duas naturales voluntates et duas naturales ipsius operationes agnoscimus... Quippe neutram in Christo naturam in ejus Incarnatione voluntatis expertem aut operationis audebimus asserere; ne earum proprietates perimentes naturas una perimamus » (Labbe, 1052).

Etvero, juxta doctrinam SS. Patrum, illud Verbum de homine assumpsit, quod ab eo sanatum est : porro voluntatem humanam sanavit. Ergo præter voluntatem divinam, qua spoliari nequit, humanam etiam voluntatem accepit.

Demum Christus salutis nostræ causa semetipsum humiliavit, oravit, satisfecit nobisque dedit virtutum omnium exempla : porro non potuerunt a Christo hæc præstari nisi per actus a voluntate humana profectos. Ergo.

32. Quæritur 1. *An et quatenus in Christo unus sit operans?*

Resp. Etsi sint in Christo duæ voluntates et operationes, unus tamen est operans, persona nempe ipsius divina. *Actiones enim sunt suppositorum*, ut fert axioma philosophicum, id est, actiones, quocumque medio seu instrumento perficiantur, ipsi personæ agenti adscribi debent : sic homo est qui *comedit, ambulat;* homo est pariter qui *cogitat, vult* et *decernit.* Atqui in Christo unica est persona, eaque divina. Huic igitur sive uni Christo operationes naturæ tum divinæ, tum humanæ adscribendæ sunt.

At exinde patet quam immerito Monothelitæ, ex eo quod sit unus operans Christus, inferre conabantur unam esse operationem. Persona enim est quidem principium *quod* operatur, et ideo principium *attributionis;* natura vero est principium *quo*, seu principium *elicitivum* atque *operativum.* Si ergo in una persona duæ sunt naturæ, necesse est etiam ut duæ sint operationes quæ utramque naturam consequantur, unus vero sit operans, quia una eademque persona utramque regit naturam quam terminat, sibique utriusque vindicat operationes. Et vero alia est ratio personalitatis, alia vero ratio naturæ per quam persona agit. Non est de ratione personæ, ut per se agat, sed ut terminet naturam in ratione subsistendi, et per eam ejusque facultates agat : vult Petrus, sed per animam; patitur Petrus, sed per corpus. Itaque, licet actiones sint suppositi, in ejus laudem vel vituperium cedentes, ab eoque dignitatem haurientes, non ideo tamen unica est operatio, ubi unicum suppositum, si illud duas perfectas et distinctas naturas operatrices comprehendat.

Hinc tamen colligere est actiones et passiones Christi, etiam

quæ in natura humana contingebant, dicendas esse divinas seu deificatas. « Etenim, inquit Petavius (*de Inc.*, l. 8, c. 10, n. 12), nulla nisi subsistens natura agit quippiam; ac prius definiri ac determinari illam oportet, certaque consistendi proprietate devinciri, quam functionem ullam præstare possit. Itaque personalis proprietas, etsi per se præcise loquendo non sit efficax et actuosa, eam tamen vim habet, ut naturam afficiens, complens et terminans, eamdem ad agendum instructam ac idoneam reddat. Ex quo illud oritur, ut quælibet actio Christi divina sit, etiam illa quæ mere est humanæ conditionis et alioquin indigna Dei, quatenus humanitas eam exercere vel perpeti nisi divina Verbi proprietate tanquam forma completa determinataque non posset. »

33. Quæritur 2. *An persona Christi sit composita?*

Resp. *affirmative;* et hoc constat — 1. *ex conciliis.* In concilio generali VI (*act.* 2) legitur : « Unam ejus subsistentiam compositam dicimus; « idem fuerat antea definitum in quinta Synodo generali (can. 4) et postea in Lateranensi sub Martino V (can. 8); — 2. ex SS. *Patribus.* Damascenus (*de Fide orth.*, l. 3, cap. 4) dicit : « In Domino duas quidem naturas, at unam duntaxat personam ex utrisque compositam agnoscimus : » ita etiam S. Dionysius, S. Augustinus, S. Gregorius et alii; — 3. *ratione;* id nimirum sic explanat S. Thomas (3, q. 2, a. 4) : « Persona sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari. Uno modo secundum illud quod est in se, et sic est omnino simplex, sicut et natura Verbi. Alio modo secundum rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi, et sic dicitur persona composita in quantum unum duobus subsistit. »

34. Quæritur 3. *In quo formaliter consistat unio hypostatica?*

Resp. Non desunt qui dari volunt nexum medium creatum, quo formaliter uniatur natura humana cum Verbo. Plerique tamen theologi contendunt inutile prorsus esse vinculum quodcumque intermedium ab extremis unitis distinctum, ipsumque Verbum immediate humanæ naturæ conjungi asserunt per

ineffabilem communicationem propriæ suæ subsistentiæ, seu per hujus translationem in suam propriam subsistentiam, absque ullo intermedio, quo duo extrema formaliter simul copulentur.

Quæ quidem sententia evinci potest — 1. *auctoritate* S. Thomæ, qui (in 3 *Sent.*, dist. 2, q. 2, art. 2. quæstiunc. 3) dicit expresse : « In unione naturæ humanæ ad divinam nihil potest cadere medium formaliter causans unionem, cui per prius humana natura conjungatur divinæ personæ. » Et in Summa (3, q. 6, a. 6, ad 1) ait : « Unio naturæ humanæ ad Verbum Dei est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura. » — 2. *Loquendi modo SS. Patrum.* Enim vero unio hypostatica a SS. Patribus et ab ipsa Ecclesia per unionem substantialem animæ et corporis humani explanatur : porro hæc posterior unio non fit per entitatem quamdam intermediam a corpore et anima distinctam ; sed est anima per se atque immediate forma corporis ; nec aliter fieri videtur in omnibus, quæ materia et forma constant : ergo a pari saltem idem dicendum est de unione, qua Verbum divinum terminat naturam humanam. — 3. *Ratione.* Per id Verbum unitur naturæ humanæ per quod eam terminat et sustentat ; unitur enim ei per modum termini et complementi, supplendo vices subsistentiæ creatæ ; atqui Verbum seipso seu sola personalitate, omni nexu formali excluso, terminat et sustentat naturam humanam ; Verbum quippe non est minus actus purus et infinitus in ratione termini naturæ humanæ, quam in ratione principii productivi. Atqui ex hoc quod sit actus purus et infinitus in ratione principii productivi, exercitium producens res ad extra non est aliquid realiter distinctum a virtute productiva, sed actio immanens virtualiter transiens, quæ cum virtute ipsa identificatur. Ergo similiter exercitium terminandi non est aliquid creatum a virtute terminandi, seu ab ejus personalitate distinctum.

Quia vero non potest intelligi Verbum unitum humanitati, quin intelligatur humanitas unita Verbo, sequitur quod sicut Verbum immediate per seipsum unitur humanitati, ita humanitas immediate per seipsam concipitur unita Verbo.

35. Corollaria. Ex jam dictis colligere est — 1. *unionem*

hypostaticam intrinsece et quoad substantiam quam maxime supernaturalem esse. — Illa enim supernaturalis dicenda est unio, quæ fuit indebita tum naturæ assumptæ, tum meritis ejus : atqui unio hypostatica indebita fuit naturæ assumptæ ; quod enim natura creata et rationabilis perficiatur et terminetur in ratione suppositi a personalitate divina, est certe supra vires et exigentias tum activas tum passivas hujus naturæ, quantacumque sit nativa ejus perfectio ; — nec minus indebita fuit meritis ejus ; nam, præterquam quod solius personæ sit meritum, humanitas Christi nunquam sine unione hypostatica extitit, nec proinde eam mereri potuit. Insuper, juxta S. Thomam (3, q. 2, a. 2), « gratia non potest cadere sub meritum, quia est merendi principium : unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ. » Unde

Diximus *quam maxime supernaturalem* ; unio enim hypostatica, cum naturam humanam ad *esse personale divinum* elevet, est principium et radix omnium donorum supernaturalium, quæ hoc esse divinum per Incarnationem communicatum non tantum in Christo homine sed etiam in cæteris hominibus consequuntur. Imo rationem habet finis proximi, ad quem cætera omnia ordinata sunt, juxta illud Apostoli (I *Cor.*, III, 23) : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi. » Item (*Hebr.*, II, 10) : « Per quem (Christum) omnia, et propter quem omnia. »

36. Colligere est — 2. *unionem hypostaticam esse substantialem* ; quippe talis est unio, qualia sunt extrema, quæ unit, et quale est compositum quod cum extremis constituit ; extrema autem quæ unit, et compositum quod cum illis constituit unio hypostatica, sunt quid substantiale. Et vero per unionem hypostaticam humanitas sic Verbo unitur, ut vi illius unionis prædicetur de Verbo substantive in concreto, seu ut Verbum denominetur *homo* substantive, non adjective *humanatus* dicatur ; ac proinde humanitas non advenit Verbo per modum *formæ accidentalis*, sicut vestis advenit homini, qui proinde *vestitus*, non vero substantive *vestis* dicitur, sed per modum *formæ substantialis* ; ergo et ipsa unio hypostatica substantialis dicatur necesse est.

37. Colligere est — 3. *unionem hypostaticam maximam ac præstantissimam esse tum in ratione unionis, tum in ratione doni.*

In ratione quidem *unionis*. Eo enim major et præstantior est unio, quo extrema longius a se distant, et quo perfectiori vinculo colligantur : atqui extrema unionis hypostaticæ a se infinite distant, vereque per eam fit conjunctio infiniti cum finito : in quo elucet ejus efficacia ; imprimis vero hæc extrema tam distantia, ut non habeant proportionem entitativam nec inclinationem naturalem ad se invicem in rationem perfectivi et perfectibilis, conjunguntur medio perfectissimo, seu simplicissimo ac maxime uno, persona nempe Verbi divini simplicissima, quæ realiter naturæ divinæ identificatur et substantialiter naturæ humanæ supponitur. Ergo maxima ac præstantissima est unio hypostatica. — Imo dici forsan potest eam majorem esse quam unionem animæ et corporis ad unam hominis naturam et personam constituendam. Ita sentire videtur S. Thomas (3, q. a. 9, ad 3); ita etiam S. Bernardus (l. 5, *de Consid.*, c. 8) scribens : « Si duo illa de se invicem prædices, non erraveris, Deum videlicet hominem et Deum vere, catholice pronuntias. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne nisi absurdissime prædicas, etsi similiter anima et caro unus sit homo. » Sed observari iterum debet unionem secundum naturam Verbi cum humanitate non fuisse possibilem.

In ratione etiam *doni* maxima et præstantissima est unio hypostatica. Nam — 1. præstantior est quam *gratia habitualis*, ut expresse docet S. Thomas (3, q. 2, a. 10, ad 1 et 2) dicens : « Gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo divinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinæ naturæ, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinæ naturæ in persona Filii. Major autem est ipsa res quam similitudo ejus participata. » Insuper, ut prosequitur Angelicus, « gratia habitualis est solum in anima ; sed gratia, id est, gratuitum Dei donum, quod est uniri divinæ personæ, pertinet ad totam naturam humanam quæ componitur ex anima et corpore. Et per

hunc modum dicitur plenitudo divinitatis in Christo corporaliter habitasse, quia est unita divina natura non solum animæ, sed etiam corpori. » — 2. Præstantior est unio hypostatica quam ipsa *visio intuitiva*. Conjunctio enim cum Deo per visionem intuitivam, etsi intima sit, tamen extrinseca est et accidentalis, et unit hominem cum Deo per modum objecti ; unio autem hypostatica unit naturam humanam cum Verbo physice et substantialiter, ita ut unum per se resultet ex utroque. Unde, ut jam diximus et infra explanabimus, unio hypostatica exigit ut sibi debita dona supernaturalia et ipsam visionem ; visio autem hypostaticam unionem nullatenus exigit. Unde merito cum S. Augustino (lib. *de Prædest.*, c. 13) dicere possumus : « Hæc unio est excellentissima tantoque naturæ nostræ subjectio evecta est per ipsam, ut quo altius poneretur non haberet. »

38. Scholium. Contra unionem hypostaticam plurimæ congeruntur objectiones tum ex parte Verbi divini, tum ex parte naturæ humanæ, tum ex parte unionis.

I. *Ex parte Verbi divini.* — Verbum divinum est Deus et proinde omnis mutationis incapax : porro data Incarnatione necessario mutatur ; — 1. quia alteri naturæ unitur, unde novas accipit relationes ; — 2. quia fit intrinsece homo ; — 3. quia novas acquirit perfectiones, scilicet perfectiones humanitatis, quas antea formaliter non possidebat ; — 4. quia fit pars totius, nempe Christi Domini.

Resp. Antequam ulterius progrediamur, sedulo expendendum est quid sonet vox ista mutatio : porro mutationis nomine intelligitur vel alicujus perfectionis amissio aut acquisitio, vel localis aut temporalis transitio : jam vero in Verbo æterno, immenso, immutabili et summe perfecto nulla esse potest perfectionis amissio aut acquisitio, nec localis aut temporalis transitio ; ergo. Inanes autem sunt rationes in contrarium allatæ.

Ad 1. Verbum equidem post Incarnationem novas habet relationes, sed novæ istæ relationes non inducunt in Verbo acquisitionem vel amissionem alicujus perfectionis ; nam ad unionem non requiritur ut duo termini aliquid perfectionis

acquirant vel amittant, sed sufficit mutatio ex una parte. Sic Deus cum mundum creavit, novam relationem, scilicet creatoris, ad mundum habuit et tamen non est mutatus. Ita pariter in Incarnatione tota mutatio ex parte naturæ humanæ se tenet, nec unquam demonstrabitur aliquam mutationem in Verbo divino dari.

Ad 2. Verbum fit intrinsece homo eo sensu quod inter Verbum divinum et humanitatem non sit tantum quædam moralis conjunctio, qualis est inter amicos se invicem diligentes, aut extrinseca conjunctio, qualis est inter Angelos et corpora ab eis accepta, sed vera detur unio hypostatica qua Verbum humanam naturam terminat, *conc.*; eo sensu, quod Verbum divinum aliquid perfectionis intra se susceperit vel amiserit, *nego.*

Ad 3. *Disting.* utramque partem. Verbum novas acquirit perfectiones scilicet humanitatis improprie *per modum termini*, id est, ut terminans naturam humanam, *conc.*; *vere et formaliter*, *neg.* — Has perfectiones antea non possidebat formaliter, sed melius non est eas possidere formaliter quam eminenter, *concedo*; et melius est eas habere formaliter, *nego.*

Ad 4. Verbum per Incarnationem fit pars totius alicujus, scilicet Christi, *dist.*; fit pars improprie dicta, quæ tam perfecta est quam totum ipsum, *conc.*, pars proprie dicta, quæ in compositionem alicujus totius perfectioris venit, *neg.* Patet ex dictis (Vide Thomam *ex Charmes*).

II. *Ex parte naturæ humanæ.* — Duæ sunt in Christo personæ, si natura humana suam non amittat personalitatem : atqui natura humana suam servat personalitatem; nam — 1. natura humana est integra in Christo : atqui non esset integra, si personalitate careret. — 2. Natura humana est substantia : atqui substantia per se subsistit, id est, propriam habet subsistentiam vel personalitatem. — 3. Christus est homo perfectus : atqui homo perfectus est persona; ergo adest in Christo hominis persona. — 4. Natura humana in Christo vult, operatur : atqui natura operans est persona juxta vulgare axioma : actiones sunt suppositorum. Ergo in Christo natura humana suam servat personalitatem.

Resp. *neg. min.* Natura humana in Christo suam non servat personalitatem, uti fuse in prima assertione probatum est; sic autem respondetur rationibus in contrarium allatis.

Ad 1. Etsi in Christo non sit humana persona, tamen humanitas est integra, quia illa humanitas habet corpus et animam quibus constituitur humana natura quælibet; nec illa humanitas caret ulla perfectione ullaque parte essentiali, sed tantum personalitate quæ ipsi non est essentialis quatenus est personalitas humana, quaque spoliari potest et vere spoliatur per suam cum Verbo infinito unionem.

Ad 2. Substantia per se subsistit, id est, non existit in alio tanquam in subjecto inhæsionis, instar accidentis, *conc.*; substantia in se subsistit, id est, propria personalitate necessario subsistit, nec cum altero potest hypostatice uniri, *nego*. Sic corpus humanum, etsi substantia sit, cum anima conjungitur, nec tamen propriam subsistentiam servat, sed communem habet cum anima personalitatem.

Ad 3. Christus est perfectus homo, id est, habet humanitatem perfectam, seu corpus perfectum et animam perfectam, *conc.*; habet personam hominis, *nego*.

Ad 4. Natura humana in Christo agit in ratione naturæ, *conc.*; in ratione personæ, *nego*. Anima quidem humana intelligit, vult; sed illi actus e fundo naturæ humanæ eliciuntur, quatenus illa natura a persona Verbi regitur; hinc cum actiones sint suppositorum, isti actus ad personam Verbi pertinent. Itaque natura spiritualis agens in ratione personæ, seu natura quæ est sui juris, se ipsam gerens, quæ non est unita alteri a quo perficiatur, est persona : at vero natura actiones e suo fundo eliciens, sed quæ ab alio regitur, quæque non est sui juris, non est persona, uti satis intelligitur ex dictis.

Inst. Verbum assumpsit naturam humanam, id est, corpus humanum unitum animæ : atqui in illa corporis et animæ unione personalitas hominis exsurgit; ergo assumpsit personalitatem hominis.

Resp. Verbum assumpsit corpus animæ unitum, et illa duo propria sua personalitate complet et sui juris facit, *conc.*; et anima ac corpus sui juris remanent, *nego* : atqui personalitas

hominis exsurgit ex illa unione, quando anima et corpus ab alio non reguntur, nec assumuntur in personæ unitatem, *conc.*; secus, *nego*.

III. Ex parte *unionis Verbi cum natura humana*. — Inter ea quæ uniuntur debet esse quædam proportio : atqui nulla est proportio inter Verbum divinum et naturam humanam; nam — 1. Verbum divinum est infinitum et natura humana creata. — 2. Duo contraria esse nequeunt in eodem subjecto : atqui infinitum et finitum magis inter se pugnant quam duo contraria. — 3. Implicat contradictionem unum et idem esse simul mortale et immortale, quod tamen fieret in Incarnatione. — 4. Repugnat Verbum divinum moveri localiter : atqui in unione Verbi et naturæ humanæ, illud necessario fit; mota enim humanitate, movetur et Verbum; ergo.

Resp. *Dist. maj.*; inter ea quæ uniuntur debet esse proportio habitudinis, qualis est inter perfectivum et perfectibile, terminantem et terminatum, *conc.*; proportio entis ad ens, seu perfectionis inter utrumque, *nego*. Eodem modo distinguitur minor, et ad illius probationes dicitur :

Ad 1. Licet Verbum divinum sit infinitum et humanitas finita, unde nulla existere potest inter utrumque perfectionis proportio, dari tamen potest habitudinis proportio. Sic mens humana visione Dei intuitiva in cœlo gaudebit, quamvis inter finiti limites coarctata semper remanens.

Ad 2. Duo contraria esse nequeunt in eodem subjecto, id est, proprietates contrariæ non possunt esse in una et eadem natura, *conc.*; in una et eadem persona quæ terminet duas naturas distinctas, *neg.* — Atqui infinitum et finitum magis inter se repugnant quam duo contraria, ratione proprietatum, *conc.*; ratione coexistentiæ, *nego*. Ergo infinitum et finitum esse nequeunt in eadem natura; sed reperiri possunt in duabus naturis et in una persona.

Ad 3. Implicat contradictionem unum et idem esse simul mortale et immortale sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso respectu, *nego*. Porro Deus incarnatus ratione naturæ divinæ est immortalis, et ratione naturæ humanæ est mortalis.

Ad 4. Repugnat Verbum divinum moveri localiter respectu

naturæ divinæ quam possidet, *conc.;* respectu naturæ humanæ quam terminat, *nego.*

ARTICULUS II.

De adjunctis unionis hypostaticæ.

39. Adjunctorum unionis hypostaticæ nomine intelligimus ea, quæ concomitanter vel consequenter ad illam proxime referuntur illiusque indolem uberius explanant. Hæc porro spectari possunt ex parte tum personæ assumentis, tum naturæ assumptæ, tum ipsius assumptionis. Hinc triplex paragraphus.

§ I. De adjunctis unionis hypostaticæ ex parte personæ assumentis.

40. Certum est ex dictis soli Verbo adscribendam esse assumptionem naturæ humanæ; sed quæritur insuper per quid immediate terminetur natura humana Christi, seu, ut dicunt alii, quænam sit ratio proxima et formalis, sub qua Verbum humanitati sit unitum, exclusis aliis personis.

Porro sententia communis est nullatenus per naturam divinam aliudve prædicatum absolutum terminari immediate humanitatem Christi, sed ipsum Verbum per se primario et immediate huic unitum esse secundum proprietatem suam relativam seu personalitatem; nec nisi *secundario*, *consecutive*, *identice* seu *materialiter*, ac mediante persona, dari unionem secundum naturam et prædicata absoluta divina. Sit igitur sequens

41. Assertio : *Natura humana Christi immediate ac formaliter terminatur per relativam Verbi proprietatem, non vero per naturam divinam ejus aliave prædicata absoluta divina.*

Prob. **1.** *Scriptura Sacra.* In textibus sacrarum litterarum, qui ad Incarnationem specialiter pertinent, hæc semper iis nominibus Verbo tribuitur, quæ proprietatem ejus relativam seu personalem significant, et a cæteris personis Verbum distinctum arguunt; non enim vocatur tantum Verbum, sed etiam *unigenitus* a Patre, *Primogenitus*, *Filius*, et ipse *Patrem* Deum appellat : atqui hæc nomina sat manifeste evincunt na-

turam humanam terminari immediate per ipsam personam Verbi, quatenus relativa proprietate filiationis constituitur. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* Ex synodo generali V (*can.* 8), unio divinitatis et humilitatis, vel *una Verbi natura incarnata* (locutio a S. Cyrillo Alex. invecta) in eo sensu intelligenda est, « sicut Sancti Patres docuerunt, quod ex divina natura et humana, unitione *secundum subsistentiam* facta, unus Christus factus est. » Porro *subsistentiæ* nomen potissimum a conciliis usurpatur ad significandam proprietatem Verbi *relativam* seu personalitatem. — Expressius loquitur Concilium Toletanum VI, quod (Labbe, t. 5, p. 1741) hæc ait : « Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis), solus tamen (Filius) accepit hominem in *singularitate personæ*, non in unitate divinæ naturæ; in id quod est *proprium Filii*, non quod commune Trinitati. » Jam vero si Verbum divinum uniretur humanitati non tantum secundum personalitatem, sed etiam naturam aut subsistentiam Dei absolutam, non solum esset incarnatum secundum id quod est proprium Filii, sed etiam secundum id quod est commune toti Trinitati; proinde eadem ratione in natura humana esset divinitas ac Filii proprietas; quod dici nequit. Ergo.

Non aliter SS. Patres, inter quos S. Augustinus (serm. 3 *de Temp.*) docet « susceptam esse a Filio carnem *in proprietate.* » Idipsum sane confirmare intendunt cæteri Patres, dum docent Filium *solum*, non Patrem neque Spiritum sanctum, assumpsisse naturam nostræ similem.

Prob. 3. *Ratione.* Illæsa fide catholica, admitti illud non potest, ex quo sequeretur Patrem et Spiritum sanctum perinde ac Filium esse incarnatos, natosque, passos, etc. : atqui, si Verbum naturam humanam immediate et formaliter terminaret, sive per subsistentiam communem et absolutam, sive per naturam, sive per quid aliud absolutum, sequeretur Patrem et Spiritum sanctum una cum Filio incarnatos esse : quod enim convenit uni personæ ratione alicujus attributi absoluti, etsi appropriati et proprietate relativa modificati, convenit omni-

bus. Unde merito Angelicus Doctor (3, q. 3, a. 2) concludit : « Esse terminum assumptionis non convenit naturæ divinæ secundum seipsam, sed ratione personæ, in qua consideratur; et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur assumere. »

Præterea Verbum divinum immediate unitum est humanitati secundum id solum, per quod humanitatem complet in ea ratione, in qua incompleta est : atqui humana natura in ratione tantum subsistentiæ incompleta est, et sub hoc respectu non est quod compleatur per aliud quam per Verbi proprietatem relativam, seu personalitatem, quæ sane id præstare potest humanitati, quod ei præstitisset modus ille substantialis, quo terminata fuisset, si non fuisset unita Verbo. Ergo per Verbi personalitatem immediate et formaliter terminatur humana Christi natura.

42. Corollarium. Ex dictis sequitur Patrem et Spiritum Sanctum ne *mediate* quidem *incarnatos* dici posse. Ratio est quia eorum unio et incarnatio mediata exigeret identificationem cum eo, qui immediate unitur et incarnatur; Pater autem et Spiritus sanctus realiter distinguuntur a personalitate Verbi, quæ sola unitur immediate; ergo mediate incarnati non sunt.

Nec dicatur Patrem et Spiritum sanctum vere identificari cum natura divina, quæ mediate incarnata est : natura enim divina ideo mediate incarnata dicitur, quia a Verbo non differt realiter, ut supposito divino, quod per se et primario naturam humanam terminat; at vero natura divina ut identificata Verbo et ab ipso terminata communis non est Patri et Spiritui sancto, quorum non est idem cum Verbo suppositum, seu natura divina non eodem modo se habet ad relationes divinas inter se distinctas, quibuscum identificatur. Ergo ex eo quod Pater et Spiritus sanctus idem sint realiter ac natura divina, concludi non potest illos per eam mediate incarnari.

Attamen personæ illæ divinæ sunt in Christi humanitate, non tantum ratione immensitatis, sed et per concomitantiam et connexionem necessariam, quæ *circumincessio* dici solet, et ea vi pollet, ut, si per impossibile non forent ubique ratione infinitatis, in humanitate Christi ratione Incarnationis forent.

Enimvero Pater et Spiritus sanctus identificantur naturæ divinæ; ergo ubi hæc reperitur, et præsentes etiam sunt personæ illæ divinæ : porro natura divina est in humanitate Christi propter identitatem cum Verbo ei per se conjuncto. Ergo Pater et Spiritus sanctus sunt in humanitate Christi. Aliis verbis, natura divina per Filium humanitati communicari nequit, quin secum cæteras quæ sibi insunt personas afferat. Unde cum Christus (*Joan.*, x, 30) dixisset : « Ego et Pater » unum sumus, » statim subjunxit : « Ego in Patre et Pater » in me » (*Ibid.*, 38).

Sed hæc concomitantia non est immediata, sicut ea, qua Verbum comitatur in Eucharistia humanam carnem, quam hypostatice per se sustentat. Pater enim et Spiritus sanctus sunt in humanitate, mediante natura divina ratione sui spectata; natura autem divina *ut sic*, mediante natura divina Verbi seu ipso Verbo.

§ II. De adjunctis unionis hypostaticæ ex parte naturæ assumptæ.

43. Status quæstionis. Constat ex dictis et fide tenendum est Christum esse vere hominem ideoque a Verbo assumptas fuisse partes saltem constitutivas humanæ naturæ, videlicet corpus et animam. Sed quæstio oritur utrum omnes corporis humani partes, et quo ordine eas assumpserit.

Porro, quod ad primum attinet, difficultas præsertim versatur circa sanguinem et alias partes integrales, quæ vel ad exercendas functiones vitales in statu præsenti necessariæ Christo erant, quales sunt arteriæ, pulmones, humores substantiales; vel ad operationes externas pertinent, quales sunt manus, pedes, etc. ; vel ad defensionem et ornatum corporis spectant, ut dentes, capilli et ungues. — Hæc quidem omnia fuisse in corpore Christi certissimum est; Christus enim perfectus homo habuit corpus vivum et integrum. In dubium igitur revocari nequit ea omnia a Verbo assumpta esse saltem mediate, et, ut aiunt, in *hypostasi*, quatenus scilicet ipsius hypostasis ea, mediante natura humana, ad quam pertinent, materialiter sustentat. Quæritur vero utrum etiam immediate, seu *secundum hypostasim*, illa omnia assumpserit Verbum, ea

nempe per suam proprietatem relativam formaliter sustentando ac terminando. — Quoad secundum, *ordinem* scilicet *assumptionis*, inquiritur an et qua ratione prius una pars humanitatis quam altera fuerit assumpta.

Propositas quæstiones solvent sequentes assertiones.

44. Assertio 1ª : *Sanguis proxime et immediate, seu secundum hypostasim, a Verbo assumptus est.*

Assertio communis est et certa theologorum sententia contra Durandum et Lutheranos quosdam inde asserentes etiam nunc corpus Christi gloriosum sanguine suo carere, ut dogma catholicum de concomitantia naturali in Eucharistia explodant.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Christus ipse (*Matth.*, xxvi, 28) ait : « Hic est *sanguis meus*, qui pro vobis effundetur in remis- » sionem peccatorum. » Idem assertum legimus (*Eph.*, i, 6) : « Habemus redemptionem per *sanguinem ejus;* » nec non (I *Petr.*, i, 18) : « Redempti estis *pretioso sanguine* quasi » agni immaculati Christi ; » denique (I *Joan.*, i, 7) : « Sanguis » Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. » Unde sic :

Si textus illi conferantur cum textibus parallelis, in quibus de carne Christi agitur, constat — 1. quod sive caro, sive sanguis eodem modo propria Christo dicantur; — 2. quod eodem modo Christus tradat corpus, quo sanguinem effundit; — 3. quod utrique eadem redemptionis efficacia adscribatur. Atqui caro immediate fuit assumpta a Verbo, et sic ejus propria fuit, ut talis a Christo tradita sit ; et ex illa proxima cum Verbo unione secundum subsistentiam valor infinitus in dolores et passiones ejus promanavit. Ergo sanguis pariter Verbo fuit proprius, traditus est hypostatice conjunctus, et exinde infinitum hausit valorem.

Prob. 2. *Traditione.* Sanguinem a Verbo immediate assumptum esse supponunt SS. Patres, dum virtutem sanguinis Christi celebrant ejusque effusioni salutem nostram adscribunt. Idipsum vero expresse asseruit S. Cyrillus Alex., cujus hac in re tanta est auctoritas, in anathematismo 5, a concilio Ephesino approbato, et hæc verba continente : « Verbum caro

factum carni et *sanguini* perinde ac nos communicavit. » Quibus consonant quæ in Extrav. *Unigenitus* (*de Pœnit. et Remiss.*) a Clemente VI traduntur : « Unam guttam *sanguinis* Christi, propter unionem cum divino Verbo, suffecisse ad Redemptionem generis humani. » Ita etiam citata concilia.

Prob. 3. *Ratione.* Verbum assumpsit immediate humanitatem integram et perfectam ; ergo assumpsit immediate partes omnes humanitatis : atqui sanguis est pars ad integritatem humanitatis pertinens, ut patet ex communi hominum sensu, quo corpus vivum non censetur integrum et perfectum sine sanguine. Unde sanguinem in corporibus resurgentium futurum esse tradunt uno ore theologi. Quod luculentius confirmat concilium Tridentinum de Christo, cum (sess. 13, c. 3) ait « ipsum corpus (Christi esse) sub specie panis, et sanguinem sub specie vini, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. » Immerito enim sanguis recenseretur inter partes Christi redivivi, si immediate et secundum hypostasim Verbo non esset unitus. Ergo. — Aliunde sanguis est instrumentum et organum quoddam naturale, cujus ope anima plures in corpore producit operationes *physico-morales*, ut in motibus iræ, timoris et gaudii experimur : sicut ergo corpus, ita et sanguis Verbo immediate unitur.

45. Assertio 2ª : *Verbum immediate quoque, seu secundum hypostasim, assumpsit reliquas corporis partes etiam in lato sensu integrales, quæ scilicet ad perfectionem tantum pertinent.*

Prob. Verbum immediate et proxime secundum hypostasim assumpsit ea omnia, quæ non modo ad integritatem strictam, sed etiam ad integritatem illam pertinent, qua perfectus homo vere dici possit, et quæ perfecti hominis hypostasi tribuuntur : vices enim suppositi humani eminenter gerit, ideoque naturam humanam assumpsit, ut eam totam sublimaret ad esse divinum. Atqui partes recensitæ, licet ad integritatem corporis humani non adeo stricte requirantur quam partes organicæ, necessariæ tamen sunt ad meliorem corporis constitutionem, ornamentum et utilitatem, adeo ut homo his vel

illis carens magno defectu laborare dicatur : sic dentes deserviunt ad edendum, capilli ad caput fovendum, ungues ad extremitates membrorum protegendas, et alii humores una cum sanguine ad vitales corporis operationes concurrunt; nec sane vera sua perfectione donata censerentur corpora beatorum, si vel uno ex his privata resurgerent. Ergo integrales illæ corporis partes a Verbo proxime et immediate assumptæ sunt.

46. Assertio 3ª : *Verbum naturam humanam cum ejus constitutivis partibus assumpsit simul tempore, seu in eodem prorsus instanti.*

Prob. 1. *Traditione.* Hæc enim legimus in Synodo VI generali (act. 11) : « Simul enim caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationaliter, simul Dei Verbi caro animata rationaliter. » Cæterum communis est SS. Patrum et theolorum doctrina Incarnationis mysterium totum peractum fuisse in instanti, Spiritu sancto formante integrum ac perfectum corpus Christi et uniente Verbo Dei. Unde catechismus concilii Tridentini hæc habet : « Simul corpus formatum atque animatum est, et corpori et animæ divinitas conjuncta. Ex quo fit ut eodem temporis puncto perfectus Deus et perfectus homo esset. »

Prob. 2. *Ratione theologica.* Ex omnibus fidei symbolis Jesus Christus unicus Dei Filius conceptus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : unde immediata et speciali Dei actione effecta est Incarnatio Verbi divini; atqui hoc est proprium hujusmodi actionis Dei per se et non per causas secundas agentis, ut in instanti terminum suum completum producat : ergo, cum Incarnatio humanitatis productionem et unionem cum Verbo complectatur, integre et in instanti producta est humanitas Christi simulque Verbo unita est. — Idem fere argumentum erui potest ex Verbis Angeli (*Luc.*, I, 31) Mariæ prænuntiantis, quod, superveniente Spiritu sancto, divina virtute obumbrata, conceptura sit Filium, qui *Altissimi* etiam *Filius vocabitur*.. Maria enim concipere nequivit Filium, qui Dei etiam Filius esset, nisi in eodem momento Deum et hominem conciperet. Unde cum ad Elisabeth profecta esset

Beata Virgo, divino Spiritus sancti instinctu Mater Dei ab ea salutata est. — Nec dicatur successive corpus Christi sicut cæterorum hominum fuisse formatum in utero materno; hoc enim, quod nostris temporibus affirmare quidam non erubuerunt, Christum *progressivum* jactitantes, Verbum incarnatum dedecebat, nec erroris labem effugit.

47. Scholium. SS. Patres ac concilia sæpius dixerunt a Verbo divino carnem, *mediante anima*, assumptam esse. Hoc autem ita saltem intelligendum est, quod ordine *intentionis* caro ideo assumpta est, quia habitudinem dicit ad animam rationalem. Utrum vero ordine *naturæ* seu *executionis* anima prius assumpta sit quam caro, disputatur inter theologos. Affirmant nonnulli, idque tum quia anima per se assumpta est, tum quia in ea reperitur ratio assumendi corporis, tum propter SS. Patrum dicta, quæ facilius in hac sententia explicantur. Cui quidem sententiæ favere videtur S. Thomas (3, q. 6, a. 1), ubi ait: « Secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendæ Filio Dei; » et infra (ad 2): « Propinquior est Verbo Dei anima quam corpus. »

§ III. De adjunctis unionis hypostaticæ ex parte ipsius assumptionis.

Tria expendenda veniunt, nempe: — 1. Quandonam unio hypostatica incœperit; — 2. An et quatenus triduo mortis perseveraverit; — 3. Utrum semper duratura sit. Quæ quidem declarabunt tres assertiones sequentes.

48. Assertio 1ª: *Humanæ Christi naturæ existentia et ejus cum Verbo hypostatica unio in ipsa ex Maria Virgine conceptione incœpit.*

Est de fide, contra Origenem, qui ex sua fabulosa de præexistentia animarum doctrina conclusionem eduxit prius creatam fuisse animam Christi, quæ bonis operibus suam unionem hypostaticam promeruisset; et contra Nestorium, qui docuit Christum prius extitisse hominem perfectum tum essentia, tum persona, quam a Verbo assumeretur. Nestorio præiverant Photinus et Paulus Samosatenus.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Pluribus in locis Filius Dei, ipse

Deus, dicitur *conceptus, natus, factus ex muliere, ex semine David*... Jam vero, si humanitas Christi initium non habuisset nec fuisset hypostatice Verbo unita in ipso conceptionis ex B. V. Maria instanti, Filius Dei, seu persona divina, dici non posset conceptus, natus, factus ex muliere; nec enim concipitur, ac nascitur qui præexistit, nec dici potest Filius Dei factus ex muliere ille, qui in se subsistens merus est homo. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* Constat ex confessione Justiniani Imperatoris pro synodo generali V, in qua expresse asseritur, quod « humana Christi natura in hypostasi Verbi principium habuit existentiæ, » et quidem in utero Virginis. Idem Justinianus in epistola, quæ a Vigilio S. Pontifice perhibetur approbata, hæc habet : « Si quis dicit aut sentit Domini animam prius extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante Incarnationem et generationem ex Virgine, anathema sit. » — Huc recurrunt synodi generalis VI in præcedenti assertione de simultanea unione Verbi cum omnibus humanitatis partibus citata testimonia.

Nec aliter docent Patres alii, quando asserunt Filium Dei vere genitum esse secundum carnem ; — unionem factam esse in utero, Verbo adveniente et præformante humanitatem, quam assumeret; — naturam Christi humanam non prius, sed in ipsa assumptione creatam esse ; — in hypothesi contraria dicendum esse : *caro Verbum facta est,* non autem : *Verbum caro factum est.* Ita S. Cyrillus, S. Leo Magnus, S. Augustinus, S. Joannes Damascenus, etc.

Prob. 3. *Ratione.* Dogma catholicum est, ut ex infra dicendis uberius constabit, B. Mariam Virginem Deiparæ titulo merito gaudere. Porro Maria Deipara vere non esset, si ad ipsum Verbum naturam humanam ex ipsa genitam terminans conceptio ejus non pertigisset : ergo. — Præterea, illæsa fide, negari nequit Verbum naturam quidem humanam, non autem personam, assumpsisse : atqui si prius tempore humanitas extitisset, quam assumeretur, Verbum personam humanam assumpsisset, aut eam destruxisset; quod est inconveniens; ergo.

49. Assertio 2ª : *Perseveravit unio Verbi hypostatica triduo*

mortis Christi non tantum cum corpore et anima, sed etiam cum sanguine illo, qui a corpore redivivo reassumendus erat.

Prima pars, qua enuntiatur *perseverasse triduo mortis Christi unionem Verbi hypostaticam cum corpore et anima*, ad fidem pertinet; constat vero

1. *Auctoritate Scripturæ Sacræ et Symbolorum fidei*, quæ nos edocent aperte credendum esse « in Jesum Christum, Filium ejus (Dei) unicum... qui... mortuus et *sepultus est, descendit ad inferos.* » At vero, si corpus Christi inanime fuisset a divinitate separatum, ipse Filius Dei dici non posset *sepultus*. Pariter, si Christi anima, postquam a corpore soluta est, fuisset a Verbo separata, Filius Dei dici non posset ad inferos descendisse. Ergo perseveravit unio hypostatica Verbi cum corpore et anima triduo mortis.

2. *Traditione*. Concilium Chalcedonense docet hanc unionem factam fuisse *indivisibiliter*, *inseparabiliter*. Nec aliter SS. Patres ex quibus satis est citare S. Leonem, qui (Serm. 17 *de Passione*) ait : In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut *nec suppliciis potuerit dirimi, nec morte disjungi;* » ac demum S. Joannem Damasc. (*de fide Orth.*, l. 3. c. 27), cujus hæc sunt verba : « *Divinitas a neutro*, hoc est, nec ab anima, nec a corpore, quoquo modo *sejuncta est.* » Quibus accedit auctoritas Pii VI in Bulla *Auctorem fidei* declarantis cor Christi adorandum esse, « ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis, *sine præcisione a divinitate*, fuit adorabile in sepulcro. »

3. *Ratione theologica*. Si corpus et anima Christi fuissent a Verbo sejuncta triduo mortis, a seipsis fuissent terminata, ac proinde propriam habuissent subsistentiam sibi connaturalem. Unde merus homo aliquatenus evasisset Christus, ut iterum in ressurrectione Filius Dei fieret : porro, juxta fidei documenta, merus homo nunquam fuit Christus, semelque tantum Verbum caro factum est; ergo. — Nulla insuper datur causa cur mors Christi, quæ consistit in unionis naturalis corpus inter et animam existentis dissolutione, unionis hypostaticæ disruptionem traxerit, cum utriusque unionis ratio prorsus sit diversa. Nec obstat quod corpus fuerit exanime;

corpus enim propter animam assumptum est a Verbo, et aliquam etiam in sepulcro habitudinem ad animam servavit. Ergo.

Secunda pars assertionis, *Verbi* scilicet *hypostaticam unionem perseverasse cum sanguine effuso, qui a Christo redivivo reassumendus erat*, communiter a theologis contra nonnullos Scotistas theologicis rationibus propugnatur, nempe :

1. Ideo anima et caro in triduo mortis Verbo remanserunt unitæ, quia erant partes naturæ humanæ resurgendæ : atqui sanguis etiam est pars integrans hujusce naturæ, quia corpus sine sanguine integrum ac perfectum non est, ut jam supra diximus : ergo totus sanguis reassumendus remansit Verbo hypostatice unitus in triduo mortis.

2. Redemptio nostra speciali quadam ratione tribuitur pretioso sanguini Christi effundendo, ut colligere est ex pluribus Scripturæ sacræ locis (*Matth.*, xxvi, 28 ; *Hebr.*, ix, 13 ; I *Petr.*, i, 28; I *Joan.*, i, 7). Ergo sicut ante effusionem, ita et in effusionis actu Verbo unitus fuit ille sanguis ; quippe qui ex illa unione virtutem et efficaciam infinitam tunc hauriret. At vero si in ipsa effusione Verbo unitus est sanguis Christi, nulla ratio est cur post effusionem debuerit a Verbo separari ; manet enim sanguis Christi, unoque ore theologi et Patres divinum eum sanguinem vocant qui pro nobis effusus est : recolantur verba Clementis VI supra citata. Ergo.

3. Accedit auctoritas non tantum thomisticæ scholæ, sed plurium insigniorum theologorum e schola Scoti ; imo quidam auctores contendunt quæstionem sub Pio II agitatam et coram eo discussam fuisse tantum de particulis quas resurgens Christus non resumpsit. Unde

Diximus in assertione *cum sanguine reassumendo* : nam plures theologi post S. Thomam (3, q. 54, art. 2, ad 3) absque distinctione et limitatione docent totum sanguinem effusum in resurrectione fuisse reassumptum, ideoque Verbo remansisse unitum, quia in corpore Christi temperatissimo nihil sanguinis supereffluebat. — Multi tamen eam sententiam ita limitant, ut non negent aliquas particulas cruci, clavis, sudario, cæterisque passionis instrumentis adhærentes relictas

esse ad memoriam tormentorum Christi conservandam et devotionem fidelium fovendam : porro particulæ hoc modo in terris relictæ non remanserunt Verbo unitæ, quia nec actu, nec potentia jam sunt corporis Christi pars integrans. — Ita plures theologi præter assertores opinionis de separatione sanguinis a Verbo triduo mortis ; quos ab omni censura immunes esse voluit Pius II in bulla *Ineffabilis*, occasione controversiæ inter Dominicanos et Franciscanos Barcinonæ excitatæ anno 1462, olim publicata.

50. Assertio 3ª : *Unio hypostatica ita est constans et indissolubilis, ut Verbum humanitatem assumptam nunquam deseruerit, nec deserturum sit.*

Dogma præfatum negaverunt Photinus et Marcellus Ancyranus, qui docuerunt Christum post universalem resurrectionem, impleto redemptoris munere, Patri resignaturum esse regnum, quod ab illo acceperat, humanitatemque suam derelicturum esse statim annihilandam. Assertio vero

PROB. 1. *Scriptura Sacra.* Legitur (*Joan.*, VIII, 34) : « Christus » manet *in æternum ;* » iterum (*Ibid.*, VII, 24) : « Christus, eo » quod maneat *in æternum*, sempiternum habet sacerdotium. » Denique ipse Angelus (*Luc.*, I, 33) Mariæ dixit : « Regni ejus » *non erit finis.* » — Ex quibus sic argumentamur : *Christus* manet *in æternum*; at Christus Verbum est incarnatum, seu naturæ humanæ hypostatice unitum : ergo unio hypostatica constans permansit et indissolubilis erit. — Similiter Christus est *sacerdos in æternum*, *sempiterum* habet sacerdotium : atqui est sacerdos ut Deus-homo ; ergo ut Deus-homo manet in æternum. — Idem dicas de regno Christi, *cujus non erit finis.*

PROB. 2. *Traditione.* Perpetuam unionis hypostaticæ indissolubilitatem expresse asseruerunt SS. Patres, sive cum refellendo Marcellum Ancyranum regnum Christi perpetuum prædicaverunt, sive cum hujusmodi unionem *temporariæ* unioni, qua Spiritus Sanctus cum prophetis versatus est, opposuerunt, ut S. Basilius (Hom. 25, *de Nat. Christi*), sive demum verbis explicitis, ut S. Joannes Chrysostomus (Hom. 11, alias 10, *in Joan.*, n. 2) dicens : « Carnem nostram

induit (Christus) non tanquam iterum eam derelicturus, sed secum *illam semper habiturus.* »

Quam quidem SS. Patrum doctrinam confirmavit Ecclesia, dum symbolo Nicæno contra Marcellum Ancyranum concil. Const. addenda hæc verba decrevit : « Cujus regni non erit finis ; » in Synodo vero Chalcedon., professa est unionem hypostaticam factam esse *indivisibiliter, inseparabiliter.*

Prob. 3. *Ratione theologica.* — 1. Juxta B. Paulum (*Rom.*, xi), « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur ; » ergo si secunda mors Christo indigna est, a fortiori obnoxium eum esse annihilationi animæ et corporis prorsus indignum est. — 2. Finis saltem secundarius Incarnationis est Christus dux et caput omnium creaturarum, ut per eum dignæ Deo laudes persolvantur ; ergo in æternum maneat Christus omnino necesse est. — 3. Denique, si hæc est intellectualium creaturarum conditio ut immortales perseverent, cur periret Christus homo, opificium Dei præstantissimum, cujus anima cœlites omnes eximiis dotibus superat?

ARTICULUS III.

De consectariis unionis hypostaticæ.

51. Præcipua unionis hypostaticæ consectaria sunt : divina maternitas B. Mariæ, naturalis filiatio Christi respectu Dei, idiomatum communicatio et dotes eximiæ naturæ humanæ in Christo. De his in sequentibus paragraphis dicemus ; de adoratione vero humanitati Verbo terminatæ persolvenda in speciali appendice sermo instituetur.

§ I. De divina maternitate B. Mariæ Virginis.

52. Erroros. Præter Nestorium, de quo supra, divinam B. Mariæ Virginis maternitatem negaverunt omnes hæretici, qui cum Ario Verbi divinitatem, vel cum Cerintho et aliis humanitatem Christi e medio tollere conati sunt. Sed hoc hæresiarchæ proprium fuit, quod primus Christum, Dei Filium, in alma ejus Matre impugnaverit, divinamque Mariæ maternitatem explicite denegaverit, palam asserendo : Mariam quidem

in lato et improprio sensu dici posse Θεοτόκον, *Deiparam*, non autem in proprio sensu, quo Χριστοτόκος, *Christipara*, est dicenda, quia eum genuit quem Spiritus Sanctus præ cæteris unxit, et Verbum postea accidentali moralique unione sibi conjunxit. — Nestorii blasphemiam usurpaverunt Manichæi, Albigenses, Sociniani et alii ex stirpe Lutheri et Calvini exorti hæretici.

At vero contra eos semper insurrexit Ecclesia Catholica, semperque professa est Mariam in stricto ac proprio sensu *Deiparam* esse dicendam; nec est quod illa veritas in dubium revocari possit, stabilita semel existentia ac natura unionis hypostaticæ, quæ Christum Deum esse et hominem patefacit. Hunc enim concipere ac parere Maria non potuit, quin Deum conceperit ac pepererit, ideoque vere Dei genitrix nuncupanda sit.

Sed tamen, cum in fide ac pietate christiana præcipuum sit illud dogma, meritoque habeatur ut fundamentum cæterarum Mariæ prærogativarum, non obiter et per modum tantum corollarii, verum etiam directe specialique assertione adstruendum nobis videtur. Sit igitur sequens

53. Assertio : *Beatissima Virgo Maria vere ac proprie est* DEIPARA, *seu* MATER DEI.

EST DE FIDE contra Nestorium, decernente Concilio Ephesino (*can.* 1) : « Si quis non confitetur Deum veraciter Emmanuel, et propterea *Dei genitricem sanctam Virginem* : peperit enim secundum carnem, carnem factum Verbum, secundum quod scriptum est : « Verbum caro factum est, anathema sit. »

PROB. 1. *Scriptura Sacra.* Missus a Deo ad Mariam Angelus Gabriel (*Luc.*, I, 25), dicit ei : « Quod nascetur ex te sanctum, » *vocabitur Filius Dei*; » et infra (v. 32) : « *Filius Altissimi* » vocabitur. » Concepto autem a Maria puero divinitus applicatur (*Matth.*, I, 23) Isaiæ oraculum : « Ecce Virgo concipiet » et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod » est interpretatum : *Nobiscum Deus.* » Unde sic : Illa vere est proprie *Mater Dei*, quæ, licet divinitatem minime genuerit, illum tamen concepit et peperit, qui in Scriptura *Sanctus* per excellentiam dictus, vocatur insuper *Filius Dei*, *Filius*

Altissimi, *Emmanuel* seu *Nobiscum Deus* : atqui his nominibus insignitur in Scriptura Filius, quem Maria concepit ac genuit. Ergo ipsa vere ac proprie dicenda est *Deipara*, Mater Dei.

Nec alia fuit B. Pauli doctrina, apud quem (*Galat.*, IV, 4) legitur : «Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.» Unde sequens argumentum : Filius Dei factus est ex muliere : at vero Filius Dei dici non potest factus ex muliere, nisi hæc mulier, Beata scilicet Virgo Maria, ex cujus substantia factus est, vere sit Mater ejus : ergo Beata Virgo Maria vere ac proprie est *Deipara*.

PROB. 2. *Traditione.* Unanimi ore Patres ac Doctores divinam Mariæ maternitatem profitentur ac celebrant, diversis quidem vocibus, sed in eumdem sensum conspirantibus. Namque

1. Alii *ex Maria natum esse Deum*, *Verbum Dei genitum esse* asserunt ; sic S. Ignatius (*ad Eph.*, n. 18) ait : « Deus noster Jesus Christus a Maria in utero gestatus est. » S. Hippolytus (*apud Theod.*, dial.) Mariam alloquens : « Dic mihi, inquit, o beata Maria, quid erat quod a te in utero conceptum est ?... Verbum porro Dei unigenitum e cœlo in te delapsum. »

2. Alii *ex Maria eumdem Filium in tempore natum esse proclamant*, *qui æternaliter a Patre genitus est.* Sic S. Athanasius (*de salut. ad chr.*) : « Qui extitit ante sæcula Deus, ex Nazareth homo conspectus est, genitus ex Maria Virgine et Spiritu Sancto. » S. Ambrosius (*in Psal.* XXXV) hæc habet : « Idem ex Patre genitus et ex Virgine natus; idem qui ante sæcula ex Patre, et qui in tempore carnem assumpsit ex Virgine. »

3. Alii demum *Mariam in proprio vocis sensu Deiparam nominant.* S. Dionysius Alex. dicit « Christum incarnatum (esse) ex sanctissima Virgine et *Deipara Maria.* » S. Gregorius Nazianz. hanc profert decretoriam sententiam : « Si quis non *Dei Genitricem* Mariam suscipit, extra divinitatem est. » — Quin etiam frequenter a veteribus usurpatam fuisse hanc appellationem *Deiparam* testantur S. Cyrillus Alex. (*de recta fide*, l. 5.) et Theodoretus (*Hæret. fab.*, l. 4, c. 12), qui eam invectam asserit a præconibus fidei ex apostolica traditione.

Jam vero quis non videt invictum robur inesse adductis his

testimoniis, quæ ex Patribus ipsi Nestorio anterioribus selegimus, ut evincatur totam traditionem ad astruendam divinam Mariæ maternitatem semper conspirasse.

Sed insuper idem dogma profitetur Ecclesia, ut constat tum ex symbolo Apostolorum : « Natus ex Maria Virgine » ; tum ex præcitato canone Concilii Ephesini ; tum ex praxi antiquissima et universali, cujus testem invocare possumus ipsum Julianum apostatam Christianos sic insectantem (ap. S. Cyrill., l. 8) : « Vos Mariam non cessatis vocare Deiparam. » Hinc murmur ille et tumultus, quo plebs Constantinopolitana Nestorii propositionem excepit; hinc incredibilis illa impensa Patribus gratulatio, et accensæ undique faces, statim ac editum est decretum, quo divina Mariæ maternitas vindicata est; hinc frequentior invocatio Beatæ Virginis Mariæ sub titulo Matris Dei, quæ per omnium fidelium ora in publicis privatisque supplicationibus defertur.

Prob. 3. *Ratione theologica.* Juxta omnes, terminus generationis non est natura, sed ipsa persona, seu integrum suppositum ad quod spectat natura genita : porro Beata Virgo Maria genuit Christum; ergo genuit personam, quæ in ratione suppositi naturam Christi humanam sustentat; persona autem illa est unigenitus Dei Filius, ipseque Deus, secunda Trinitatis persona. Ergo B. V. Maria genuit Deum, vereque ac proprie Dei Mater nuncupanda est.

Cæterum nihil obstat quin *Dei genitrix* vocetur Maria, etsi divinitatem non genuerit; nam cujuslibet hominis mater soli corpori dat originem, cui vi decreti divini anima infunditur; sed quia hæc ei physice conjungitur in unitate naturæ, unumque cum eo ratione subsistentiæ communis suppositum integrum constituit, ideo concipiens et pariens mulier totius hominis nuncupatur mater. Unde ad rationem matris non requiritur, ut suppositum ex omni parte producatur; sed sufficit, ut ex ea procedat per generationem et eam, quæ consequitur, similis naturæ communicationem.

Imo vero eo potiori jure hoc nomen sibi vindicat, quo præstantiori energia, virtute scilicet Altissimi, sibi communicata, sola fœtum conceperit in ratione hominis integrum ac perfec-

tum, nec fuerit ullum temporis instans excogitabile, in quo humanitas hæc perfecta Verbum non habuerit ultimum subsistendi terminum; adeo ut in Verbo et per Verbum eam complens a primo sui ortu extiterit.

54. Corollarium 1um. Ex his apparet terminum *adæquatum* et *concretum* generationis Christi ex Maria, eum scilicet, qui generatus est, fuisse unigenitum Dei Filium in natura divina et humana subsistentem, ac proinde Deum, quatenus hoc nomen sonat pro persona divina; terminum vero *formalem*, seu secundum *quem*, aut etiam *quo* genitus est Dei Filius, esse naturam humanam, abstrahendo a subsistentia et personalitate; quæ quidem natura ex substantia Virginis Mariæ Verbo communicatur. Etsi igitur Verbum ratione generationis æternæ Matre prius sit, ratione tamen generationis temporalis ea posterius est; nec est quod inde ulla peti possit objectio.

55. Corollarium 2um. Hinc patet etiam *quanta dignitas ex divina maternitate in Mariam redundet*. « Beata Virgo Maria, inquit S. Thomas (1, q. 25, a. 6, ad 4), ex hoc quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte nihil potest fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse Deo. » Haud aliter S. Bonaventura (*in spec.*, c. 3): « Majorem matrem quam Matrem Dei non potest facere Deus. » Hinc tot encomia, quibus SS. Patres divinam Virginis maternitatem extollunt; hinc tot pia officia, quibus Ecclesia fidelesque Dei matrem prosequuntur; honor enim Matri exhibitus redundat in Filium.

Hujusmodi vero dignitatis rationem quisque statim perspiciet, si attendat ad intimam affinitatem, qua vi divinæ maternitatis cum tribus personis Sanctissimæ Trinitatis Beatissima Virgo Maria conjungitur. Quod nimirum attinet ad Filium, in eo sita est hæc affinitas, quod ipse sit homo ex ipsamet prædictæ Virginis substantia. Nec alia ratione, inquit Card. Franzelin (*De Verbo Incarn.*, thesis XXXIX), « quivis nostrum cum matre sua habet naturalem conjunctionem et veluti unitatem secundum naturam; licet enim in Filio natura sit alia numero quam in matre, est tamen illa hujus fructus et ab hac tanquam a causa derivata. » — In hac autem « intima affinitate cum

Filio Dei, qui est et Filius Virginis, includitur singularis ac plane mirabilis quædam relatio ad Deum Patrem generantem Filium eumdem secundum divinam naturam, quem ipsa generavit secundum naturam humanam; et ad Spiritum Sanctum, cujus ipse Filius Virginis est principium secundum divinitatem, et fructus quidam atque effectus secundum humanitatem per Spiritus Sancti supernaturalem operationem in ipsam Virginem Matrem, » de qua fusius infra agemus.

56. Corollarium 3um. Hinc patet demum *quomodo sese habeat divina maternitas ad dona sanctificationis et glorificationis*, quibus, ex dicendis in speciali appendice, Maria fuit cumulata. Etsi nempe divina maternitas in se et physice spectata non sit formaliter ipsa sanctificatio matris, sed aliquid « alterius ordinis, pergit auctor citatus, pertinens quodam modo ad ordinem unionis hypostaticæ, quam intrinsece respicit, et cum qua necessariam habet connexionem, ut loquitur Suarez (q. 27, disp. 1, sect. 2),... est (tamen) illa radix et fundamentum in Beatissima Virgine plenitudinis gratiarum, quæ ab immaculato conceptu usque ad ejus exaltationem in cœlesti gloria super omnes meras creaturas eidem SS. matri collatæ sunt. Amplitudini videlicet dignitatis et propinquitati matris ad ipsum omnis gratiæ auctorem ac fontem commensuravit divina sapientia et bonitas amplitudinem gratiæ in ordine sanctificationis et glorificationis. Unde vix unquam SS. Patres et Doctores de sanctitate et gloria inter omnes creaturas eminente B. Virginis loquuntur, quin velut intrinsecam hujus plenitudinis rationem respiciant ipsam dignitatem matris Dei, in qua ulterius munus mediatricis et potestas reginæ cœli et terræ includitur.

§ II. De filiatione Christi naturali.

57. Status quæstionis. Filius *naturalis* ille est, qui vere genitus est ab eo, cujus dicitur filius, et titulo nativitatis jus habet ad ipsius hæreditatem. Filius vero *adoptivus* ille est, qui minime genitus est ab eo, cujus dicitur filius, sed eidem est extraneus, et titulo gratuitæ benevolentiæ in filium et hæredem assumptus est. Unde adoptio est *personæ extraneæ gratuita assumptio in filium et hæredem*.

Porro fide constat, ex Tractatu *de Trinitate*, Christum, ut Deum, esse Filium Patris naturalem eique consubstantialem. Sed quæritur utrum, posita Incarnatione, Christus, ut homo, sit etiam Filius Dei naturalis, an vero adoptivus. Quæ quidem quæstio hic agitanda venit non in sensu Nestorii, qui, negata unione hypostatica duplicique admissa in Christo persona, duos consequenter in eo profitebatur filios, naturalem unum ab æterno genitum, adoptivum alterum in tempore assumptum, sed in sensu orthodoxo, admissa scilicet unione hypostatica servataque ideo unitate personæ.

Jam vero, sæculo VIII, Felix Urgellitanus episcopus, et Elipandus, Archiepiscopus Toletanus, etsi unam in Christo personam admittere viderentur, contenderunt tamen eum, ut hominem, Filium Dei adoptivum, non vero naturalem dicendum esse : quod quidam intelligere visi sunt non tantum reduplicative de Christo, ut est *homo*, seu ratione humanitatis a divina persona præcisæ et veluti in abstracto consideratæ, sed etiam de Christo *specificative*, ut est *hic homo*, seu quatenus est persona *naturam humanam* terminans, et sic distinguitur a *Deo*. Unde duplicem in Christo admittebant filiationem, eumque dupliciter filium, natura scilicet et adoptione, asserebant, ac proinde Nestorianam de duplici persona hæresim *alia via* iterum inducebant. Ita generaliter Theologi cum Petavio, qui tenent et invicte ex coævorum testimoniis probant Felicem et Elipandum in Nestoriano sensu docuisse Christum adoptivum esse filium, etsi verbis ambiguis hæreticorum more locuti sint.

Ab isto nefando errore non satis recesserunt pauci quidam scholastici, inter quos Durandus et Scotus, quibus visum est Christum *reduplicative* ut hominem, seu spectata tantum natura humana præcisa a divina persona, seu in *abstracto*, dici posse filium Dei vel etiam totius Trinitatis adoptivum, ratione gratiarum, quibus hæc humanitas cumulata est; et in hoc sensu Vasquesius, Juenin et alii pauci mentem interpretantur Felicis et Elipandi, quos a Nestoriana labe immunes esse contendunt.

Sæculo demum proxime elapso, P. Berruyer, e societate Jesu

in libro cui titulus : *Histoire du peuple de Dieu*, tria asseruit, nempe : — 1. *Christi Jesu* conceptum in *recto* importare sanctissimam ejus humanitatem Verbo completam in ratione subsistendi; — 2. hanc sanctissimam humanitatem Verbo completam, secundum germanam generationis et filiationis rationem, dici posse ac debere filium Dei naturalem; — 3. eamdem vero sanctissimam humanitatem esse filium Dei naturalem, quatenus vox illa *Deus* supponit pro uno Deo subsistente in tribus personis agente ad extra, et per actionem transeuntem et liberam uniente humanitatem Christi sanctissimam in primo conceptionis instanti cum persona Verbi divini. Ex quibus patet novam a P. Berruyer excogitatam esse generationem divinam temporalem, quæ Christum totius Trinitatis, imo suiipsius filium naturalem argueret. Auctor tamen ultro fatebatur æternam Christi generationem æternamque ejus filiationem, quatenus persona divina est a Patre procedens; sed eam dicebat tantum *in obliquo* importari in conceptu Christi vero et genuino.

Quanti igitur sit momenti veram filiationis Christi hominis rationem accurate declarare, nemo non assequitur. Hanc explanabunt sequentes assertiones.

58. Assertio 1ª : *Christus, ut hic homo est, Filius Dei naturalis, non adoptivus, dicendus est.*

Est de fide, ut constat ex traditione ecclesiastica infra evolvenda.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Legitur (*Joan.*, III, 16): « Sic » Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » — (I *Joan.*, V, 20) : « Scimus quoniam Filius Dei venit, et de- » dit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in » vero Filio ejus. » — (*Rom.*, VIII, 32) : « Qui proprio Filio suo » non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. » Ex quibus sic : Ille qui venit, quem Deus nobis dedit, cui non pepercit, est sane Christus ut hic homo : atqui tamen ille dicitur Filius Dei unigenitus, verus illius ac proprius Filius; ergo Christus ut hic homo est Filius Dei naturalis.

Prob. 2. *Ratione.* Symbolum Apostolorum clare exprimit fidem « in Jesum Christum, *Filium Dei unicum*, Dominum nos-

trum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine... passus, sepultus », etc. : quæ quidem verba ita evolvit Symbolum Nicænum, ut unigenitus Dei filius ex Patre ante sæcula natus idem manifeste appareat, qui descendit de cœlis, incarnatus est, et homo factus est. Ergo eodem titulo Christus, ut hic homo, Dei Filius est, quo ab æterno dicendus est Filius Patris; ac proinde Filius Dei naturalis dicendus est, non adoptivus.

Nec aliter docuerunt SS. Patres, qui, dum loquuntur de Christo homine, eum dicunt esse verum et proprium Filium Dei et explicitis verbis adoptionem excludunt. Sic S. Hilarius (l. 3, *de Trinit.*) de Christo jam morituro ait : « Hic et verus et proprius est Filius origine, non *adoptione;* veritate, non nuncupatione. » S. Athanasius (c. *Apoll.*, l. 1, c. 12) : « Filius unus est; quapropter errant qui dicunt alium esse qui passus est Filius, et alium qui passus non est. » Denique S. Hildephonsus, Hispanus (*de Virginit Mariæ*), de Christo scribit : « Non est *adoptivus* filius, sed adoptator, ut ita dicam, cæterorum. »

Unde statim ac Felix et Elipandus errores suos spargere cœperunt, impugnati sunt ut hæretici, et contra eos habita sunt tria concilia, nempe Foro Juliense, anno 791, Ratisbonense, anno 792, et Francofordiense, anno 794, in quibus aut præsentes errores suos ejurare coacti sunt, aut absentes anathemate percussi sunt. Obtinuit vero præsertim Concilium Francofordiense plenarium, in quo damnatus est Adoptianismus tanquam *impia ac nefanda hæresis* numerosiorum Episcoporum consensu unanimi, promovente Carolo Magno, Adriano vero S. Pontifice præsidente per legatos et postea definitionem approbante in Concilio Romano, his verbis : « Materia causalis perfidiæ inter cætera rejicienda *de adoptione* Jesu Christi secundum carnem... Hoc Ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensum præbuit. » Quæ quidem verba plane decretoria sunt.

Prob. 3. *Ratione theologica.* — 1. Ille est Filius Dei naturalis, non adoptivus, qui a Deo genitus est; atqui Christus, ut hic homo, a Deo genitus est; nam Christus, ut hic homo, est persona Verbi conjuncta humanitati; atqui persona Verbi con-

juncta humanitati est a Deo genita; ergo. — 2. Unica est in Christo persona, uti adversus Nestorianos definitum est; ergo unica est in Christo filietas; nam filietas non est attributum naturæ, sed personæ; filietas respicit personam, de illa prædicatur, et pro multiplici persona multiplex est; jam vero si in Christo unica filietas, sane est naturalis ex omnium confesso. — 3. Si Christus ut hic homo esset tantum Filius Dei adoptivus, Beata Virgo, quæ est tantum mater Christi ut hominis, non foret mater nisi Filii adoptivi, nec proinde mater Dei : quod hæreticum est.

Diximus in assertione; *Christus ut hic homo*, id est, quatenus est persona subsistens in natura humana, et in hoc eodem sensu intelligendi sunt qui simpliciter dicunt : *Christus ut homo*. Nam si vera reduplicatione, non mera specificatione uterentur, sensus falsus subesse posset; vel enim significaretur Christum propter humanitatem assumptam esse Filium Dei, adeo ut ex ejus humanitate oriatur ratio Filii naturalis, quæ Christo convenit, et tunc propositio esset falsa et hæretica; vel significaretur ipsam humanitatem *in recto* spectatam propter suam cum Verbo hypostaticam unionem esse Filium Dei naturalem, et tunc assertio contraria etiam esset fidei regulæ, ut colligere est ex dictis.

59. Assertio 2ª : *In nullo vero ac probando sensu Christus dici potest Filius Dei adoptivus.*

Communis est et certa theologorum doctrina, quæ sine hæresis suspicione negari haud potest, atque evincitur sive negative, sive positive.

1. *Negative* quidem; nam neque in Scripturis, neque in tota traditione ullum occurrit hujus appellationis fundamentum; imo vero tum Scripturæ, tum SS. Patres non aliam perpetuo adscribunt Christo filietatem, quam propriam et naturalem.

2. *Positive* ex ratione; quocumque enim sensu sumatur nomen *filii adoptivi*, semper significabit personam extraneam, seu cui filietas non naturalis competit : porro quacumque ratione consideretur Christus, etiamsi mentio fieret humanitatis expressa, cum quavis reduplicatione et abstractione, nunquam

dici poterit persona extranea, seu carens naturali filietate respectu Dei Patri, siquidem habet hanc filietatem, nec ulla reduplicatio aut abstractio vim habere potest immutandi objecti. Ergo.

Et vero nomen filii spectat personam, non naturam abstrahendo a persona; nunquam enim natura, *ut sic*, dicta est filius, quæ proprie non generatur : ergo titulus filii adoptivi spectat etiam personam, non naturam abstrahendo a persona ; adoptio quippe, ad imitationem generationis, est assumptio personæ, non naturæ, in filium. Ergo, cum persona Christi hominis sit filius Dei naturalis, quæcumque in ejus humanitate forma aut gratia recipiatur, ea efficere non potest, ut Christus appelletur filius adoptivus.

60. Assertio 3ª : *Christi Domini conceptus omnino pervertitur, si filiatio divina temporalis humanitati in recto adscribatur.*

Ita communiter omnes auctores qui post evulgatum P. Berruyer systema scripserunt. Probatur insuper

1. *Scriptura Sacra.* Nam in Scripturis Christus dicitur *existens ante Joannem, ante Abraham, ante constitutionem mundi, consubstantialis Patri, illi æqualis, factus caro, factus homo :* porro hæc nullatenus *in recto* de ipsa humanitate intelligi possunt, sed de ipsa persona Verbi quæ eam complet; ergo.

2. *Traditione.* In fidei Symbolis Jesus Christus dicitur *unigenitus Dei filius*; ergo non est in eo duplex generatio, duplexque filiatio. Dicitur *Deus de Deo, lumen de lumine, genitus, non factus, Patri consubstantialis,* qui tamen descendit de cœlis et incarnatus est, crucifixus et sepultus est. Ergo, sicut in divinis, ita et in humanis, persona, non vero natura, *directe* Christus esse intelligenda est juxta catholicam fidem. Qua de causa nulla Patrum testimonia ad suam tuendam sententiam invocare potuit P. Berruyer, nec nisi specie tenus faventes sibi allegavit theologos. Quin imo censuram publice doctrinæ ejus inussit Facultas Parisiensis ; opus vero supra memoratum damnatum est præsertim in secunda et tertia parte tum a plurimis Galliæ Episcopis, tum a Sede Apostolica, decreto so-

lemni quod edidit Clemens XIII, die 2 decembris, anno 1758. Nec fuit deinceps qui ausus sit doctrinam auctoris propugnare.

3. *Rationibus theologicis.* Namque — 1. nomina *Christi et Filii*, non tantum quia concreta sunt, sed ex recepta significatione, personæ attribuuntur : ergo de humanitate *in recto* dici nequeunt. — 2. Ad generationem requiritur, ut filius sit ex substantia Patris : atqui humanitas Christi, dum creata est a Deo Verboque hypostatice unita per actionem transeuntem, nihil accepit ex substantia Dei : ergo. — 3. Si duplex est generatio Christi divina, una a Patre pro Verbo, altera a Deo subsistente in tribus personis pro humanitate Verbo unienda, duplex est filius in Christo; si autem duplex filius, duplex est etiam persona, quia filietas est proprietas personalis, quæ non potest multiplicari qnin multiplicentur personæ; et sic reviviscit Nestorianismus, non tantum in se, sed etiam in suis consectariis : Maria quippe jam non potest vocari *Deipara*, quæ filium humanitatem haberet.

61. Corollarium. Ex jam dictis facili negotio deducere fas est an et quatenus Christus, *ut homo est*, dici possit *servus Dei*. Nempe

1. Christus in *sensu stricto* servus Dei dici nequit; servus enim hujusmodi est persona extranea, quæ sui juris non est, sed domini ad cujus hæreditatem et bona jus nullum habet. At vero Christus non est persona extranea, etiam ut *hic homo* est, sed est Filius Dei naturalis, et vi originis suæ jus habet ad hæreditatem et bona Patris. Ergo veri nominis servus dici nequit. Nec dicatur Christum accepisse formam servi, cum factus est; respondet enim S. Leo (Hom. 2, *de Nat. Dom.*) : « Creata est forma servi, sine conditione servili; » quod quidem omnino confirmat concilium Francofordiense dicens : « Si Deus verus est qui de Virgine natus, quomodo tunc potest adoptivus esse aut servus. » — Rem vero sic theologice explicat P. Perrone : « Etsi humana Christi natura, utpote creata res, secundum se naturali obnoxia esset servituti, attamen, cum ipsa ne uno quidem momento sibi relicta fuerit, sed in Verbo semper substiterit, omnem propterea servitutis

rationem ita amisit ut Domini potius quam servi natura sit appellanda. »

2. Hæc quidem de servi nomine in stricto sensu ; at in sensu *lato* et *impropriо* hæc denominatio Christo convenire potest, quatenus scilicet libere, non vero necessaria conditione, naturam dependentem assumpsit, et ita factus est legi Deoque subjectus. Quod quidem asserit variis locis B. Paulus dicens eum factum esse sub lege, formam servi accepisse, obedientem fuisse usque ad mortem, subjectum esse ei, qui subjecit sibi omnia; confirmant SS. Patres qui in eodem sensu Christum servum vocant, nempe, ut ait S. Augustinus (*de civ. Dei*, l. 18, c. 34), « propter formam servi, quia factus est homo ». Ratio ipsa arguit, quia, ex mox dicendis, quæ ad naturam humanam pertinent de Christo prædicari possunt : porro dependens est natura humana Christi a Deo, et hæc dependentia nomine concreto *servi* exprimitur; ergo Christus *servus* dici potest, cum restrictione tamen, scilicet : *secundum naturam humanam*, ad declinandum abusum.

§ III. De communicatione idiomatum.

62. Communicationis idiomatum notio. *Idioma* græce idem est ac latine *proprietas :* unde, juxta vim nominis, communicatio idiomatum est communicatio proprietatum. Hæc autem definiri solet : *Naturæ divinæ et humanæ earumque proprietatum de Christo ac de se invicem prædicatio.* Porro id duplici modo fieri potest, *in concreto* scilicet et *in abstracto; in concreto*, si adhibeantur nomina *concreta*, id est, quæ etsi primario formam aliquam significent, eam tamen exprimunt prout in subjecto subsistit, qualia sunt *Deus, homo, Christus*; *in abstracto*, si naturæ vel proprietates designantur nominibus *abstractis*, seu quæ formam a subjecto separatam significant, cujusmodi sunt *divinitas, humanitas, æternitas.*

Duplex igitur distinguitur idiomatum communicatio; prior dicitur *in concreto* et legitima est, sed rejecta est a Nestorio, qui, sublata unione hypostatica, consequenter negare debuit fieri posse propriam et realem idiomatum communicationem, nec aliam admisit nisi *impropriam* et *metaphoricam* in unione

morali, quam inter utramque naturam adesse contendebat, fundatam. — Posterior vocatur *in abstracto*, et propugnatur ab Eutychianis, qui unicam in Christo admittentes naturam ex duobus permixtam, communicationem idiomatum etiam *in abstracto* adhibendam esse logice dixerunt. — Eumdem errorem ex parte renovarunt nonnulli Lutherani, docentes aliquas saltem divinæ naturæ proprietates humanitati vere ac proprie communicatas fuisse, et imprimis ubiquitatem; unde dicti sunt Ubiquistæ.

Catholicam vero doctrinam ea de re sequentes assertiones declarabunt.

63. Assertio 1ª : *Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua multiplex hujusce communicationis idiomatum reperire est exemplum; sic — 1. de Christo prædicantur *in concreto* utriusque naturæ proprietates, quando Christus dicitur *Filius Dei* et *filius hominis* (*Matth.*, xvi, 16-19), *unum cum Patre et minor Patre* (*Joan.*, x, 30 et xiv, 28); — 2. de natura divina seu de Deo prædicantur etiam *in concreto* proprietates naturæ humanæ et hæc ipsa natura, cum Filius Dei dicitur « *factus ex semine David secundum car-* » *nem* » (*Rom.*, i, 3), « *pro nobis traditus in mortem* » (*Ibid.*, viii, 32), « *factus ex muliere* » (*Gal.*, iv, 5), « *Dominus gloriæ crucifixus* » (I *Cor.*, ii, 8); — 3. similiter de homine seu de natura humana prædicantur *in concerto*, quæ ad Deum pertinent, quando Filius hominis dicitur « *is qui est in cœlo* » (*Joan.*, iii, 13), « *qui est, antequam Abraham fieret* » (*Joan.*, viii, 58).

Prob. 2. *Traditione.* Præterquam enim quod concilium Ephes. definivit contra Nestorium B. Virginem Mariam esse vere matrem Dei, quia ille *homo*, cujus est mater, *est vere Deus*, SS. Patres frequenter in suis scriptis idiomatum communicationem usurpant, uti videre est in textibus jam adductis, ubi de unitate personæ Christi adversus Nestorium. Imo conceptis verbis hanc de communicatione idiomatum doctrinam tradunt ac propugnant; pro quibus citare juvat S. Vincentium Lirin., qui (*Commonit.*, c. 15) dicit : « Propter quam personæ unitatem indifferenter atque promiscue et *quæ Dei*

sunt propria, tribuuntur homini, et *quæ carnis propria, adscribuntur Deo.* »

Prob. 3. *Ratione.* Vel enim ambæ naturæ earumve proprietates de Christo prædicantur, vel de se invicem : porro utrumque legitimum esse, si *in concreto* fiat, exinde patet, quod — 1. de persona recte prædicentur quæcumque ei insunt; — 2. nomina concreta, prout observavimus supra, non solum formam ejusque proprietates, sed etiam subjectum seu personam cui insunt significent; unde in posteriori casu idem est ac si de ipsa persona prædicarentur, quæ de naturis earumve proprietatibus dicuntur; pro cujus elucidatione sint in exemplum hæ propositiones : *Deus est homo*; *mortalis est immortalis* : nemo autem non videt eas in sequentes resolvi : *Persona, quæ habet naturam divinam, habet etiam naturam humanam*; *persona, quæ est mortalis secundum naturam humanam, est immortalis ratione naturæ divinæ, quæ una cum humanitate ipsi inest.*

Ex quibus patet communicationem idiomatum in concreto fundari tum in unione hypostatica, ratione cujus unum et idem suppositum duplicem habet naturam, divinam et humanam; tum in propria significatione nominum concretorum, quæ licet primario formam significent, in recto tamen pro persona supponunt. Unde S. Thomas de hac idiomatum communicatione (3, q. 16, a. 4) disserens, apposite omnino ait : « Hujus ratio est quia, cum sit *eadem hypostasis* utriusque naturæ, *eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ.* Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinæ et humanæ naturæ. Et ideo de homine possunt dici ea, quæ sunt divinæ naturæ, tanquam de hypostasi divinæ naturæ; et de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ tanquam de hypostasi humanæ naturæ. »

64. Assertio 2ª : *Illegitima est communicatio idiomatum in abstracto.*

Prob. 1. *Auctoritate*, sive *Scripturæ*, in qua idiomatum communicatio semper *in concreto*, nunquam vero *in abstracto* adhibetur; — sive *SS. Patrum et conciliorum*, quibus etiam constanter et unanimiter tanquam illegitima habita fuit istius-

modi communicatio idiomatum. Hoc quidem argumentum negativum est, sed tamen ad convincendos adversarios idoneum.

Prob. 2. *Ratione theol.*; tum quia talis loquendi modus cum distinctione duarum Christi naturarum componi nequit; tum quia prædictæ naturæ earumque proprietates, utpote distinctæ, in nullo communi vinculo uniuntur, cum *in abstracto* considerantur; tum quia in ipsomet homine, etsi corpus et anima in unam naturam coalescant, nec animæ proprietates corporis, nec corpori animæ proprietates tribuuntur.

65. Assertio 3ª : *Nullatenus dici potest Christi humanitatem esse ubique præsentem.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*; ex qua patet Christi humanitatem sive ante mortem, sive post mortem, non ubique, sed contra loco determinato circumscriptam esse; sic (*Matth.*, XXVIII, 6) legitur : « Jesum, qui crucifixus est, non est *hic*; » item (*Joan.*, XI, 15) : « Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut cre» datis quia *non eram ibi*; » et (*Ibid.*, 21) : « Domine, si » fuisses *hic*, frater meus non esset mortuus. » Quibus alia multa addi possent, ubi Christus exhibetur de loco in locum transiens; modo in monte, modo in templo, modo in navi consistens; quæ quidem et similia prorsus absona essent, si Christus, secundum humanitatem, ubique præsens esset.

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres unanimi ore docent Christi humanitatem ubiquitate carere; pro quibus unum satis sit S. Augustini testimonium : « Secundum hanc formam (naturam humanam), inquit (Epist. 187, alias 57 *ad Dard.*, n. 10), non est putandus (Christus) *ubique diffusus.* Cavendum enim est ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. »

Prob. 3. *Ratione theol.* Nam de fide est contra Eutychianos duas esse in Christo naturas, easque etiam post unionem inconfusas et impermixtas permansisse, ita ut quælibet suas proprietates servaret : ergo natura humana non est ubique præsens, sed uno loco circumscripta. — Etvero, si humanitas Christi esset ubique præsens ob suam cum Verbo ubique præsenti unionem, ut volunt adversarii, alia etiam attributa di-

vina, utpote cum essentia divina identificata, eidem communicari debuissent; quod nemo unquam asserere ausus fuit. — Demum omnia Christi mysteria et imprimis dogma realis præsentiæ hoc systemate evertuntur; data siquidem omnipræsentia Christi secundum humanitatem, nec vere ex utero Virginis in lucem ille prodiit, nec in cœlos vere ascendit, nec inde tanquam judex vere venturus est, nec per consecrationem sub speciebus eucharisticis vere præsens sistitur; imo fieri nequit ut corpus Christi accipiatur et manducetur; quod enim ubique est, non potest ex ore in stomachum transmitti. Ergo.

66. Scholium. *Traduntur regulæ ad communicationem idiomatum recte adhibendam servandæ.* — Principii instar ponendum ducimus — 1. nullam vocem vel proprietatum attributionem adhibendam esse, quæ sensu genuino, obvio et naturali vel unitatem personæ vel naturæ distinctionem in Christo lædat; — 2. in delectu verborum aut propositionum non tam ad grammaticum sensum quam ad usum Scripturæ, Patrum et theologorum attendendum esse ex quo magis quam ex etymologia pendet vis locutionum dogmaticarum. Utrumque patet.

Præterea regulæ proponendæ aliæ ad nomina abstracta, aliæ ad nomina concreta spectant. Hæc autem possunt esse substantiva vel adjectiva; *substantiva* ea sunt, quæ rei naturam tanquam formam cum subjecto exprimunt, v. g., *Deus*, *homo*; *adjectiva* vero illa, quæ non ipsam naturam cum subjecto significant, sed tantum formam aliquam seu necessario, seu accidentaliter naturæ adjacentem, vel ejusdem naturæ actionem aliquam aut passionem aut participationem; cujusmodi sunt *immortalis*, *natus*, *humanus*, *divinus*. — Rursus nomina adjectiva dicuntur *absoluta*, si proprietates, actiones, vel passiones naturæ exprimunt; *derivata*, si participationem aliquam naturæ designant. — Quibus prænotatis

I. Quoad *nomina concreta*, sequentes tradi solent regulæ :

1. *Nomina concreta substantiva de Christo et de se invicem prædicari possunt.* Ratio facile deducitur ex notione præallata hujusmodi nominum. Unde recte dicitur : *Christus est homo*, et *Christus est Deus*; *Deus est homo* et *homo est Deus*.

2. *Nomina concreta adjectiva, quæ sunt absoluta, de Christo etiam et de se invicem merito prædicantur.* Sic dici potest Christum esse *mortalem* et *immortalem*, Deum esse *natum*, *passum*, etc. Ratio est quia illa omnia suppositum sonant et ad illud referuntur.

3. *Nomina concreta adjectiva, quæ sunt derivata, minus accurate de Christo et de se invicem dicuntur.* Sic, v. g., minus recte diceretur Christum esse *divinum* vel *humanum*. Ratio est quia Christus naturam divinam aut humanam non modo participat, sed utramque complectitur et habet. Attamen hujusmodi locutiones non absolute erroneæ sunt, imo non raro a piis et doctis usurpantur (v. g., *divin Jésus*), ac proinde merito pronuntiavimus hæc *minus accurate* dici.

His autem regulis nonnullas cautiones sedulo adhibendas addere solent theologi. — *Prima* est ut nomen substantivum personam creatam non designet, uti, v. g., si diceretur : *Hic homo factus est Deus*, vel : *Christus est merus homo.* — *Secunda* ut nulla reduplicatio adhibeatur, quod fieret, si diceretur : *Christus, ut homo, est æternus*; hæc quippe particula *ut* aliave similis eam vim habet ut naturam a subjecto abstrahat, solamque formam considerandam exhibeat. — *Tertia*, ut illæ vitentur loquendi rationes quæ, etsi veræ in se, hæresi tamen promovendæ adjumento esse possunt; sic licet Christus, ut homo, sit creatura, attamen simpliciter pronuntiandum non est : *Christus est creatura* (cf. Legrand, *de Incarn.*, dis. 6, c. 4).

II. Quod vero attinet ad *nomina abstracta*, hæc notanda ducimus, duce iterum eodem auctore :

1 *Nomina abstracta naturarum earumque proprietatum de se invicem prædicari non possunt.* Sic dici non potest : *Natura divina est natura humana, vel humanitas est æternitas.* Ratio est quia ambæ naturæ necnon earum proprietates unione hypostatica non confunduntur, sed distinctæ manent et inconfusæ.

2. *Nomina abstracta naturæ humanæ de Christo prædicari non possunt.* Sic dici nequit Christum esse humanitatem, vel humanitatis proprietates. Ratio est quia natura humana et ejus proprietates, etsi uniantur Verbo, ab ipso tamen realiter

distinguuntur. Possunt tamen nomina abstracta naturæ divinæ de persona Christi in sensu reali prædicari, quia divinitas et divinitatis attributa realiter identificantur cum persona Christi, nempe Verbo divino. Hinc recte dicitur *Christum esse divinitatem, omnipotentiam,* etc.

3. *Nomina concreta,* seu *substantiva,* seu *adjectiva unius naturæ non possunt de alia natura prædicari aut de ejus partibus.* Sic dici nequit: *Divinitas est homo, humanitas est Deus; Divinitas est nata, passa,* etc.; ratio est quia, cum naturæ distinguantur, necesse est ut quæ propria sunt uni, non possint de altera prædicari.

Observant demum theologi nomina adjectiva, quibus unio hypostatica seu assumptio naturæ humanæ asseritur, de Christo Deo et homine non posse promiscue dici. Sic, etsi recte dicatur: *Deus incarnatus,* non tamen dici potest: *Homo incarnatus.* Ratio est quia communicatio idiomatum supponit unionem hypostaticam, cujus est appendix; nec proinde ad ea quæ illam unionem constituunt, se extendit.

§ IV. De eximiis humanæ Christi naturæ dotibus.

67. Christi humanitatem ob suam cum Verbo unionem eximiis prærogativis decoratam fuisse quisque statim intelligit. Præcipuæ sunt summa *sanctitas,* multiplex et excellens *scientia,* omnimoda *impeccabilitas*; quibus accedunt cæteræ Christi hominis proprietates ad *appetitivum sensivitum,* vel ad *corpus* spectantes.

I. *De sanctitate Christi.*

68. Prænotanda. — I. Sanctitas, prout hic intelligitur, ea est perfectio, qua homo vel angelus ita ad esse divinum elevatur, ut Deo gratus et dilectus, ejusque filius constituatur, ad opera supernaturalia elicienda disponatur, atque æternæ hæreditatis capax efficiatur. — Duplex autem in Christo distingui solet sanctitas, una scilicet *substantialis,* seu gratia unionis quæ communicatur per conjunctionem humanæ ejus naturæ cum ipsamet sanctitate substantiva et essentiali, divina nempe natura; altera vero *accidentalis,* quæ fit per gratiam

sanctificantem et habitus supernaturales ei annexos, ideoque accidentalis dicitur, quia recipitur in anima Christi sicut accidens in subjecto.

69. — II. Affirmant communiter theologi humanitatem Christi per ipsam unionem hypostaticam *formaliter* sanctificatam fuisse. Hæc quippe sanctificatio per aliquod substantiale a gratia habituali distinctum facta haud raro in Sacris Scripturis exprimitur nomine *unctionis* (Cf. *Isai.*, LXI, 1; *Luc.*, IV, 8; *Ps.* XLIV, 8; *Dan.*, IX, 24). *Ungere* enim idem metaphorice significat ac sanctificare : porro « Deus Pater, inquit S. Gregorius Naz. (orat. 10, al. 5), unxit Christum oleo exultationis præ participibus suis, cum humanitatem divinitate unxit, ut ambo unum faceret. » Ergo. Neque aliud innuit Christus ipse (*Joan.*, X, 36) dicens : « Quem Pater *sanctificavit et misit in* » *mundum*, » etc.; — Suffragantur SS. Patres, qui loca Scripturæ in quibus Christus dicitur *unctus*, sic intelligunt, ut velint divinitatem fuisse *unguentum*, assumptionem vero, seu unionem hypostaticam, fuisse *unctionem*; audiatur solummodo S. Augustinus (l. 15, de *Trinit.*) hæc scribens : « Tum intelligendus est *unctus* (Christus), quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura... Dei Verbo in utero Virginis copulata est, ita ut cum illo fieret una persona. » — Favet denique ratio, siquidem per unionem hypostaticam humana natura Christi non tantum *participative*, sed *in se*, ad esse divinum trahitur : unde Christus, ut homo, naturalis Dei filius efficitur, neque solum supernaturaliter operari potest, sed operationes ejus theandricæ infinite meritoriæ sunt; ipseque jus inamissibile ad æternam hæreditatem possidet.

Dixi *formaliter*, non quod Verbum habet rationem formæ respectu humanitatis Christi, sed quia per gratiam unionis vere, proprie atque actualiter sanctificatur Christi humanitas; quod diligenter advertendum est ad tollendam quorumdam æquivocationem, qui ideo negant humanitatem a Verbo sanctificari, quia non exercet munus formæ.

70. Quod attinet ad sanctitatem accidentalem, non desunt qui eam Christo denegarunt, eo prætextu, quod, data sanctificatione substantiali, de qua modo, superflua videatur quævis alia

sanctificatio. Hanc autem sententiam omnino rejiciendam esse sequentes assertiones demonstrabunt :

Assertio 1ª : *Anima Christi gratia sanctificante exornata fuit.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Huc primum faciunt verba Isaiæ (LXI, 1) : « Spiritus Domini super me : propter quod unxit me »; quæ de se dicta fuisse asserit Christus (*Luc.*, IV, 21); hæc autem juxta communem interpretationem significant Spiritum Sanctum esse in anima Christi per donum gratiæ sanctificantis. — Item (*Joan.*, I, 14) Christus dicitur « *plenus gratiæ et* » *veritatis;* » quem locum exponens S. Fulgentius (lib. *de fide ad Petrum*, c. 2) sic habet : « Ideo S. Evangelista plenum gratiæ et veritatis prædicat, quia in divina natura, in qua Deus veritas est, veritatis plenus est; et in humana natura, in qua homo verus, *gratia* factus est plenus. »

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum*, pro quibus sit S. Bernardus (hom. 4 super *Missus est*) hæc verba S. Lucæ : « Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, » sic explanans : « Posuit indefinite *sanctum*, quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, *sanctum* procul dubio, ac singulariter sanctum fuit, et *per Spiritus sanctificationem*, et *per Verbi assumptionem*. » Quibus verbis utramque Christi sanctitatem complectitur : *substantialem*, per Verbi assumptionem; et *accidentalem*, per Spiritus sanctificationem.

Prob. 3. *Ratione theol.*, et quidem ex triplici capite : *primo* ex unione humanitatis ad Verbum : nam quanto aliquod receptivum est proximius causæ influenti, tanto magis de illius influxu participat : sed anima Christi per unionem hypostaticam intime Deo conjungitur, qui est causa gratiæ. Ergo in se recipit habitualem gratiam perfectissime. — *Secundo* propter nobilitatem animæ Christi : nam quæcumque perfectio non repugnans supposito divino, et homini possibilis, Christo tribuenda est. — *Tertio*, quia Christus gratiam effundit in cæteros homines, velut caput in membra, et tanquam fons in rivulos, juxta illud Joannis (I, 16) : « De plenitudine ejus nos omnes » accepimus, gratiam pro gratia » (Cf. S. Thomas, 3, q. 7, a. 1).

71. Assertio 2ª: *In Christo fuerunt tum virtutes theologicæ vel morales per se infusæ, quarum actus visioni beatificæ vel unioni hypostaticæ non repugnant, tum etiam virtutes morales, quæ propriis nostris actibus acquiruntur.*

Prima pars patet, quia hujusmodi virtutes connectuntur cum gratia habituali, ut proprietates ejus, eamque semper comitantur; unde sicut gratia habitualis fuit in Christo, ita et illæ virtutes. Adde quod habitus virtutum dantur ad connaturaliter et suaviter operandum, imo habitus supernaturales dantur ad simpliciter posse operari. Ergo, ut Christus connaturalitur operaretur, et eliceret opera supernaturalia meritoria et satisfactoria, a Deo illi infusi sunt habitus virtutum supernaturalium.

Diximus tamen : *quarum actus visioni beatificæ vel unioni hypostaticæ non repugnant*, eo quod nonnullæ sunt virtutes supernaturales, quæ ob hanc rationem a Christo removendæ sunt. Hujusmodi sunt præsertim : — 1. *Fides*, quæ, cum sit de rebus obscure cognitis repugnat claræ Dei visioni; — 2. *Spes*, quæ, cum sit de bono nondum habito et possesso, cum ejus fruitione incompossibilis est. Advertunt tamen auctores Christum sperare potuisse ea quæ nondum habebat, v. g., corporis sui glorificationem; — 3. *Pœnitentia*; hæc enim, cum sit dolor de peccato non alieno, sed proprio, cum unione hypostatica, quæ, ut infra patebit, hominem reddit ab intrinseco impeccabilem, stare nequit.

Secunda pars ita probari potest : Appetitus sensitivus Christi, cum esset ejusdem rationis cum nostro, non erat, ratione propriæ entitatis, complete et perfecte inclinatus ad actum naturalem honestum; unde ut prompte illum eliceret, forma superaddita indigebat : sed hæc non poterat esse alia, quam virtus acquisita; nam unio hypostatica, cum non sit operativa, non potest esse forma inclinans in actus honestos; gratia vero habitualis, et virtutes infusæ ipsam consequentes, solum in actus supernaturales inclinant. Ergo Christus virtute naturali indigebat ad eliciendos actus naturales honestos.

Dubitatur tamen utrum has virtutes morales per se acquisibiles Christus habuerit *per infusionem*, vel *propriis actibus*.

Probabilius videtur eas habuisse per infusionem; secus enim Christus his virtutibus aliquando caruisset; quod importat defectum ab ipso removendum.

72. Assertio 3ª : *Christus omnia dona Spiritus S. habuit.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra;* namque (*Isai.*, xi, 2, 3) legitur : « Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et » intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ » et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini. » Hæc autem sunt septem dona Spiritus Sancti. Ergo.

Prob. 2. *Ratione theol.*, tum quia dona illa consequuntur gratiam sanctificantem; tum quia potentias animæ perficiunt, prout sunt mobiles a Spiritu Sancto ideoque esse debuerunt in anima Christi, qui perfecte movebatur a Spiritu Sancto, juxta illud Sancti Lucæ (iv, 1) : « Jesus autem plenus Spiritu » Sancto regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu in » desertum. » Ergo.

Occurrit tamen aliqua difficultas de dono *timoris;* quæ ut solvatur, animadvertere satis erit in Christo fuisse timorem Dei, non quidem secundum quod includit formidinem mali faciendi aut mali propter culpam a Deo inferendi, sed secundum quod anima Christi affectu quodam reverentiæ movebatur in Deum a Spiritu Sancto; quod est actus primarius timoris, ut est donum.

73. Quæritur 1. *Quandonam Christus habuerit gratiam habitualem?*

Resp. Gratia habitualis a primo instanti conceptionis Christo infusa fuit; quum enim sequatur unionem hypostaticam, eodem momento, quo anima Christi Verbo divino hypostatice unita fuit, gratia quoque habituali ornari debuit. — Hæc tamen non habenda est ut proprietas physica, sed moralis tantum unionis hypostaticæ. Ratio est quia proprietates physicæ debent dimanare ab aliqua natura, quæ ad illas se habeat per modum principii radicalis : sed ex humanitate et subsistentia Verbi ipsi unita, non constituitur tertia aliqua natura. Unde potest tantum dici proprietas moralis unionis hypostaticæ, quia est ei connaturaliter debita, et quia debuit humanitas a Verbo assumpta exornari gratia habituali. — Imo, juxta

S. Thomam, Christus in primo instanti suæ conceptionis, per actum liberi arbitrii ad gratiam habitualem ipsi tunc infusam se disposuit, siquidem iste modus sanctificationis per actum proprium, ut in adultis, est perfectior quam sanctificari per actum alienum, ut in parvulis.

Ex his vero manifeste sequitur Christum a peccato originali penitus immunem fuisse. Quod quidem confirmari potest *theologica ratione*, quia nempe Christus non per naturalem generationem, sed, operante Spiritu Sancto, ex Maria Virgine sine consortio maritali conceptus est; nec in personam divinam peccatum cadere potest, ut magis ex dicendis patebit.

74. Quæritur 2. *Quænam fuerit perfectio gratiæ habitualis Christi?*

Resp. In Christo fuit plenitudo gratiæ tam intensiva quam extensiva. Unde (*Joan.*, I, 14) dicitur : « Vidimus eum... *plenum* » *gratiæ* et veritatis. » Id vero ita declarari potest : tunc forma aliqua habet plenitudinem intensivam cum reperitur in summo gradu perfectionis, sicut calor est plene in igne et lux in sole; tunc vero habet plenitudinem extensivam, cum se extendit ad omnes suos effectus sibi proprios, ut vita est plene in homine, quia in eo sunt omnes vivendi modi. Atqui gratia habitualis in Christo fuit in summo gradu, ut facile eruitur tum ex propinquitate animæ Christi ad Deum gratiæ auctorem, tum ex eo quod gratiam Christi anima accepit, ut ex ea transfunderetur in alios. — Insuper eadem omnes effectus suos in eo habuit, potestque quantum de se ad sanctificationem infinitorum hominum et Angelorum, si essent possibiles, extendi. Ergo (Cf. S. Thomas, 3, q. 7, a. 9).

Unde cum in Scriptura (*Luc.*, II, 52) legitur quod « Jesus » proficiebat... ætate et *gratia* apud Deum et homines » hoc non est intelligendum de vero profectu in gratia secundum *essentiam*, sed de ostensione sanctitatis respondente majori ætati, seu de profectu secundum *effectum* (cf. S. Thomas, 3. q. 12, a. 1). Hujusmodi vero profectus apud Deum et homines fieri dicitur, tum quia verum fuit profectus externus, tum quia coram Deo gratus et meritorius fuit (cf. card. Franzelin, th. 41).

75. Quæritur 3. *Utrum Christus habuerit gratiam actualem necnon gratias gratis datas?*

Resp. *Affirmative* quoad utrumque. Etenim

I. Quod ad *gratiam actualem* attinet, legitur (*Matth.*, IV, 1) Christum a Spiritu Sancto in desertum ductum fuisse : porro hæc Spiritus Sancti motio nihil aliud est quam gratia actualis. Ergo. — Et vero animæ Christi ad actus supernaturales connaturaliter eliciendos necessaria fuit gratia actualis : ergo illam habuit. Patet antecedens ex eo quod ordo actuum supernaturalium omnino prætergreditur naturalem capacitatem animæ humanæ etiam Verbo unitæ; unio enim ad subsistentiam naturæ assumptæ terminatur, nec per se potentias formaliter elevat easve a concursu Dei sive naturali, sive supernaturali eximit (Cf. Suarez, *de Incarn.*, disp. 18, sect. 4). — Advertit tamen auctor citatus animam Christi, prout beata erat, non indiguisse gratia excitante; ratio est quia visio intuitiva « fuit illi principium sufficiens, ut per seipsam posset se veluti excitare et applicare ad considerandum quidquid ad omnem rectam et supernaturalem operationem necessarium est; amor vero satis etiam movit et impulit illam voluntatem ad omnem hujusmodi actum. »

II. Gratiæ *gratis datæ* hominem ordinant ad munera in utilitatem aliorum exercenda novemque ab Apostolo (I *Cor.*, XII, 7) enumerantur. Porro S. Thomas (3, q. 7, a. 7) probat in Christo fuisse hujusmodi gratias tum ex S. Augustino (Epist. *ad Dard.*) dicente quod sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiæ; tum etiam quia gratiæ gratis datæ ad hoc communicantur, ut Evangelii doctor fidem, quam annuntiat, signis confirmet et verbis persuadeat : ergo in excellentissimo fidei prædicatore et doctore, qualis fuit Christus, omnes illæ gratiæ reperiri debent.

II. *De scientia Christi.*

76. Certum est in Christo, præter scientiam divinam Verbo propriam, adesse scientiam humanam, seu creatam, in intellectu ejus humano sistentem; id nempe sequitur ex supra dictis contra Eutychianos et Monothelitas. — Triplex vero

distingui potest scientia creata; *beatifica* nimirum, qua Deus clare videtur, et in Deo id omne, quod beatorum statui competit, intuitive cognoscitur; *infusa*, qua per species a Deo inditas res in seipsis apprehenduntur, sive sint supernaturales, v. g., mysteria, et tunc scientia dicitur *per se* infusa; sive sint naturales, et in eo casu scientia est infusa *per accidens; acquisita*, quæ propriis actibus a nobis comparatur. — Quæstio est igitur an et quatenus triplex hæc scientia in Christo fuerit.

77. Assertio 1ª. *Christus ut homo a primo instanti conceptionis suæ scientiam beatificam habuit.* Certum est.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Enimvero (*Joan.*, I, 18) legitur : « Deum nemo vidit unquam : Unigenitus Filius, *qui est in* » *sinu Patris, ipse enarravit.* » Porro ex his verbis merito colligitur Christum hominem Dei visione gavisum fuisse, siquidem ideo potuit divina mysteria enarrare, quia Deum vidit eo modo quo a nullis hominibus visus est, scilicet *intuitive*. Ergo. — Neque aliud intendebat Christus, quando de se, ut homine, loquens hæc habebat : « Omnis qui audivit a Patre et » didicit, venit ad me : non quia Patrem vidit quisquam, nisi » qui est a Deo; *hic vidit Patrem* » (*Joan.*, VI, 45, 46), aliave similia proferebat, uti videre est (*Joan.*, XVII, 24; VIII, 55; III, 13, etc.).

Prob. 2. *Traditione.* Eusebius Cæsariensis (*Evang. dem.*, l. 3, c. ult.) in hæc verba *Psal.* XXI : « De ventre matris meæ Deus meus es tu, » Christum ita loquentem inducit : « Cum adhuc inter cellam gestantis me laterem, te Deum meum videbam. » S. Joannes Chrysostomus (Hom. *in Joan.*, 15, n. 1) sic se habet : « Dominus Rex, Regis filius, longe majora nobis attulit, qui *cum Patre semper est, et videt eum perpetuo.* » Hæc sufficiunt.

Prob. 3. *Ratione.* Christus per unionem hypostaticam constitutus fuit caput Ecclesiæ, ad supremum esse supernaturale assumptus, et intime conjunctus cum auctore gratiæ : atqui hoc triplici titulo exigebat scientiam beatam; ratio est — tum quia gloriam per modum capitis influere nequit, nisi eam actu præhabeat; — tum quia elevationem ad supremum esse suprema operatio, seu visio beatifica, necessario consequitur; —

tum quia tanto magis aliquid participat causæ influxum, quanto ei propinquius est. Ergo.

Etvero ea fuit humanitatis a Verbo assumptæ perfectio, ut ei tribuendum sit quidquid dignius et excellentius est, modo non repugnet fini Incarnationis : atqui visio beatifica est quid dignissimum et excellentissimum, nec fini Incarnationis adversatur; namque sufficiebat ad humani generis redemptionem Christum dolori et morti obnoxium esse, seu comprehensorem simul et viatorem ; quod quidem fieri non potuisse nullatenus probatur.

Cæterum nihil obstat quominus in anima Christi simul fuerit summum gaudium ex visione beatifica, et maxima tristitia aliunde procedens : etsi enim summum gaudium summam tristitiam naturaliter excludat, supernaturali dispositione contingere potest ut hæc duo consocientur, saltem si sint in diversis potentiis et circa diversa objecta, vel etiam idem sub diversa ratione apprehensum.

Apposite ad hæc scribit (3, q. 15, a. 5 ad 3) S. Thomas : « Virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur quod non derivabat ad corpus, ne ejus passibilitas et mortalitas tolleretur; et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur. »

Diximus in assertione : *a primo instanti conceptionis suæ*, quia eo usque ducunt adducta argumenta; nec datur ratio scientiam beatificam in aliqua vitæ Christi ætate coarctans. Unde theologi hanc nostram assertionem ut certam tradunt, et contradictoriam temeritatis, imo erroris nota inurunt.

78. Assertio 2ª : *Christus habuit ab ortu perfectissimam scientiam infusam.*

Contradicunt non tantum Nestoriani, scientiam Christo homini infusam fuisse expressis verbis negantes, sed etiam alii hæretici, qui finxerunt Christum ignorantia laborasse multaque ex hominibus didicisse; imo nonnulli recentiores, a quibus Christo verus profectus in scientia suæ missionis adscribitur. Constat autem assertio

1. *Scriptura Sacra*, textibus nempe, in quibus dicitur Christum fuisse « plenum gratiæ et *veritatis* » (*Joan.*, I, 15), vel in ipso fuisse *omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos* (*Cotos.*, II, 3); hæc enim falso affirmarentur, si Christo deesset scientia infusa, quæ in Angelis reperitur. — Confirmatur ex aliis verbis Apostoli (*Hebr.*, X, 5) de Christo dicentis : « Ingre» diens mundum dicit : Ecce venio, ut faciam Deus voluntа» tem tuam; » his nempe innuitur Christum a primo instanti habuisse scientiam, qua se potuit Deo offerre : talis vero scientia non erat scientia beata, qua regulari nequit actus liber et meritorius, qualis erat oblatio Christi; nec scientia acquisita, ut patet. Ergo.

2. *Auctoritate SS. Patrum*, qui conceptis verbis a Christo omnem ignorantiam removent; ita S. Augustinus, qui (l. 2, *de Peccat. meritis et remis.*, c. 29, n. 18) scribit : « *Ignorantiam nullo modo* crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est. »

3. *Ratione theol.;* etenim decebat ut Verbum humanitatem assumens, eam perfectam assumeret, ac proinde ut omnis ejus potentialitas in actum esset adducta : atqui anima Christi erat in potentia ad cognoscendum non solum per species a phantasmatibus abstractas, sed etiam per species a Deo infusas, sicut Angeli et animæ separatæ a corpore, proindeque imperfecta fuisset, si scientia infusa caruisset. Ergo ea non caruit (Cf. S. Thomas, 3, q. 9, a. 3; *de Verit.*, q. 20, a. 3). — Potest insuper eadem veritas hoc argumento suaderi : ratione unionis hypostaticæ fuit debita Christo, titulo connaturalitatis, omnis perfectio ei possibilis, non repugnans ejus beatitudini et fini redemptionis generis humani : at scientia infusa est in Christo possibilis, et nullam repugnantiam habet cum ejus beatitudine, vel cum fine redemptionis, ut patet. Ergo Christo denegari non debet. — Cæterum scientia infusa in Christo minime otiosa et superflua dici potest; licet enim per scientiam beatam satietur potentialitas animæ Christi in ordine ad cognoscenda objecta supernaturalia, quantum ad *numerum* scitorum, eademque respectu rerum naturalium ope scientiæ acquisitæ, de qua infra, impleri possit, non

tamen satiaretur quantum *ad modum* sciendi et cognoscendi eadem objecta, cum illa possit cognoscere alio modo, nempe sicut Angeli et alii beati in quibus invenitur ille cognoscendi modus.

Dictum fuit iterum *ab ortu* hanc Christo inditam fuisse scientiam, quia id etiam postulant rationes allatæ, ut cuique attendenti manifestum est.

79. Assertio 3ª : *Præter scientiam beatificam et infusam fuit etiam in Christo scientia propriis actibus successu temporis acquisita.*

Constat auctoritate simul et ratione. — 1. *Auctoritate;* de hac enim acquisita scientia interpretari solent Patres et theologi verba jam citata (*Luc.*, II, 52) : « Jesus proficiebat *sapien-* » *tia* et ætate apud Deum et homines. » Etsi namque prædicta verba quoad scientiam beatificam et infusam nonnisi de manifestatione successu temporis apparente intelligi possint reveraque intelligantur, verus tamen profectus quoad scientiam acquisitam in Christo agnoscitur. Audiatur S. Ambrosius : « Quomodo, inquit (l. *de Incarn.*, c. 7), proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum : profectus est ætatis et profectus sapientiæ : ideo ætatem præmisit, ut secundum hominem crederes dictum... Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat secundum scientiam humanam : sapientia autem sensu profecit, quia a sensu sapientia. » Ita etiam S. Augustinus (serm. 5, *de divers.*), S. Cyrillus Alex. (l. 10, *Thesaur.*, c. 7) et alii.

Suffragantur theologi, quorum princeps D. Thomas (3, q. 12, a. 2) hæc habet : « Humana scientia est ea, quæ humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit; » et paulo infra (*Ibid.*, ad 1) : « Tam scientia infusa animæ Christi quam scientia beata fuit effectus agentis infinitæ virtutis, qui potest simul totum operari, et ita in neutra scientia Christus profecit, sed a principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu [agente, qui non simul totum operatur, sed successive, et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim, et post aliquod tempus,

scilicet in perfecta ætate : quod patet ex hoc, quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientia et ætate. »

Ad scientiam Christi acquisitam refertur etiam cognitio, quam proprio experimento sibi comparavit; de qua Apostolus (*Hebr.*, v, 8) scribit : « Cum esset Filius Dei, *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam;* » quem locum exponens S. Chrysostomus (Hom. 5 *in Epist. ad Hebr.*) ait : « Nunc passiones nostras non ignorat; eas non solum scit ut Deus, sed etiam ut homo, per eam, qua passus est, experientiam. »

2. *Ratione*, nempe — tum quia omnino otiosus et frustraneus fuisset in Christo intellectus agens, si species aliquas non abstraxisset a phantasmatibus, cum officium ejus vel unicum, vel saltem præcipuum, sit species rerum intelligendarum abstrahere a sensibus; — tum quia Christus debuit habere scientias secundum proprium et connaturalem modum habendi illas.

80. Quæritur 1. *Qualis fuerit scientia Christi beatifica?*

Resp. 1. Anima Christi *clarius* Deum videbat quam quælibet alia creatura; nec tamen divinam essentiam *comprehendebat*. Patet *primum*, ex eo quod animæ Christi, ratione unionis ad Verbum, lumen gloriæ perfectissimum communicatum fuit. — *Secundum* vero constat quia divina essentia a nullo intellectu creato, quantumvis perfecto, comprehendi potest.

Resp. 2. Christus per scientiam beatificam *omnia præsentia, futura et præterita* cognoscebat, sed non *omnia possibilia*. — Ratio primæ partis est quia ad Christi, etiam hominis, statum pertinent omnes res præsentes, futuræ et præteritæ, utpote quæ ejus dominio et judiciariæ potestati subjiciuntur. — Ratio autem secundæ partis patet ex eo quod cognitio omnium possibilium in divina essentia importaret comprehensionem divinæ essentiæ; quæ quidem, ex dictis, impossibilis est in intellectu creato.

81. Quæritur 2. *Quænam Christus per scientiam infusam cognoverit?*

Resp. Scientia infusa Christi se extendebat ad naturalia et supernaturalia, seu duplex in eo datur scientia infusa, una *supernaturalis*, qua objecta supernaturalia attingit; altera

naturalis, nempe ex parte objecti, quæ circa objecta naturalia versatur. Ratio est tum quia anima Christi erat in potentia ad hæc omnia cognoscenda per species infusas; tum quia ita cognoscunt Angeli et beati; tum quia perfectius est multis modis posse demonstrare sive naturalia sive supernaturalia quam unico. Ita Billuart (*de Incarn.*, diss. 11, a. 1).

Exinde inferunt theologi Christum per scientiam infusam cognoscere — 1. omnia objecta naturalia non solum in communi quoad rationes genericas et specificas, sed etiam distincte et in particulari, secundum propriam et distinctam cujusque individui rationem; — 2. cordium cogitationes et futura contingentia; — 3. omnia entia supernaturalia, puta, gratiam, lumen gloriæ, visionem beatificam, ipsam unionem hypostaticam, et quidem *quidditative* et probabilius *comprehensive;* — 4. mysteria nostræ fidei, et speciatim mysterium SS. Trinitatis quoad existentiam. Vide de singulis Billuart (*loc. cit.*, a. 2), Gonet (*de Incarn.*, c. 13).

82. Quæritur 3. *Utrum scientia Christi acquisita perfectior et excellentior fuerit quam in cæteris hominibus?*

Resp. *Affirmative*, idque multiplici ex parte, nempe: — 1. ratione *temporis*, quo incœpit; Christus enim multo citius quam cæteri homines perfectum sensuum et consequenter rationis usum habuit; — 2. ratione *subjecti*, in quo adfuit; namque Christus, etiam ut homo, non potuit errare et decipi, ideoque ejus scientia acquisita non potuit esse falsa; quod quidem constat sive quia Verbum in natura assumpta nihil nisi honestum admittere potuit, nec proinde errorem; sive quia error, si fuisset, Verbo adscribendus foret, cum actiones sint suppositorum; sive quia Christus immunis fuit a peccato originali, viresque naturæ integras, necnon intellectum perspicacissimum et sensus perfectissimos habuit; — 3. ratione *modi*, quo acquisita fuit; dum enim cæteri homines aliorum ope indigent ut in scientiis proficiant, plurimaque ex auctoritate accipiunt, Christus scientiam acquisitam sibi comparavit per propriam experientiam et rationis reflexionem, nihilque didicit non tantum ab ullo homine, sed neque etiam ab angelis, ut docet S. Thomas (3, q. 12, a. 3 et 4).

III. *De impeccabilitate Christi.*

83. Impeccabilitas duplex distinguitur, prout aliquis a peccato immunis est vel quia de facto non peccavit, vel quia de jure peccare nequit. Primam Christo denegavit Calvinus, secundam Durandus dicens non repugnare Deum peccare per naturam assumptam. — Hæc insuper considerari debet non tantum in se, sed etiam relative ad libertatem subjecti cui inest. — His prænotatis sit sequens

84. Assertio : *Christus nullo modo peccavit, imo nec peccare potuit, ita tamen, ut veram libertatem arbitrii etiam in observandis præceptis sibi a Patre impositis, præsertim vero in obeunda morte pro hominum salute, habuerit.*

Prima pars, *Christum* nempe *nunquam peccavisse,* probatur

1. *Scriptura Sacra;* enimvero (*Isai.*, liii, 9) Messias prædicitur velut « qui iniquitatem non facit; » et (*Dan.*, ix, 24) tanquam « Sanctus Sanctorum. » — Insuper Christus ipse (*Joan.*, viii, 46) ait : « Quis ex vobis arguet me de peccato ? » et (*Ibid.*, xiv, 30) : « Venit princeps mundi hujus et in me non » habet quidquam, » seu in me nullum est peccatum. — Apostoli demum id pariter asserunt; legitur enim de Christo (*Hebr.*, vii, 6) : « Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, inno» cens, impollutus, segregatus a peccatoribus » (Cf. I *Petr.*, ii, 22; I *Joan.*, iii, 5).

2. *Traditione;* nam concilium Ephes. (anathem., 10) ita definit : « Si quis Christum pro seipso quoque et non potius pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, *qui nullum peccatum commiserat*), anathema sit. » Nec aliud docent SS. Patres, inter quos S. Dionysius Alex. (Epist. *contra Paulum Samosat.*) scribit : « Nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccato est expers (intellige natura sua) nisi *solus Christus*, sicut et Pater Christi et Spiritus Sanctus. »

3. *Ratione,* tum quia deforme omnino et indignum persona divina fuisset, adeoque repugnans, in natura vel humana peccato contaminari ; tum quia nihil id conduxisset ad assequen-

dum Incarnationis finem, sed obstitisset potius, ut demonstrat (3, q. 15, a. 1) Angelicus Doctor.

Secunda pars, nempe Christum *nullo modo peccare potuisse*, demonstratur traditione et ratione.

1. *Traditione;* hanc enim Christi impeccabilitatem unanimi ore asserunt SS. Patres, pro quibus citare juvat S. Augustinum (l. *de Corrept. et Gratia*, c. 11) dicentem : « Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. » Consonat concilium gener. VI (*Act.* 8) definiens : « Humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster Jesus Christus humanæ suæ naturæ. » Ergo.

Prob. 2. *Ratione*, et quidem multiplici ex parte, videlicet : — 1. *ex visione beatifica*, quam Christus a primo conceptionis instanti habuit; cum enim hæc animam primæ rectæ operationis regulæ conjungat, illam impeccabilem reddit, ut in Tractatu *de Deo Creatore*, ubi de beatitudine cœlesti ostensum est; — 2. ex *perfectione et plenitudine gratiæ habitualis*, quam in eodem momento a Deo recepit; illa namque ratione conjunctionis quam habet cum gratia unionis, et quia in Christo est in statu perfecto et connaturali, habet quamdam perfectionem gratiæ patriæ, ratione cujus firmat animam Christi in bono et potentiam peccandi excludit; — 3. ex ipsa præsertim *unione hypostatica;* cum enim actiones sint suppositorum, peccatum, si a Christo homine admitti posset, in personam Verbi redundaret, neque tantum denominative, sed etiam effective, quatenus persona est principium *quod* actionum : sed absolute impossibile est peccatum in personam divinam cadere; ergo. Unde SS. Patres, ut adstruant hanc Christi prærogativam, non recurrunt ad visionem beatificam, aut ad aliud accidentale, sed ad solam unionem hypostaticam.

Tertia pars, quæ ad *Christi libertatem* refertur, constat

1. *Scriptura Sacra.* Etenim de Christo (*Isa.*, liii, 1) dicitur : « Oblatus est, *quia ipse voluit.* » — Idem testatur ipse Christus

(*Joan.*, x, 18) his verbis : « *Ego pono* animam meam, et ite- » rum sumo eam ; nemo tollit animam meam a me, sed ego pono » eam a meipso, et *potestatem habeo ponendi eam*, et potesta- » tem habeo iterum sumendi eam : *hoc mandatum accepi a* » *Patre meo.* » Quæ quidem aperte ostendunt mandatum mortis ejusque liberam electionem ab ipso Christo conjungi, siquidem asserit se in ejus acceptatione retinere potentiam ponendi animam suam a seipso, in qua potestate sitam esse libertatem nemo ambigit.

2. *Auctoritate SS. Patrum* ; nam S. Cyrillus Hier. (*Catech.* 13, n. 3) dicit : « Non coacte reliquit vitam, non violenter mactatus est, sed voluntate sua ; » et S. Augustinus (l. 4, *de Trint.*, c. 13, n. 16) : « Non eam (carnem) deseruit invitus, sed *quia voluit*, *quando voluit*, *quemadmodum voluit.* » Ita alii Patres.

3. *Ratione* ; nam præterquam quod in Christo est voluntas rationis, quæ tendit ad unum cum ordine ad aliud, quod non est sine electione liberi arbitrii (S. Thomas, 3, q. 18, a. 4), Christus assumpsit humanitatem integram et perfectam ; sed hæc non datur sine vera libertate. Ergo. — Adde præceptum supponere libertatem in eo, cui imponitur ; frustra namque nobis præcipitur ut respiremus, vel ut beatitudinem amemus. — Demum, ex infra dicendis, Christus moriendo cæteraque præcepta adimplendo, pro nobis satisfecit et meruit : porro ad hoc necessaria fuit libertas a necessitate. Ergo.

85. Quæritur 1. *Utrum Christus ea semper egerit, quæ perfectissima et Patri magis placita erant?*

Resp. *Affirmative* ; et ratio præcipua est quia Christus conceptis verbis (*Joan.*, viii, 29) id testatur dicens : « *Quæ placita sunt ei*, facio semper. » Ipse igitur non modo nunquam peccavit, sed etiam inter varia bona, quæ operari potuit, semper illud egit, quod habita sui status variarumque circumstantiarum ratione optimum erat, et non præceptis tantum, sed etiam consiliis magis consentaneum. — Magnum tamen discrimen intercedit omnimodam Christi impeccantiam inter ejusque ad optimum determinationem ; in ipso namque nulla erat indifferentia ad peccatum, sed voluntas ejus ad bonum in communi

determinabatur. At vero nec moraliter, nec physice ad optimum eligendum necessitatus fuit, nullum siquidem talis necessitatis fundamentum afferri potest. De quo vide, si juvat, Wirceburgenses (*de Incar.*, diss. 4, sect. 2, a. 2).

86. Quæritur 2. *Utrum in Christo fuerit fomes peccati?*

Resp. In Christo nec fuit, nec esse potuit peccati fomes, seu inordinata inclinatio appetitus sensitivi ad bona sensibilia contra regulam rationis. Nam Christus habuit gratiam et virtutes morales in gradu perfectissimo : proprium autem virtutis est subjicere appetitum rationi, perfectissimæ vero virtutis ita perfecte illam subjicere ut contra rationem insurgere non possit. — Idem confirmatur ex eo quod humanitas Christi, cum sit, ex vi gratiæ unionis, infinite sancta, necessario abhorret a propensione appetitus sensitivi ad motus in peccatum inclinantes. — Cæterum motus inordinati appetitus sensitivi non fuerunt in Adamo in statu innocentiæ, non erunt in beatis, neque etiam fuerunt in Beata Maria Virgine. Ergo a fortiori nec in Christo. — Adde ipsos Verbo imputabiles fore; quod sane asseri non debet.

87. Quæritur 3. *Quomodo libertas Christi tam in morte subeunda, quam in præceptis naturalibus servandis, cum ejus impeccabilitate conciliari possit?*

Resp. 1. *Quoad præceptum mortis subeundæ.* Quatuor de hoc excogitatæ fuerunt sententiæ. Alii nempe dicunt Christo impositum fuisse a Patre præceptum moriendi non stricte sumptum, sed latum et improprium, cui absque peccato potuisset non obtemperare, ideoque libere prorsus obtemperavit. Ita Petavius (l. 9, *de Incar.*, c. 8) et inter recentiores B. Jungmann (*de Verbo Incar.*, p. 2, c. 1, a. 2). — Sed hæc sententia adversari videtur Scripturæ docenti verum mandatum moriendi Christo impositum fuisse; legitur enim (*Joan.*, x, 17) : « Ego » pono animam meam... *Hoc mandatum accepi a Patre meo.* » Insuper, teste Apostolo (*Philipp.*, II, 8), Christus ex obedientia ad Patrem mortuus est : sed objectum formale obedientiæ est præceptum superioris stricte sumptum. Ergo.

Alii admittentes præceptum verum et proprium Christo impositum fuisse de morte subeunda, sed quoad *substantiam*

tantum, non quantum ad *circumstantias,* puta locum, tempus, intensionem actus et alia hujusmodi, fatentur Christum liberum non fuisse circa mortis substantiam, totamque ejus libertatem in eo reponunt quod libere elegit circumstantias, in quibus mortem oppetiit. — At hic modus conciliandi libertatem Christi cum ejus impeccabilitate pariter rejiciendus est, tum quia e medio tollit obedientiam Christi; hæc enim, data sententia quam impugnamus, nec quoad mortis substantiam, quæ libera non fuit, nec quoad ejus circumstantias, de quibus nullum erat præceptum, exerceri potuit; tum quia inde sequeretur Christum non meruisse ex eo præcise, quod mortuus est, sed ex eo quod tali modo, tali tempore, tali loco vel motivo, aut affectu mortem subiit; quod videtur absonum et Scripturæ adversum. Ergo.

Alii existimarunt verum quidem præceptum moriendi Christo impositum fuisse sive *quoad substantiam*, sive *quoad circumstantias mortis*; sed dependenter ab ejus consensu, aut sub conditione, quod, si vellet, posset dispensationem obtinere. Ita Tournely et alii plurimi inter recentes. — Huic autem sententiæ merito objicitur quod tollat perfectionem præcepti Christo impositi; numquid enim verum et rigorosum est illud præceptum, quod ita pendet a voluntate inferioris? Præterea meritum obedientiæ in Christo vel omnino evacuat, vel saltem valde minuit; vix enim ulla est obedientia subditi, cui nihil præcipitur, nisi explorata ejus voluntate, vel cujus arbitrio ita præceptum relinquitur ut possit ad libitum dispensationem obtinere. Addi potest ineptam esse hanc Christi orationem : « Pater, si possibile est, transfer hunc calicem a me, » si potuisset vitare mortem petendo dispensationem a præcepto moriendi sibi a Patre imposito, vel etiam si hoc præceptum illi datum fuisset sub conditione, quod posset ipsum recusare.

Quarta demum sententia est Thomistarum, qui censent admittendum esse in Christo verum et strictum præceptum moriendi non tantum quoad *substantiam*, sed etiam quoad *circumstantias mortis*, nec ab ejus voluntate quoad impositionem aut continuationem dependens; quo tamen stante necnon Christi impeccabilitate, Christus, juxta, illos, liberrime nihilo-

minus mortuus est. Quod quidem sic explanant : sicut, inquiunt, decretum Dei efficax causas liberas ad agendum ita determinat, ut nedum substantiam, verum etiam modum actionis attingat et causa sit cur non tantum agant, sed et libere agant, id est, cum vera potentia ad oppositum; similiter præceptum moriendi Christo impositum ipsum ad substantiam et modum operis sic determinavit, ut nempe moreretur eo modo, quo Pater voluit, scilicet libere et cum potentia non moriendi. Unde ex tali præcepto infallibiliter quidem mors Christi sequi debebat, eo quod esset impeccabilis, sed non necessario, eo quod esset liber et sub tali præcepto retineret potentiam ad non moriendum; repugnat siquidem quod præceptum, præsertim cum ejus materia sit actus liber, libertatem actus, qui imperatur, destruat. Animadvertunt insuper præceptum, eo quod sit extrinsecum voluntati, eam interius non inclinare, sed duntaxat dirigere et moraliter movere, ita ut rem præceptam libere operetur et cum potentia agendi oppositum.

Hæc sententia præferenda nobis videtur — tum quia fundamentum habere videtur in verbis Scripturæ (*Joan.*, x, 18) explicite enuntiantis mandatum Christo impositum a Deo et potentiam ejus ponendi vel non ponendi animam suam; — tum quia cæterarum opinionum vitiis caret imprimisque Christi obedientiam perfectissime servat; — tum demum quia non probant adversarii veram et essentialem libertatem cum prædicto præcepto stare non posse (cf. Billuart, *de Incar.*, dis. 17, a. 3).

Resp. 2. *Quoad præcepta naturalia*; de his sane dici nequit quod non stricta ac rigorosa fuerint, vel etiam quod Christus potuerit ab illis dispensationem petere. At fatentur omnes Christum fuisse liberum circa talium præceptorum circumstantias ac proinde circa ipsam substantiam actuum positivorum, quibus eadem præcepta implevit. Ratio est quia hæ circumstantiæ sæpe a lege non determinantur; sic in præceptis affirmativis, v. g., eleemosynæ, intensitas actus, frequentia, motivum, relatio ad hunc vel illum finem proximum non cadunt sub præcepto; similiter in præceptis negativis detestatio

actus prohibiti, adimpletio per actum contrarium positivum sæpe sæpius extra præceptum sunt. Potuit ergo Christus in adimplendis præceptis affirmativis perfectius, citius, frequentius, ex motivo excellentiori agere quam ad præceptum non infringendum necesse erat; item actus positivi, quibus præcepta negativa implevit, ejus libero arbitrio, absque ulla impeccantiæ læsione, permissi ac relicti fuerunt : unde hoc modo, jam concipitur ipsum in hujusmodi præceptorum observatione ea libertate præditum fuisse, quæ simul ad merendum sufficit et cum ejus impeccabilitate facile conjungitur (Cf. Legrand, dis. 9, c. 2, a. 3).

Imo Thomistæ suis principiis stantes idem de præceptis naturalibus, saltem affirmativis, ac de præcepto mortis subeundæ dici posse contendunt; videlicet, urgentibus his præceptis, Christus equidem non potuit *potentia consequente* vel *in sensu composito* ea non implere; at illud potuit *potentia antecedente* et *in sensu diviso*; et hoc sufficit ad essentiam libertatis, siquidem infallibilitas exinde promanans est necessitas infallibilitatis tantum et consequentiæ, non consequentis (cf. Billuart, *loc. cit.*; Salmanticenses, *de Incarn.*, disp. 27, dub. 3).

Specialis tamen oritur difficultas circa præceptum dilectionis Dei; hæc enim, utpote consequens claram Dei visionem, necessaria videtur etiam *quoad exercitium*. Hujus rei duplex est apud Thomistas solutio probabilis : *prima* distinguit in Christo duplicem dilectionem Dei, utramque ad Dei bonitatem in se et ratione sui terminatam, unam regulatam scientia beata et necessariam, alteram regulatam scientia infusa et liberam. *Secunda* admittit eumdem actum amoris in Christo necessarium dici posse, prout terminatur ad divinam bonitatem in se consideratam, seu quatenus est ratio diligendi Deum; liberum vero, prout tendit ad divinam bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas, cum quibus necessariam connexionem non habet (cf. de his Gonet, *manuale Thomist.*, c. 19, § 4).

IV. *De cæteris Christi hominis proprietatibus.*

88. His explanatis, quæ ad prærogativas animæ ejusque

præcipuarum facultatum, intellectus et voluntatis, in Christo pertinent, superest ut breviter expendamus — 1. an et quatenus in Christo fuerint *passiones*, seu motus appetitus sensitivi; — 2. utrum et qua ratione *defectus corporales* habuerit; — 3. an *forma decorus* fuerit : quæ quidem opportunam occasionem suppeditabunt humanæ Christi naturæ plenius manifestandi propriam perfectionem. Sit igitur

89. Assertio 1ª : *In Christo fuerunt passiones, sed ordinatæ, id est, demptis imperfectionibus, quæ eas in nobis comitantur, exceptaque desperatione.*

Probatur prima pars, nempe *in Christo fuisse passiones,*

1. *Scriptura Sacra,* in qua conceptis verbis Christo tribuuntur *gaudium* (*Joan.*, XI, 15), *amor et commiseratio* (*Ibid.*, 3 et seqq.), *desiderium* (*Luc.*, XXII, 15), *admiratio* (*Matth.*, VIII, 10), *tristitia* (*Ibid.*, XXVI, 37), *timor* et *tædium* (*Marc*, XIV, 33), *ira et zelus* (*Ibid.*, III, 5).

2. *Traditione.* Unanimes sunt SS. Patres in humanis passionibus Christo adscribendis; sic S. Ambrosius (l. 2 *de Fide*, c. 11) dicit de Christo : « Ut homo *turbatur*; non turbatur ejus divinitas, sed turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis assumptionem, et ideo quia suscepit animam, *suscepit et animæ passiones.* » Similia habent alii SS. Patres.

3. *Ratione theol.*, nempe — tum quia, uti docent Patres, hujusmodi passiones seu motus appetitus sensitivi ad integritatem naturæ humanæ pertinent; — tum quia finibus Incarnationis necessarii aut saltem valde utiles fuerunt, ut videlicet Christus humano modo in terris conversari videretur, suum amorem vehementius exprimeret plurimarumque virtutum exempla nobis daret; neque aliunde prædicti motus, modo sint ordinati, unioni hypostaticæ aut perfectissimæ Christi sanctitati repugnant.

Secunda pars ita probari potest : passiones, quas patimur, triplici imperfectione laborant, nimirum : ratione *objecti*, ad peccatum nos inclinant; ratione *principii*, in nobis sine nobis excitantur, et nobis invitis quandoque perseverant, ideoque sunt involuntariæ et indeliberatæ; ratione *effectus*, nos sæpe conturbant et commovent (S. Thomas, 3, q. 15, a. 1). Jam-

vero primam imperfectionem a Christo removendam esse patet ex eo quod in eo non fuerit peccati fomes, seu concupiscentia, ut jam diximus. Quod autem ab aliis supradictis defectibus immunes fuerint Christi passiones ac proinde perfecte ordinatæ sint, facili negotio erui potest — tum ex *Sacra Scriptura*, in qua (*Joan.*, XI, 13) Christus dicitur *turbasse seipsum* : hoc quippe innuit motum seu affectum sensibilem, de quo hic fit mentio, fuisse voluntarium et a ratione imperatum, adeoque placidum et ordinatum ; — tum ex *doctrina SS. Patrum*, pro quibus sufficiat appellare S. Augustinum (Tract. 49 *in Joan.*, n. 8) scribentem : « Turbaris tu nolens, conturbatus est Christus, *quia voluit* ; » unde S. Hieronymus (Comment. *in Matth.*) eos Christi motus non passiones, sed *propassiones* vocat, quia, juxta SS. Patrum placita, non sunt passiones nisi quæ turbant rationem ; — tum denique ex *ratione* ; hæc enim perfecta passionum ordinatio est perfectio in humana Christi in terris degentis natura plane possibilis, nec finibus Incarnationis nociva. Ergo.

Hinc in Christo nullæ fuerunt tentationes internæ, sed tantum externæ. Ratio prioris est quia tentatio interna consistit in motibus sensitivi appetitus ad malum impellentibus : sed tales motus in Christo non fuisse constat ex modo dictis. Quod autem ad tentationem externam spectat, norunt omnes Christum a diabolo tentatum fuisse.

Dictum fuit sub fine assertionis : *Excepta desperatione*, quia tanta erat voluntatis humanæ Christi erga divinam subjectio, ut nihil velle potuerit præter id quod sciebat sperari posse. Cæterum desperatio deordinationem formaliter includit, ideoque in Christum cadere non potest.

90. Assertio 2ª : *Christus obnoxius fuit dolori, morti et communibus naturæ humanæ infirmitatibus, idque, ex nativa naturæ suæ conditione, quin tamen prædictæ infirmitates ejusdem naturæ in Christo ac in nobis fuerint.*

PRIMA PARS, *Christum* videlicet *obnoxium esse dolori, morti, et communibus naturæ humanæ infirmitatibus,*

EST DE FIDE, siquidem concilium Eph. (c. 12) definivit : « Si quis non confitetur Dei Verbum *passum carne, et cruci-*

fixum carne et *mortem carne gustasse*... anathema sit. » Legitur quoque in Symbolo : « *Passus* sub Pontio Pilato, *crucifixus*, *mortuus* et sepultus. » — Probatur vero

1. *Scriptura Sacra.* Isaias (LIII, 2 et seq.) ita de Christo vaticinatur : « Vidimus eum... virum *dolorum et scientem infirmitatem*... Vere *languores nostros ipse tulit et dolores nostros* » *ipse portavit*, » etc. — Ex Evangelio constat Christum expertum fuisse *famem*, *sitim*, *fatigationem*, *somnum*, *sudorem*, *acerbissimos passionis cruciatus*, *occisionem* et *mortem*. Unde Apostolus (*Hebr.*, II, 17) scribebat : « Debuit *per omnia fratribus similari* ; » et (IV, 15) : « Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris ; *tentatum* » *autem per omnia* pro similitudine absque peccato. » Item S. Petrus (I *Ep.*, II, 21) : « Christus *passus est* pro nobis, *vobis* » *relinquens exemplum*. » Ergo constat ex Scriptura Christum fuisse dolori, passioni et morti obnoxium.

2. *Traditione.* SS. Patres hoc dogma contra Docetas et Incorrupticolas unanimi ore propugnarunt. Audiantur solummodo S. Ambrosius dicens (l. 7, *in Luc*) : « Qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quæ corporis sunt, ut *esuriret*, *sitiret*, *angeretur*, *contristaretur* ; » et S. Hieronymus, qui (Comm. *in Isai.*, LIII) in illa verba : *Vere languores*, ait : « Qui vere languores nostros ipse et peccata portavit, et pro nobis dolet, non putative... sed *vere crucifixus est*, *vere doluit*. » Ita alii Patres.

3. *Ratione theol.* Ex S. Thoma (3, q. 14, a. 1) Christus communes naturæ humanæ defectus sumere debuit propter tria, nempe : — *ob finem Incarnationis*, ut scilicet pro peccato humani generis satisfaceret ; — *ob fidem Incarnationis*, ut veritatem humanæ naturæ comprobaret ; — *ob exemplum patientiæ*, quod nobis exhibet passiones et defectus humanos fortiter tolerando.

SECUNDA PARS, id est, Christum fuisse prædictis defectibus *ex nativa humanæ suæ naturæ conditione* obnoxium, ita ut, etsi pati non posset quin prius ipse dolore affici consentiret, sicut mox dicetur, posito tamen hoc consensu, naturaliter ac sine miraculo passus fuerit, potest etiam evinci

1. *Scriptura Sacra*, textu nempe supra citato Apostoli (*Hebr.*, II, 17) dicentis Christum debuisse «*per omnia* fratri» bus similari; » jam de eo dictum fuerat (*Ibid.*, 14): « Quia » ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse *simi*» *liter participavit eisdem.* »

2. *Ratione theol.*; Christus nempe assumpsit carnem et naturam operi nostræ redemptionis producendo et consummando accommodatam : ergo ex nativa sui conditione dolori et infirmitatibus communibus obnoxius fuit, ita nempe ut, ubi ipse consentiret, citra miraculum pati posset.

Tertia pars tria sibi vult, nempe dolores et infirmitates, quibus Christus subjacuit, nec ex peccato dimanasse; nec, ipso invito, in eo adfuisse vel perseveravisse; nec demum ab iis ipsum conturbatum aut cæco impetu commotum fuisse; aliis verbis, defectus, de quibus agitur, licet Christo et aliis hominibus communes, diversi tamen fuerunt sive ratione causæ, sive ratione modi, sive ratione effectuum. Quo prænotato,

Constat *primum*, eo quod Christus, ut jam probatum fuit, ab omni peccato sive originali, sive personali immunis fuit; qui proinde nostri solum causa assumpsit dolores et infirmitates humanas, non vero ut peccati alicujus sibi proprii pœnam daret.

Constat *secundum* — sive *ex Scriptura*, dicente de Christo Isaia (LIII, 7) : « Oblatus est, quia ipse *voluit*; » — sive *ex SS. Patribus*, pro quibus sit Augustinus (Tract. 49, *in Joan.*, n. 18) scribens : « Esurivit Jesus; verum est, sed *quia voluit*; » — sive *ex ratione*, quia Christo ea tribui debet perfectio, quæ in ejus humanitate recipi potuit, nec Incarnationis fini repugnat; cujusmodi est prærogativa, qua factum est dolores non prævertere ejus voluntatis nutum, nec, eo invito, perseverasse.

Constat *tertium*, propterea quod dolores, qui rationis advertentiam et voluntatis nutum non antevertunt, quique nonnisi pro arbitrio patientis perseverant, non possunt eum turbare et cæco impetu commovere. Ergo.

Dictum fuit in assertione : *Communibus naturæ humanæ in-*

firmitatibus, quia Christus non omnes prorsus defectus corporales assumpsit. Audiatur Angelicus Doctor : « Christus, inquit (3, q. 14, a. 1), *defectus* humanos assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ... Illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ... Quidam autem defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, sicut lepra, morbus caducus, et alia hujusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu; quandoque ex defectu virtutis formativæ : quorum neutrum convenit Christo, quia et caro ejus de Spiritu Sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ et virtutis, errare et deficere non potens; et ipse nihil inordinatum in regimine vitæ suæ exercuit. »

Quibus addenda est hæc altera Christi prærogativa, qua corpus ejus, triduo mortis, *corruptioni* seu putredini *non fuit obnoxium*. Legitur enim (*Ps.* XV, 10) : « Non dabis *Sanctum* » *tuum videre corruptionem*; » quod quidem oraculum triduo mortis adimpletum fuisse testis est S. Petrus (*Act.*, II, 27). Nec redemptioni nostræ necessaria aut utilis fuisset illa corporis Christi post mortem corruptio; minimeque Verbum divinum decebat, ut corpus quod ipsi conjunctum erat, putrefieret et corrumperetur. Ergo.

91. Assertio 3ª : *Incertum est an Christus venusta vel deformi fuerit specie.*

Prob. Hæc quæstio aliter ac auctoritate Scripturæ et Traditionis solvi nequit; porro silet tum Scriptura, tum Traditio. — **1.** *Silet Scriptura* ; hic enim textus (*Ps.* XLIV, 3) : « *Speciosus* » *forma* præ filiis hominum, » a pluribus Patribus et vetustissimis interpretibus de anima Christi exponitur; quæ vero (*Is.*, LII, 14) de Christo leguntur : « Inglorius inter viros aspec- » tus ejus, et forma ejus inter filios hominum, » et (*Ibid.*, LIII, 3) : « Non est species ei neque decor, » ad tempus mortis Christi, in quo multum deformatus est ipsius aspectus, non male referuntur. — **2.** *Silet Traditio*, quia si Origenes, ut vide-

tur, SS. Hieronymus et Chrysostomus asserunt Christum fuisse eleganti specie, ex adverso Tertullianus, Clemens Alexandrinus, S. Cyprianus, S. Cyrillus docent eum fuisse facie humili, ut homines ad pœnitentiam et humilitatem suo exemplo hortaretur.

Plures inter recentiores, ut Legrand, Tournely, tenent Christum ea fuisse vultus et corporis specie, quæ nec pulchritudine nimia oculos attraheret, nec turpi offenderet deformitate, putantque plures Patres ab hac sententia alienos non esse. — Non decuisset, inquiunt, ut corpus Christi, utpote speciali Spiritus S. operatione formatum, insigniter esset deforme seu defectu proportionis membrorum, seu vilitate et turpitudine vultus. — Pariter finibus Incarnationis consentaneum non fuisset Christum eo decore ac vultus venustate donari quæ in admirationem homines rapuisset. Nam Christus venerat ut contemptum rerum sensibilium animis nostris instillaret. Ergo origini, conditioni ac muniis Christi, dum in terris conversatus est, valde fuit accommodatum ut mediocri et communi esset specie et conformatione.

92. Scholium 1. *De potentia Christi hominis.* — I. Communis est Theologorum sententia humanitatem Christi, etsi omnipotens dicenda non sit, utpote creatura, excellentissima tamen potestate instructam esse. Quod quidem ita ostendit (3, q. 13, a. 1) Angelicus Doctor : « Anima Christi dupliciter considerari potest, uno modo secundum propriam naturam et virtutem sive naturalem, sive gratuitam; alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam et virtutem sive naturalem, sive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ convenientes, puta ad gubernandum corpus, et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per gratiæ et scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes, per modum qui est conveniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad Incarnatio-

nis finem, qui est « instaurare omnia sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt » (*Eph.*, I, 10).

II. Jam vero hæc Christi hominis potentia triplici potissimum dote enituit; fuit nempe — 1. *universalis*; Christus enim, ut modo dictum est, habuit virtutem ad *omnes immutationes* faciendas ordinabiles ad finem Incarnationis : unde morbos quoslibet sanavit, sedavit tempestates, cæcos illuminavit, mortuos suscitavit; 2. *expeditissima*; solo siquidem tactu, verbo, vel nutu mirabilia quæque operabatur, ut ex Evangelica narratione manifestum est; — 3. *fœcunda;* Christo namque data est virtus miracula patrandi, non tantum ut ipse eam pro libitu adhiberet, sed etiam ut et discipulis eamdem communicaret (Cf. *Matth.*, X, 1 ; *Marc.*, XVI, 17).

III. Dissentiunt tamen theologi circa modum, quo humanitas Christi in effectibus supernaturalibus producendis instrumentum Verbi dicenda sit. Etsi nimirum omnes fateantur ipsam merito dici causam moralem etiam principalem gratiæ et miraculorum, quia illa de condigno meruit, minime vero causam physicam principalem, quia solus Deus causalitate principali gratiam producere et miracula patrare valet, ideoque nonnisi instrumentalem influxum eidem humanitati Christi adscribant, alii tamen *moralem* tantum, alii vero *physicum* hunc esse volunt.

Primam sententiam tenent Scotistæ, hac potissimum ratione innixi, quod Christi humanitas, cum non sit ubique præsens, non omnia subjecta contingat in quibus effectus supernaturales producuntur.

Thomistæ e contra concedunt quidem humanitatem Christi ante executionem Incarnationis non fuisse causam physicam, sed tantum moralem, gratiæ antiquis Patribus collatæ; at simul asserunt eamdem, post Incarnationem peractam, sive in terris degentem, sive modo in cœlo existentem, dicendam esse causam instrumentalem physicam gratiæ et miraculorum; idque adstrui posse dicunt — tum ex *Scriptura*, ubi nempe dicitur (*Luc.*, VI, 19) de Christo, quod « virtus de illo exibat et » sanabat omnes, » et ipse de se dixisse (*Ibid.*, VIII, 46) fertur : « Novi virtutem de me exiisse ; » item Christus juxta Scrip-

tores sacros filiam Jairi suscitavit manum ejus *tangendo*, Lazarum vero *clamando*, deditque Apostolis Spiritum Sanctum *insufflando;* quæ omnia improprie de influxu morali tantum intelligerentur; — sive ex *Traditione*; definit enim concilium Ephes. (c. 11) quod *caro* Christi sit *vivificatrix* propter unionem ad Verbum; notatque S. Cyrillus (l. 4, *in Joan.*, c. 14) Christum in suscitandis mortuis non solum verbo et imperio usum fuisse, sed etiam carnem cooperatricem adhibuisse, ut ostenderet *carnem quoque suam, quoniam Verbo conjuncta erat vivificam esse*; — sive *ratione*, tum quia ille modus est nobilior et perfectior, nec aliunde in se vel fini Incarnationis repugnat; tum quia non alio influxu humanitas Christi, ad operationes supernaturales concurrit, ac corpus ad vitales operationes exercendas. Hæc sufficiunt : qui plura cupierit, consulat Billuart (*de Incarn.*, diss, 13, a. 2).

93. Scholium 2. *De dignitate capitis Christo homini tribuenda.* — In corpore humano caput supra cætera membra triplici dote præfulget, primatu scilicet et supereminentia, perfectionis plenitudine et influxu in illa.

Porro Christum, ut hominem, sub hoc triplici respectu esse caput Ecclesiæ satis constat ex dictis in Tractatu *de Vera Ecclesia.*

Sed inquirere solent theologi an et quatenus Christus, in quantum homo, caput sit — 1. omnium hominum; — 2. Angelorum; — 3. creaturarum irrationalium. De quibus hæc notanda ducimus.

I. Quod attinet ad *homines*, dicit S. Thomas (3, q. 8, a. 3) « quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur ei per gloriam; secundo eorum, qui actu uniuntur ei per caritatem; tertio eorum, qui actu ei uniuntur per fidem; quarto vero eorum, qui uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum divinam prædestinationem; quinto vero eorum, qui in potentia sunt ei uniti, quæ nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædes-

tinati; qui tamen ex hoc sæculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi, quia nec jam sunt in potentia, ut Christo uniantur. »

Utrum vero Christus sit *actu* caput non tantum justorum, sed etiam fidelium in statu peccati mortalis existentium, et hæreticorum, qui baptizati sunt, vel quorum hæresis est occulta, solvi potest ex dictis in Tractatu modo citato, ubi de *membris Ecclesiæ*. — Neque etiam difficultas esse potest circa veteres Patres, qui in lege naturæ vel scripta vixerunt, necnon circa primos parentes post lapsum. — At de Adamo et Eva in statu innocentiæ controvertitur; affirmant Scotistæ, Thomistæ negant; utriusque sententiæ ratio repetenda est ex altera quæstione, quam infra expendemus : utrum nempe redemptio hominis lapsi causa fuerit adæquata Incarnationis.

Si demum quæratur utrum Christus sit caput hominum non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus, respondet iterum Angelicus (*loc. cit.*, a. 2) quod « Christi humanitas..... influit in homines et quantum ad animam et quantum ad corpus; sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus : uno modo, in quantum membra corporis exhibentur arma justitiæ in anima existentis per Christum, ut Apostolus dicit (*Rom.*, VI); alio modo, in quantum vita gloriæ ab anima derivatur ad corpus secundum illud (*Rom.*, VIII, 11) : « Qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit » et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum » ejus in vobis. »

II. Quoad *Angelos*, forsan dubitandi ratio oriri potest ex eo quod non eamdem naturam habent ac Christus, vel etiam quia aliter quam homines gratiam et gloriam adepti sunt. Facile tamen demonstratur Christum Angelorum caput dicendum esse. Etenim legitur (*Colos.*, II, 10) : « Estis in illo repleti, » qui est *caput omnis Principatus et Potestatis;* » et (*Ephes.*, I, 20) : « Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexte» ram suam in cœlestibus *supra omnem Principatum*, et *Potes*» *tatem*, et *Virtutem*, et *Dominationem*, et omne nomen, quod » nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. » Item B. Petrus (I *Epist.*, III, 22) scribit « Qui est in dextera

» Dei... profectus in cœlum, *subjectis sibi Angelis et Potesta-* » *tibus et Virtutibus.* » — Consonant SS. Patres, pro quibus sit S. Augustinus, qui (serm. 3, n. 4 in Ps. XXXVI) hæc habet : « Corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos?..... Omnes, qui ab initio fuerunt justi, caput Christum habent,... *adjunctis etiam legionibus, et exercitibus Angelorum, ut fiat una civitas sub uno rege.* » — Ratio quoque confirmat ; Christus nempe non solum in ordine ad homines, sed etiam respectu ad Angelos, tres capitis conditiones habet, siquidem ratione unionis ad esse personale Verbi Angelis præeminet, perfectius dona gratiæ participat, et in eos influit, si non gloriam essentialem, saltem accidentalem, illud nempe gaudium, quod percipiunt ex reparatione sedium suarum, quas Angeli apostatæ deseruerunt, necnon clariorem notitiam mysteriorum fidei, ut colligi potest ex his Apostoli (*Eph.*, III, 10) : « *Ut innotescat* » *Principatibus et Potestatibus* in cœlestibus per Ecclesiam » multiformis sapientia Dei. »

Nec obstat quod Christus, ut homo, non conveniat in natura cum Angelis, quia ad rationem capitis mystici non requiritur, ut sit homogenum et ejusdem naturæ cum membris, sed sufficit convenientia generis in natura inter caput et membra, et specifica in fine ad quem ordinantur; quæ quidem inter Christum et Angelos reperitur.

Cæterum fatentur omnes Christum, ut homo est, non ita perfecte Angelorum caput esse sicuti hominum ; cujus ratio est tum quia magis conformis est in natura cum hominibus, quam cum Angelis; tum quia in homines influit gratiam et gloriam essentialem, non vero in Angelos, probabilius saltem, ut patebit ex dicendis.

III. Respectu *creaturarum irrationalium*, non videtur Christum, ut hominem, caput dici posse. Nam, ut modo dicebamus, de ratione capitis est ut aliquid in membra influat : sed Christus, in quantum homo, nihil influit in creaturas irrationales. Id enim quod Christus, ut homo, in membra sua influit, vel est donum gratiæ, vel ad ordinem supernaturalem pertinet ; at vero omnia dona, quæ creaturis irrationalibus communicantur, ad ordinem naturæ spectant. Ergo.

Non desunt tamen, qui volunt Christum esse caput totius universi, tum quia, uti censent, in decretis Dei prior est omni creatura, tum quia est secundum perfectionem eminentior, tum quia demum in eo mundus perficitur, ipseque imperat creaturis intellectualibus in ordine ad finem supernaturalem cui naturalis subditur, imo creationis rerum universarum finis dicendus est (Cf. Perriot, *de Verbo Incarn.*, p. 2. c. 4).

Expendunt etiam theologi qua ratione Christus in dignitate capitis constituatur. Vide de hoc Billuart (diss. 9, a. 4).

CAPUT III.

DE FINE, NECESSITATE ET CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

De his tribus in totidem articulis seorsim agendum venit.

ARTICULUS I.

De Incarnationis fine.

94. Prænotanda. — I. Finis duplex distinguitur, unus scilicet *proximus*, *ultimus* alter. Jamvero manifestum est ultimum Incarnationis finem esse gloriam Dei; namque « universa » propter semetipsum operatus est Dominus » (*Prov.*, XVI, 4). Unde Angeli, nato Christo, cecinerunt : « *Gloria* in altissimis *Deo* » (*Luc.*, II, 16); ipseque Christus multoties declaravit se ad hunc finem venisse : quod quidem pluribus quoque in locis aperte tradit Apostolus (Cf. *Eph.*, I, 6, 12, 14).

95. — II. Quod autem ad *finem proximum* attinet, de fide est Verbum divinum ad redimendos homines incarnatum fuisse; nam in Symbolo Nicæno legitur : « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est. » Quod quidem constat — 1. *Scriptura*, in qua hæc leguntur : « Venit Filius hominis quærere et salvum fa- » cere quod perierat » (*Luc.*, XIX, 10). « Misit Deus Filium » suum... ut salvetur mundus per ipsum » (*Joan.*, III, 17).

« Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, » ut eos qui sub lege erant redimeret » (*Gal.*, IV, 4). « Fidelis » sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit » in hunc mundum peccatores salvos facere » (I *Tim.*, I, 15).

2. *Traditione ;* SS. Patres generis humani redemptionem ut causam finalem Incarnationis unanimi ore assignant; Ecclesia vero non tantum hoc dogma profitetur in Symbolo citato, sed etiam illud in concilio Ephes. (can. 10) definivit, idemque in Liturgia celebrat decantando : « O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem ; « — 3. *Ratione theologica ;* demonstratum namque fuit peccati originalis dogma; ergo homo redemptione indiguit ; ergo, ut illum redimeret, Filius Dei incarnatus fuit.

96. — III. His in tuto positis, difficultas est utrum salus generis humani fuerit *adæquata* Incarnationis causa, ita ut, si non peccasset Adamus, Incarnatio peracta non fuisset. De quo tria certa sunt et extra omnem controversiam, scilicet : — 1. fatentur omnes salutem hominum non fuisse unicam Incarnationis causam; sed venit etiam Filius Dei ut esset dux, legislator et magister hominum, ut religionis caput existeret, ut rerum universitati præcipuum suum decus et ornamentum afferret, ut omnium creaturarum ipsorumque Angelorum Dominus constitueretur. Decreta enim semel Incarnatione, jam omnino necesse erat plures saltem ex his finibus existere, propter dignitatem Verbi divini assumentis naturam humanam; non poterat quippe Christus, v. g., non esse religionis caput, mundi decus et ornamentum. — 2. Certum est etiam Incarnationem spectatam quoad modum quo peracta est, nempe quantum ad corpus passibile et mortale quod assumpsit Christus, nonnisi consequenter ad consilium generis humani a peccato liberandi decretam fuisse. — 3. Ab omnibus etiam admittitur Deum potuisse incarnari, etiamsi Adam non peccasset, siquidem Incarnatio nullam ex se habet connexionem cum peccato.

Tota igitur quæstio est utrum, Adamo non peccante, *vi præsentis decreti* Verbum incarnatum fuisset. Affirmant Scotistæ, quibus adhærent Suaresius et alii non pauci ; juxta

illos Deus, ut summum bonum, ad extra modo perfectissimo sese communicare volens, in primo instanti Filii sui statuit Incarnationem, ut esset rerum omnium finis ac principium. In secundo, mundum hunc spectabilem propter Filium suum creandum decrevit. In tertio, lapsum hominis a se prævisum ad majorem Filii sui exaltationem reparare sancivit. In quarto tandem proposuit, ut Filius suus, cujus Incarnatio in primo instanti *quoad subtantiam* jam erat decreta, in carne sua pateretur. Vide hæc clare necnon et luculenter, exposita in eximio S. Francisci Salesii opere cui titulus : *Traité de l'amour divin* (liv. II, chap. 4).

Thomistæ e contra sententiam negantem propugnant, ideoque docent generis humani redemptionem ita esse primarium et præcipuum Incarnationis finem, ut nonnisi prævio peccato Adami, ejusque reparandi suscepto consilio, Deus illud mysterium, etiam quoad *substantiam*, peragendum decreverit. Quæ quidem sententia probabilior nobis videtur : unde sequens statuitur

97. Assertio : *Probabilius est decretam non fuisse Incarnationem, nisi consequenter ad peccati prævisionem ejusque reparandi consilium, ac proinde Christum vi præsentis decreti venturum non fuisse, si Adamus non peccasset.*

Prob. **1.** *Auctoritate.* Huc recurrunt textus Scripturæ supra adducti, necnon traditionis monumenta, quibus demonstratur Verbum incarnatum fuisse ad homines redimendos. Ex his enim sic argumentari licet : de his quæ pendent ex libera Dei voluntate, nihil aliud affirmare possumus, quam quod ex revelatione, per Scripturam et traditionem, nobis innotescit : atqui ex illis aliud nobis non innotescit, quam quod facta fuerit in remedium peccati et redemptionem generis humani. Ergo sine fundamento diceretur quod Incarnatio facta fuisset, si homo non peccasset. — Et vero sæpissime asserunt SS. Patres Incarnationem, si nullum fuisset peccatum, non esse futuram. Sic S. Irenæus (lib. 5, cap. 14, n. 1, *contra Hæreses*) ait : « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuisset. » — S. Athanasius (Orat. 3, alias 2, n. 55, *contra Arianos*) : « Quod Verbum homo factum est,

id nunquam contigisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset. » — S. Ambrosius (*de Incarnat.*, cap. 6, n. 56) : « Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat redimeretur? » — S. Augustinus (Sermo 174, alias 8, *de verbis Apostoli*, cap. 2) : « Si homo non periisset, Filius hominis non venisset. » Ergo auctoritate firmatur Thomistarum sententia.

Prob. 2. *Ratione.* Ex vi præsentis decreti, Christus non erat venturus, nisi in carne passibili. Atqui, Adamo non peccante, non erat venturus in carne passibili. Ergo, Adamo non peccante, Christus, ex vi præsentis decreti, nullo modo erat venturus. Major sic probatur : præsens decretum Dei de Incarnatione Verbi et adventu Christi, cum sit actus perfectissimæ providentiæ, determinavit omnes circumstantias particulares Incarnationis, sine quibus illa non existeret : vel ergo determinavit carnem passibilem, vel impassibilem : non impassibilem, ut constat; alioquin de facto Verbum assumpsisset carnem impassibilem : ergo non nisi passibilem.

98. Dictum fuit *probabilius*, quia non omni valore destituuntur argumenta, quæ a Scotistis in favorem suæ sententiæ tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus, tum ex ratione, allegantur.

1. *Ex Scriptura* sequentes afferri solent textus : « Dominus » possedit me, seu ut legunt LXX interpretes, creavit me in » initio viarum suarum, antequam quidquam faceret » (*Prov.*, VIII, 22). — « Primogenitus omnis creaturæ... et ipse est ante » omnes, et omnia in ipso constant » (*Col.*, I, 15). — « Et » nunc clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum, claritate » quam habui, priusquam mundus esset apud te » (*Joan.*, XVII, 5). Ergo, antequam mundus esset apud Patrem, jam Christus claritatem habebat apud eum; ergo prius exstitit Christus in decretis divinis quam mundus.

2. *Ex SS. Patribus;* Tertullianus (lib. *de Resurrec. carnis* cap. 6) loquens de formatione corporis Adami ait : « Quandocumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. » — S. Cyrillus (lib. 15, vel assertio 15 *Thesauri*, in cap. VIII, *Prov.*, V, 22 : *Possedit me*, versus finem) ait : « Antiquior in nobis est benedictio quam maledictio. Antiquior

promissio ad vitam, quam ad mortem condemnatio. Antiquior adoptio in libertatem quam diabolica servitus. » Deinde comparat S. Doctor Christum domus fundamento dicens : « Præfundatur ante nos Christus, ut in ipso nos omnes superædificemur, idque ante initium mundi in præscientia Dei... »

3. *Ex ratione*, tum quia valde conveniens erat Incarnatio, ut Filius Dei esset dux hominum, creationis princeps, mundi decus et ornamentum; exinde etenim maxima gloria Deo Patri evenit (vide S. Franciscum Salesium, *loco citato*); tum quia repugnare videtur, quod opus excellentissimum, quale est Incarnatio, veluti per accidens et occasione peccati commissi decretum fuerit.

Hæc tamen argumenta solvi posse reponunt Thomistæ, eaque revera solvunt, uti videre licet apud Billuart (*de Incarn.*, diss. 3, a. 3). Sed ne Tractatus limites excedamus, ab hac discussione abstinebimus.

ARTICULUS II.

De necessitate Incarnationis.

99. Prænotanda. Certum est — 1. *Deum omnino liberum fuisse in reparando humano genere.* Constat Scriptura et ratione theologica.

1. *Scriptura*, in qua legere est: « Deus, qui dives est in » misericordia, *propter nimiam caritatem*, qua dilexit nos, et » cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo » (*Eph.*, II, 4). « Qui prædestinavit nos in adoptionem filio» rum... secundum *propositum voluntatis suæ* » (*Ibid.*, I, 5). In illis textibus reparatio generis humani tribuitur nimiæ caritati Dei, proposito voluntatis suæ; porro hæc omnia supponunt Deum fuisse liberum in reparatione generis humani. Ergo.

2. *Ratione theologica*, et quidem multiplici: namque — 1. liber est Deus in actibus suis *ad extra*, ut in philosophicis Tractatibus demonstratur; atqui instauratio et reparatio generis humani est actus ad extra, ut patet. Ergo. — 2. Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed detrusit rebelles in tar-

tarum sine fine cruciandos; potuit ergo justitiæ non placabilis in eos exercere jura; a facto enim ad posse valet consecutio: atqui eamdem justitiam in homines exercere quam in angelos potuit; nam rationes quæ in hominum favorem potiusquam angelorum militant sunt convenientiæ, non autem necessitatis. Ergo. — 3. Si Deus ad restaurationem generis humani liber non fuisset, sed necessitate constrictus, assignari posset necessitatis hujus aliquod principium; atqui nullum principium assignari valet; non *ex parte Dei*, qui hominibus non indiget, cujus perfectiones, quamvis et aliæ et alio modo, non minus elucent in plectendis criminibus quam in relevandis peccatoribus; non *ex parte hominis lapsi;* homo enim, quatenus lapsus, nihil a Creatore postulat, aut si quid, est pœna, est vindicta; ergo.

Objiciuntur quædam SS. Patrum, in primis S. Athanasii et S. Anselmi, loca, quæ contrariam doctrinam asserere videntur; at vel de quadam convenientia aut congruentia, non vero de reali necessitate intelligendi sunt illi doctores, vel ob rationes allatas deserendi.

100. Certum est — 2. *Satisfactionem condignam non fuisse necessariam in hypothesi reparationis generis humani.* — Satisfactionis *condignæ* nomine hic intelligitur compensatio honoris læsi per exhibitionem honoris æquivalentis; quæ quidem notio, data opera, in secunda parte explanabitur. Interim assertum evincitur

1. *Auctoritate SS. Patrum;* S. Gregorius Naz. (Orat. 9) dicit: « Hæc Salvator fecit, idque cum voluntate sola nobis, utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodum universa solo jussu atque imperio procreavit. » — S. Cyrillus Alexandrinus (*apud Euthymium*, tit. 13 sub initio): « Ne corpore quidem indiguit Verbum, cum nulla re egeat, et jussu suo potuit salutem nostram peragere. » — Ita alii innumeri Patres et doctores.

2. *Ratione.* Etenim hujus condignæ satisfactionis pro injuria Deo illata necessitas nunquam demonstrabitur; nam — 1. pœnæ a peccatore persolvendæ sunt quoddam jus ad Deum pertinens; at Deus de jure suo, si ei placet, procul dubio ce-

dere potest. — 2. In Incarnatione jus quod Deus habebat ad pœnas a peccatoribus repetendas a Christo Domino exsolvitur : porro, si potuit Deus pœnas peccato debitas in Christum transfundere, cur et illas remittere non potuisset? — 3. Fatentur etiam adversarii communiter Deum fuisse liberum circa pœnæ infligendæ gradum: porro hæc libertas potentiam condonationis perfectæ includit; quia si justitia strictam satisfactionem non requirit, nec minimam necessario expostulat; nam quod ex natura rerum procedit, vel est totum, vel nullum; ergo.

Patres qui in favorem oppositæ sententiæ afferuntur, juxta præsentem ordinem loquuntur ; et ideo de relativa necessitate, quæ ex ordine a Deo libere stabilito provenit.

Quæ autem ex ratione objectiones fieri solent, facile solventur, modo rite exponatur quid a Deo fieri postulent attributa ipsius, cum peccaverit homo. Nempe, sanctitas ejus postulat ut peccatum infinito prosequatur odio, ipsumque peccatorem, quatenus peccator est, aversetur; illum autem amare potest et debet, ut est creatura gratiæ recipiendæ idonea, nec non pœnitentiæ et sanctificationis capax et Dei imago. — Justitia vero necessario quidem exigit ut a peccatore, qui contritionis eliciendæ capax est, sincerus peccati dolor expostuletur; non autem ut condignam satisfactionem repetat, quia, ut diximus, cedere de suo jure potest. — Nec dicatur Deum non magis ab exigenda propter peccatum satisfactione condigna desistere posse, quam a præmiis justo promerenti largiendis. Etenim opus vere meritorium jus acquirit homini bene operanti ; peccatum autem parti læsæ, Deo scilicet, jus puniendi conciliat : porro evidens est neminem posse de jure alieno cedere, sicut potest de suo ; ergo.

101. Certum est — 3. *Deum statuisse, ut peccatum sine condigna satisfactione non remitteretur*; et hoc duplici probatione firmatur.

Re quidem vera, Deus statuit hominum peccata sine condigna satisfactione non dimittere, si homines absque satisfactione Christi salvari non potuerint : atqui illud ex Scripturis manifestum est; nam dicitur (*Joan.*, III, 14) : « Exaltari oportet

Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. »

Et vero ille condignam satisfactionem exigit, qui nihil de jure suo remittit; atqui Deus in Scripturis exhibetur tanquam nihil de jure suo erga peccatores remittens; nam — 1. odio infinito prosequitur peccatum, et est plenus irarum in peccatores : « Similiter *odio sunt* Deo impius et impietas ejus » (*Sap.*, XIV, 2). — 2. Criminum est vindex et ultor acerrimus : « Deus *æmulator et ulciscens* Dominus : ulciscens Dominus, et » *habens furorem* » (*Nah.*, I, 11). — 3. In puniendis criminibus severam justitiam sequitur : « Non intellexerunt quoniam qui » talia agunt, *digni sunt morte* : et non solum qui ea faciunt, » sed etiam qui consentiunt facientibus » (*Rom.*, I, 32). — 4. Pœnas repetit ab iis etiam qui in peccatis suis non sunt contumaces : « Sicut per unum hominem peccatum in hunc » mundum intravit, et per peccatum mors, et ita *in omnes* » *homines mors pertransiit*, in quo omnes peccaverunt » (*Rom.*, V, 12). Sic mors pertransit etiam in infantes actus humani incapaces. Sic tempore diluvii omnes perierunt, exceptis qui in arca inclusi erant, licet ex eis plures pœnitentiam egissent, ut indirecte asserit S. Petrus (*Epist.* I, cap. 7); ergo.

102. Quibus prænotatis, difficultas est utrum Incarnatio necessaria fuerit *in hypothesi condignæ satisfactionis.*

Scotistæ existimant purum hominem gratiæ donis ornatum, pro peccatis generis humani, secundum extraordinariam Dei dispositionem, potuisse perfecte et ad æqualitatem seu condigne satisfacere. Ratio eorum præcipua est quia peccatum, licet sit infinitum objective, tamen in se formaliter et intrinsece, etiam ratione offensæ, est finitum.

Thomistæ, rati malitiam peccati lethalis esse simpliciter et intrinsece infinitam ratione offensæ, statuunt fieri non posse ut pura creatura, quantiscumque gratiæ donis cumulata, æquivalentem et perfectam pro mortali delicto, seu proprio seu alieno, satisfactionem impendat. Unde dicunt Incarnationem esse simpliciter necessariam. — Suarez et alii eamdem profitentur sententiam, quamvis diversa ratione; non admittunt enim cum Thomistis peccatum esse infinitum ratione

offensæ, sed contendunt peccatum esse eo gravius quo persona læsa est in majori dignitate constituta; proinde cum Deus sit major quacumque persona, quæ Deus non est, sequitur injuriam ei factam compensari non posse. Etenim tota satisfactio personæ humanæ in supremo gradu constitutæ exhauriretur, si persona læsa esset in eodem gradu; ergo, cum Deus sit semper omni creatura superior, nunquam satisfacere ei æquivalenter poterit quæcumque persona creata.

103. Assertio : *In hypothesi condignæ satisfactionis pro peccato, necessaria fuit Incarnatio.*

Prob. 1. *Ex SS. Patribus;* docent quippe nos non esse filios adoptionis nisi per Filium, non potuisse nos redimere Verbum, si fuisset mera creatura; sic S. Irenæus (lib. 3, *contra Hær.*, cap. 18, alias 20, n. 7) : « Qua ratione filiorum ejus (Dei) adoptionis esse possemus participes, *nisi per Filium?* » S. Athanasius (*in Oratione* 2 *cont. Arianos*, n. 67) : « Quomodo vero, si Verbum *res creata esset*, Dei sententiam abrogare peccatumque dimittere potuisset? » — S. Cyrillus Alex., (in epist. *ad Valerian, contra Nestorianos*, ante medium) : « Quo pacto unus pro nobis pretium exsolveret, si illa passio *puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* » Hi omnes textus clari sunt, et Incarnationis necessitatem aperte declarant.

Prob. 2. *Ratione.* Etenim vel peccatum in genere offensæ est infinitum, ut volunt Thomistæ, vel finitum, ut dicunt Scotistæ; atqui in utraque hypothesi satisfactio a mera creatura exhibita non est æquivalens. Illud patet, si malitia peccati sit infinita; infinitum enim nonnisi infinito compensari potest. Nec etiam erit æquivalens satisfactio, si peccati malitia sit tantum finita. Etenim malitia peccati crescit juxta personæ læsæ dignitatem et personæ lædentis vilitatem; ergo gravitas peccati mortalis in Deum superat gravitatem cujuslibet peccati in quamlibet creaturam commissi; jam vero valor satisfactionis creaturæ, ad quemlibet gradum evectæ et quibuslibet donis cumulatæ nusquam excedere potest offensam quæ creaturæ ad dignitatem maximam possibilem evectæ inferretur; ergo non potest offensæ Deo illatæ adæquari; ergo cujuslibet crea-

turæ possibilis satisfactio non potest peccato esse æquivalens; ergo in hypothesi perfectæ satisfactionis necessaria est Incarnatio.

Et vero injuria Deo per peccatum illata nonnisi per actum pœnitentiæ aut caritatis perfectæ, quatenus Deo rationem finis ultimi redderet, condigne reparari posset. Sed nullus actus, quantumvis perfectus, a mera creatura exhibitus, injuriam Deo per peccatum illatam compensare potest; gravitas enim injuriæ mortalis non consistit in hoc tantum quod auferatur a Deo ratio ultimi finis, ad quod habet jus strictum, sed etiam quod hujus juris violatio et divinæ majestatis depressio fiat a vili creatura Deum sibi subjiciente; actus vero caritatis vel pœnitentiæ reddit Deo rationem ultimi finis, quatenus subjicit creaturam Deo. Atqui longe gravius est Deum creaturæ subjici, quam subjicere Deo creaturam. Ergo.

Dictum fuit: *In hypothesi satisfactionis condignæ*, quia in præsenti satisfactionem penes tantum materiam seu ratione pretii, quo fit compensatio, attendimus; sed alia est satisfactio, in qua consideratur forma justitiæ, nec proinde solus materiæ valor, verum etiam conditio personæ satisfacientis; quæ quidem, ut sit perfecta, plures requirit conditiones, nempe : ut sit ad alterum, ex bonis propriis, nec alio titulo debitis aut sub dominio creditoris contentis, eamque acceptare teneatur creditor; hujusmodi satisfactio ex parte formæ perfecta vocari solet a theologis *rigorosa* vel *de toto rigore justitiæ*, dum alia quæ ex parte materiæ perfecta est, *condigna* vel *de condigno* dicitur. Porro hominem purum non posse Deo pro peccato satisfacere secundum totum rigorem justitiæ, satis per se patet, nec ideo opus est ut de hoc longius disseramus.

104. Quæritur 1. *Utrum Deus, homine non peccante, ab Incarnatione peragenda abstinere potuisset?*

Resp. Duplex circa illud occurrit error, unus scilicet Wiclefi qui docuit (*in Trialogo*) Deum non magis liberum esse in operibus ad extra quam in æterna Filii sui generatione, ac proinde Incarnationem absolute necessariam fuisse; cui favet Leibnitius, dum asserit (*Essais de théodicée*) Deum ad mundum hunc condendum, in quo sane continetur Incarnatio, immutabili sua

sapientia et bonitate inductum fuisse; alter vero, quo prædicatur Incarnationem fuisse simpliciter necessariam in hypothesi creationis mundi. Ita Raymundus Lullus et Malebranchius, ad hanc conclusionem ex suo systemate circa *Optimismum* adducti.

Quidquid sit, uterque ille error manifeste rejiciendus est, tum quia contradicit Scripturæ, in qua Incarnatio exhibetur ut opus summæ benevolentiæ ac singulare misericordiæ divinæ beneficium; tum quia libertatem Dei, qualis in Philosophia demonstratur, e medio tollit; tum quia falsa est doctrina *Optimismi*, ex quo suam sententiam deduxerunt Leibnitius, Lullus et Malebranchius.

Quod speciatim ad secundum systema attinet, nemo non videt nullam esse connexionem necessariam mundum inter et Incarnationem; quippe cum hæc necessaria Incarnationis cum mundi creatione connexio, nec ab idea operis cujuslibet possibilis in se sumpti, nec a Deo, repeti potest. Adde creationem id unum secum importare et necessario includere, nempe creaturis illud a Deo concedi quod earum natura continet et exigit; nulla vero creatura intelligens suapte natura hypostaticam cum Verbo divino unionem postulat. Ergo.

105. Quæritur 2. *Utrum Incarnatio ne moraliter quidem ex parte Dei necessaria fuerit, ea scilicet necessitate, quæ ex meritis remunerandis oritur?*

Duplex meritum distinguitur : aliud de condigno; aliud de congruo. — Meritum de *condigno* illud est cui ex justitia debetur merces; ad ipsum constituendum quatuor communiter requiruntur conditiones, nempe libertas et sanctitas in agente, dignitas præmio proportionata in opere, demum promissio in remunerante. — Meritum de *congruo* illud est cui ex aliqua decentia et benignitate præmium tribuitur.

Incarnatio spectari potest vel *in se*, quatenus videlicet est unio naturæ humanæ cum natura divina in persona Verbi, vel *in suis circumstantiis*, v. g., loci, aut temporis.

Jam vero quæstio movetur de Christo ipso, de veteribus Patriarchis, demum de ipsa B. Virgine Maria, an scilicet Incarnationem aliquo modo meruerint, aut saltem aliquas ejus circumstantias. — Quibus prænotatis,

Resp. 1. Christus *nullo modo meruit Incarnationem.* Patet ex jam dictis, ubi de supernaturalitate unionis hypostaticæ. Id autem confirmari potest — 1. Ex *Scriptura Sacra*; legitur enim (*Joan.*, III, 16) : « Sic Deus *dilexit mundum, ut* Filium » suum unigenitum daret. » Item (*Luc.*, I, 78) : « Per viscera » *misericordiæ Dei nostri*, in quibus visitavit nos, oriens ex » alto. » His verbis Incarnatio summæ Dei misericordiæ et bonitati tribuitur; ergo non fuit objectum meriti Christi. — 2. Ex *S. Augustino* (*Enchirid.*, cap. 36) : « Hic (in Incarnatione), inquit, granditer et evidenter gratia Dei commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unicæ Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? Cujus boni propositi studium? Quæ bona opera præcesserunt quibus mereretur Christus homo, ut una fieret persona cum Deo? » — 3. *Ratione.* Si humanitas Christi incarnationem meruit, id fuit utique vel per opera quæ ipsam præcesserunt, vel per ea quæ illam consecuta sunt; porro neutrum dici potest; non *primum*, cum fides doceat nullum fuisse tempus, quo humana Christi natura sine hypostatica cum Verbo conjunctione exstiterit; non *secundum*, quia principium meriti non cadit sub meritum, alioquin una et eadem res sui ipsius esset principium; ergo Incarnatio, quæ fuit in Christo radix omnis meriti, non potuit esse illius meriti objectum. Vide de Lugo (*de Incarn.*, disp. 8).

Resp. 2. Veteres Patriarchæ *non meruerunt de condigno Incarnationem, nec circumstantias ejus*; *de congruo tamen aliquas ex eis meruerunt.*

1. *Patriarchæ non meruerunt Incarnationem de condigno*; nam — 1. ex dictis, Incarnatio in Scriptura tribuitur Dei benignitati et misericordiæ. — 2. Omne meritum Patriarcharum provenit ex gratia propter Incarnationem concessa : porro meriti principium non cadit sub merito. — 3. Nulla fuit inter Patriarcharum bona opera et Incarnationis pretium proportio : porro hæc proportio vel condignitas ad meritum de condigno requiritur. Ergo.

2. *Patriarchæ non meruerunt de condigno circumstantias incarnationis*; nam ut patriarchæ illud de condigno mereri po-

tuissent, duo requirebantur : condignitas in eorum operibus relative ad circumstantias Incarnationis, et promissio divina anterior : porro abfuit hæc condignitas, nec profertur promissio divina antecedens ; ergo.

3. *Patriarchæ et prophetæ quasdam Incarnationis circumstantias de congruo meruerunt.* Illud constat ex auctoritate S. Thomæ : « Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem petendo et desiderando. Congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant » (3, q. 2, a. 11). Ita omnes theologi. — Triplex autem exponitur circumstantia, quam Patriarchæ et prophetæ mereri potuerunt : — 1. Circumstantia *progeniei*, qua Christus ex stirpe Abraham natus est (*Genes.*, XXII, 18) : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, *quia obedisti voci meæ.* » Quam promissionem exponit de Christo Apostolus (*Gal.*, IV). Davidi eadem facta fuit promissio ; illi quippe promittitur filius qui regnabit in æternum, ob illius propositum ædificandi domum Domini, quæ promissio ad Christum Dominum potissimum spectat (II *Reg.*, VII, 16). — 2. Circumstantia *loci* Incarnationis, de qua tamen circumstantia nullus Scripturæ vel Patrum affertur textus. — 3. Circumstantia *temporis*, seu acceleratio Incarnationis, ut insinuatur apud Danielem (IX, 23) : « *Quia vir desideriorum es....* » septuaginta hebdomades *abbreviatæ sunt.* » Vox tamen ista *abbreviatæ*, potius temporis determinationem quam abbreviationem significat. Propter hoc et alia momenta contendit de Lugo (disp. 8, sect. 4) Patriarchas et Prophetas hanc circumstantiam temporis mereri non potuisse ; contrarium tenent Suarez et Vasquez, quos consulere haud ingratum erit, si lubet.

Resp. 3. B. Virgo Maria *nec Incarnationem*, nec *ejus circumstantias* de condigno meruit, sed *maternitatem divinam* meruit de congruo, saltem late et minus proprie loquendo.

Constat *primum*, nempe B. Virginem Mariam non meruisse *de condigno Incarnationem et ejus circumstantias.* — Omnes quippe huc recurrunt rationes quæ in præcedenti assertione fuerunt allatæ.

Secundum vero, seu quod B. Virgo Maria meruerit *materni-*

tatem divinam de congruo saltem late et minus proprie loquendo, probatur

1. *Precibus Ecclesiæ.* « Regina cœli lætare, quia quem *meruisti* portare... » — « Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatæ Mariæ Virginis corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici *mereretur*... præparasti. »

2. *Ex SS. Patribus.* S. Ambrosius (lib. 2, *de Virginibus*, cap. 2, n. 10) dicit : « *Digna fuit* (Maria), ex qua Filius Dei nasceretur. » — S. Hieronymus (Epist. 17, al. 22, *ad Eustochiam*, § Nec illarum) : « Propone tibi B. Mariam, quæ tantæ exstitit puritatis, *ut Mater Domini esse mereretur.* » — S. Augustinus (lib. *de Natura et gratia*, cap. 36, n. 42) : « Concipere *meruit* et parere eum, quem constat nullum habuisse peccatum. »

3. *Ratione*, tum quia, ex dictis, meruerunt Patriarchæ ut ex eorum progenie nasceretur Christus; ergo a fortiori illud mereri potuit B. Virgo; tum quia congruum sane fuit, ut B. Virgo præcellenti sanctitate omnes mulieres longe superans, tanta dignitate præ cæteris insigniretur.

Diximus : *Saltem late et minus proprie loquendo*, quia disputant auctores an B. Maria meruerit proprie et stricte *de congruo* maternitatem divinam.

106. Quæritur 3. *Utrum homo justus possit condigne satisfacere pro peccato veniali?*

Resp. Affirmant Thomistæ quam plurimi, idque duplici ratione ostendunt. — 1. Peccatum veniale ex natura sua differt a peccato mortali; quod quidem discrimen in eo consistere videtur, quod in peccato mortali Deus ut finis ultimus a creatura deseratur et contemnatur, dum in peccato veniali homo a Deo se non avertit ut fine ultimo, sed paululum se ad creaturas convertit. Jam vero peccatum, quo Deus non deseritur, neque infinitum in genere offensæ dici potest, neque ad ordinem supremum injuriæ pertinet, ad quem pura creatura suis satisfactionibus assurgere non possit. Ergo. — 2. Si homo justus non posset Deo ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali, propter illud solum posset a vita æterna excludi et in æternum puniri, quia tamdiu ille qui peccatum commisit, ob illud juste puniri potest, quamdiu ad æqualitatem non satisfecerit : atqui

illud repugnat, quia justus justitia et Dei amicitia donatur, et quia illud est discrimen inter peccatum mortale et veniale quod primum mereatur pœnam æternam, non secundum. — Attamen, ait de Lugo (*de Incarn.*, disp. 5, sect. 7, n. 130), licet purus homo possit utcumque et difficile satisfacere condigne pro culpa veniali, de facto tamen crediderim, saltem regulariter, non tolli peccatum veniale nisi gratuita Dei condonatione et remissione, licet antecedat aliqua satisfactio nostra, saltem de congruo. Scriptura enim et Patres, de peccatis in universum loquentes, nunquam dicunt ea tolli per solutionem nostram, sed per Dei misericordiam et condonationem.

Multi vero et graves theologi docent hominem satisfacere non posse ad æqualitatem pro peccato veniali. Quamquam enim, inquiunt, per veniale peccatum homo non avertatur a Deo tanquam fine ultimo, adest tamen aliqua aversio, aliqua offensa quæ objective ac ratione personæ læsæ est infinita, et sic peccatum veniale infinitæ dici potest malitiæ; pro quo proinde nulla humana satisfactio potest esse ad æqualitatem.

ARTICULUS III.

De Incarnationis convenientia.

107. Status quæstionis. Incarnatio, etiam prout est medium ab æterna sapientia ad homines redimendos electum, considerari potest vel ex parte *Dei*, vel ex parte *naturæ humanæ*, vel ex parte *universitatis rerum*, quibus homo intime connectitur. Eam vero sub hoc triplici respectu convenienter decretam fuisse ideoque eidem procurando quam maxime aptam fuisse, sequens ostendet

108. Assertio : *Incarnatio Verbi convenientissima fuit sive Deo, sive humanæ naturæ, sive etiam rerum universitati.*

Probatur prima pars. Illud enim valde Deo convenit, ex quo divina attributa, bonitas scilicet, justitia, sapientia et potentia mire clarescunt : atqui ita fit in reparatione humani generis per Incarnationem.

1. *Bonitas* divina mire clarescit; nam maximum bonitatis, munificentiæ et amoris signum superioris erga inferiorem

est : — sui conspectus personæ dilectæ copiam facere ; — cum persona dilecta permanere, colloqui ; — amantis est amico laboranti opem ferre ; illum maximis beneficiis cumulare : atqui hæc bonitatis et amoris signa per Incarnationem Deus hominibus præstitit ; hinc (*Joan.*, III, 16) dicitur : « Sic Deus » *dilexit* mundum, ut Filium suum unigenitum daret. »

2. *Justitia* Dei in Incarnatione non minus elucet, tum quod peccatum non reliquit impunitum, sed pares ipsi pœnas repetiit ; tum quod voluit diabolum ab homine superari ; justum enim erat ut ille dæmonem vinceret qui a dæmone victus fuerat.

3. *Sapientia*. Deus sic agendo sapiens apparet, — tum quia justitiæ jura cum misericordia conciliavit ; hinc egregium illud Psalm. (LXXXIV, 11) : « Misericordia et veritas obviaverunt » sibi ; justitia et pax osculatæ sunt ; » — tum quia sapientis est contraria contrariis curare ; atqui hæc præstitit Deus : curavit superbiam humilitate, voluptatis amorem doloris amore, desiderium divitiarum paupertatis exercitio ; — tum quia per suam infirmitatem sapienter infirmitati nostræ sese accommodavit, ut nos ad cœlestia erigeret.

4. *Potentia* demum non minus in reparatione hominis quam in ejus creatione apparet ; unde S. Ambrosius (in lib. vel cap. 2 *Lucæ*, n. 41) ait : « Plus, Domine, injuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operibus quod creatus. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. » Insuper eminet potentia in eo quod naturam divinam et naturam humanam, tanto intervallo disjunctas, in una Verbi persona copulaverit, et quidem tam mirabili fœdere, ut nec inferiorem consumat glorificatio, neque superiorem diminuat assumptio (Cf. S. Thomas, 3, q. 1, a. 1).

Confirmatur hæc prima pars alia ratione, quam habet Angelicus Doctor (*loc. cit.*). Et vero de ratione summi boni est se summo ac perfectissimo modo communicare, cum bonum, teste Dionysio, sit sui diffusivum : sed Deus per Incarnationem se summo et perfectissimo modo communicat ; in hoc siquidem mysterio facta est communicatio omnium maxima, tam intensive quam extensive : *intensive* quidem, cum illud

quod naturæ assumptæ communicatum fuit, nempe subsistentia increata Verbi divini, sit infinitæ dignitatis et perfectionis, bonaque omnia ac dona ordinis naturæ, gratiæ et gloriæ in infinitum superet; *extensive* autem, cum non solum ad hominem, sed etiam ad omnes universi creaturas in homine veluti in epilogo contentas, se quodam modo extendit, ut infra magis declarabimus. Ergo.

Probatur secunda pars. — Id profecto homini maxime convenit, quo bona summa illi allata sunt; atqui per Incarnationem summa bona supernaturalia homini allata sunt. Ergo. Constat minor, quia Incarnatione

1. Humanitas in Christo exaltata est et sublimata ad summum dignitatis fastigium, sicque humanæ naturæ incredibiles advenerunt perfectio et excellentia, omnia scilicet bona, quæ veniunt illi simul cum hac unione : honor summus et dignitas ad cultum latriæ pertinens, valor infinitus in meritis et in satisfactione, sedes ad dexteram Dei, plenitudo gratiæ et gloriæ, potentia ad miracula omnia, thesauri sapientiæ et scientiæ Dei (Cf. de Lugo, *de Incarn.*, disp. 1, n. 12). Ex quo fit insuper ut in Verbo incarnato habeant homines quoad ordinem gratiæ caput homogeneum et ejusdem naturæ, a quo omnium charismata gratiarum in membra defluant.

2. Ipsi redempti sumus et liberati a servitute dæmonis atque a peccato, et assecuti fuimus gratiam sanctificantem, qua filii Dei efficimur ejusque *hæredes..., cohæredes autem Christi* (*Rom.*, viii, 17), adeo ut nobis jam pateat facilis ad Deum aditus; advocatum enim « habemus apud Patrem Jesum » Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nos- » tris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius » mundi. » (I *Joan.*, ii, 1). Quin etiam inde habet homo in Deo, unde fieri possit plene beatus ; in anima, videndo Christi divinitatem ; in corpore, videndo ejus humanitatem ac proinde tota ejus conversio sit apud Deum.

3. Doctrina cœlesti imbuti, Deo loquente nobis in Filio,... per quem fecit et sæcula (*Hebr.*, i, 2), simul ad exercitium virtutum, quibus Deum colimus, efficaciter promovemur; « primo quidem, quantum ad *fidem*, quæ magis certificatur

ex hoc quod ipsi Deo credimus. » Unde Augustinus (l. 2, *de Civit. Dei*, c. 2) dicit : « Ui homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem. » Secundo, quantum ad *spem*, quæ per hoc maxime erigitur. Unde Augustinus (l. 13, *de Trinit.*) dicit : « Nihil tam necessarium ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quantum nos diligeret Deus. Quid vero hujus rei isto indicio manifestius, quam quod Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium. » Tertio, quantum ad *caritatem*, quæ maxime per hoc excitatur : unde Augustinus dicit (in libro *de Catech. rudibus*, c. 4) : « Quæ major est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? « Et postea subdit : « Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat » (S. Thomas, 3, q. 1, a. 2). — Ne multa, omnium virtutum exempla nobis dantur, maxime vero religionis et obedientiæ erga Deum, cui sese in victimam Homo-Deus obtulit; bonorum et malorum temporalium despicientiæ, quam paupertas et passiones Christi commendant; ac tandem humilitatis, quam in remedium innatæ nobis superbiæ Christus toto suæ mortalis vitæ decursu magnopere coluit. Unde rursus Augustinus (lib. *de Agone Christ.*, c. 11, n. 12) exclamat : « Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? »

Patet igitur quot et quanta bona humano generi attulerit Verbi divini Incarnatio; ipsamque proinde homini convenientissimam esse nemo non videt.

Probatur tertia pars. — illud rerum universitati conveniens merito dicitur, quod ei magnum decorem attulit : porro hujusmodi esse Incarnationem sequenti modo breviter evinci potest :

1. Unio hypostatica personæ divinæ cum natura aliqua spiritu et corpore constituta rerum universalitati, quæ ex spiritibus et corporibus tota coalescit, sanctitatem quamdam summamque dignitatem confert, qua Dei, ad quem omnia referuntur, sanctitas et infinitas mirum in modum elucescunt.

Hæc exprimit Paulus dicendo Deum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt (*Eph.*, I, 10).

2. Incarnatio id decoris universo mundo tribuit, quod omnibus præsit et imperet Deus-Homo, qui et ipse secundum naturam suam Deo subjectus est, juxta illa D. Pauli (*Eph.*, I, 20) : « Constituens (Deus Christum) ad dexteram suam in » cœlestibus, *supra omnem principatum, et potestatem, et vir-* » *tutem, et dominationem*, et omne nomen, quod nominatur » non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia » subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput *supra om-* » *nem Ecclesiam;* » et (I *Cor.*, XV, 28) : « Cum autem subjecta » fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui » subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. »

3. Ab Incarnatione demum Angeli, sicut homines, habent quod juncti Christo suo capiti, possint cultum infiniti valoris creatori suo exhibere; nec aliunde orietur templum illud eximium, quod Deus ex Angelis et Sanctis ædificare proponit, « et cujus lapis angularis, » summus sacerdos atque decus maximum erit ipse Christus Jesus, in quo et per quem omnes Beati Deo honores ejus majestati proportionatos in æternum sunt reddituri. — Ergo rerum universitati valde conveniens fuit Incarnatio.

Quæ cum ita sint, merito prorsus Ecclesia in benedictione cerei paschalis decantat : « *O Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* »

109. Quæritur 1. *Utrum convenientius fuit Filium Dei incarnari, quam Patrem vel Spiritum Sanctum?*

Resp. *Affirmative;* idque SS. Patres multiplici ratione probant : — 1. Maxime conveniebat ut idem qui est Filius Dei ab æterno fieret in tempore Filius hominis, ne scilicet duo in SS. Trinitate nuncuparentur filii, alter æternus et increatus ac naturalis, alter temporalis et incarnatus ac adoptivus. — 2. Cum omnia per Verbum sint facta, conveniens videtur ut idem esset reparator generis humani, qui ejusdem conditor fuerat (S. Leo, serm. 12, *de Pass. Domini*, cap. 2). — 3. Filius est Patris sapientia... « Erat autem conveniens, inquit Hugo Victorinus (*Summæ sententiarum*, tract. 1, cap. 15), ut sicuti

per sapientiam suam Pater mundum fecit, ita per eamdem redimeret. » — 4. Ad nullum magis pertinere videtur Dei imaginem in homine per peccatum deletam restituere, quam ad eum qui est imago Dei invisibilis. Ita ratiocinatur S. Athanasius (lib. *de Incarn.* — Vide Vitasse et Legrand).

110. Quæritur 2. *Utrum convenientius fuit reparari naturam humanam quam angelicam?*

Resp. *Affirmative.* Plures namque rationes disparitatis angelos inter et homines a SS. Patribus proferuntur. — 1. Angelorum pars minor corruit; tota vero cecidit natura humana. — 2. Angeli sua sponte et citra ullam tentationem peccaverunt : Adamus contra ab uxore, et uxor a serpente in crimen impulsi fuerunt. — 3. Angeli omnes voluntate propria prolapsi sunt; homines autem unius primi parentis culpa in ruinam devenerunt. — 4. Angeli tenaciorem in proposito voluntatem habent, dum flexibilis et debilior est hominis voluntas. — 5. Infirmior est hominum natura, et per se magis divinam misericordiam provocat quam angelica. — 6. Cum præ invidia dæmon homines in peccatum induxisset, par erat ut opus suum Deus restitueret, ne ullus locus gloriandi adversus Deum et hominem relinqueretur : « Erat, inquit S. Athanasius (*de Incarn. Verbi*, n. 6), indignum bonitate Dei, ut quæ ab ipso facta erant corrumperentur fraude ac calliditate diaboli, qua homines circumdederat... Quocirca revera maxime consentaneum erat bonitati Dei magnum illud opus. »

111. Quæritur 3. *Utrum conveniens fuit Incarnatio ratione temporis quo executioni mandata fuit?*

Resp. 1. Conveniens fuit Incarnationem non *statim post Adæ lapsum* fieri, sed solum *post aliquod tempus;* quod quidem his verbis tradit S. Augustinus (Tract. 31 *in Joan.*, n° 5) : « Multi dicunt quare non ante venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis. Non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu erat prædicendus, semper tenendus. Quanto major judex veniebat, tanto præconum longior series prædecebat. » — Insuper hæc eadem dilatio fidei augendæ et desideriis excitandis fuit aptissima, ut docet S. Leo. Et vero ista dilatione homo, qui per superbiam pecca-

verat, felicius humilitatem didicit, morbi sui gravitatem, naturæ ac legis infirmitatem agnoscendo, ut notat S. Thomas (3, q. 1, a. 5).

Resp. 2. Convenientius fuit Incarnationem post sat longum temporis intervallum peragi, quam *usque ad mundi finem differri;* nam, ut observat S. Thomas, tunc solummodo ultimi ævi homines magnis donis, quæ secum attulit Incarnatio, potiti fuissent; quamvis enim fide in Messiam venturum salvari potuerint qui ante Messiam vixerunt, tamen nonnisi post Incarnationem uberiores fluxerunt gratiæ quibus Deus homines cumulavit.

PARS II.

DE REDEMPTIONIS MYSTERIO.

112. Redemptionis notio. Redemptio, prout hic sumitur, definiri potest : *Restitutio hominum ex servitute in libertatem amissam, pretio soluto.*

Dicitur — 1. *Restitutio ex servitute in libertatem*; homines enim per peccatum libertatem filiorum Dei amiserant, jamque suberant servituti mortis, peccati et dæmonis. — 2. *Pretio soluto,* quia tunc proprie fit redemptio, cum res amissa recuperatur per solutionem pretii. Hoc autem redemptionis nostræ pretium non aliud fuit ac opus Deo pro peccatis oblatum, passio nempe Christi ejusque cruentum sacrificium, cui, etsi minima Christi actio ad redimendos homines sufficiens fuisset, utpote valoris infiniti, merito tamen adscribitur redemptio, uti infra exponemus; de quo pretio B. Paulus (I *Cor.*, VI, 20) scribit : « Empti estis *pretio magno,* » et B. Petrus (I Ep., I, 18) : « Non corruptibilibus auro aut argento redempti estis de vana » vestra conversatione paternæ traditionis; sed *pretioso san-* » *guine* quasi agni immaculati Christi, et incontaminati. »

113. Ordo dicendorum. Hac præmissa notione, ea quæ ad redemptionem spectant, in triplici capite exponemus : *primum* de existentia redemptionis, *secundum* de ejus universalitate, *tertium* de muneribus Christi redemptoris sermonem habebit.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA REDEMPTIONIS.

114. Redemptio duplicem effectum habere debuit, *satisfactorium* unum, *meritorium* alterum. Nec mirum; homo enim per peccatum non tantum abruperat Dei amicitiam ejusque favores amiserat; sed etiam ejusdem inimicitiam ac proinde debitum vindictæ subeundæ incurrerat : porro secundus peccati effectus per satisfactionem tollendus erat; primus autem per meritum, quo amicitia et favores Dei iterum recuperarentur (Cfr. Schouppe, *de Incarnat.*, cap. 3, a. 2).

Duo igitur ad existentiam redemptionis stabiliendam expendenda habemus, videlicet an et quatenus Christus — 1. pro peccatis hominum satisfecerit; — 2. æternam beatitudinem cæteraque bona supernaturalia per peccatum amissa nobis meruerit.

ARTICULUS I.

De satisfactione Christi.

115. Satisfactionis notio. Satisfactio, juxta Catechismum Romanum, est *rei debitæ integra solutio.* Res autem debita potest esse vel aliquid pretio æstimabile, v. g., pecunia, vel obsequium alteri præstandum ob illatam injuriam.

In hoc posteriori sensu satisfactio hic intelligitur, ideoque definiri potest : *Redditio voluntaria honoris æquivalentis ad compensandam injuriam alteri illatam.* — Dicitur — 1. *redditio*, quia satisfactio est actus virtutis justitiæ; — 2. *voluntaria*, tum quia injuria libere illata actu libero compensari debet; tum quia sine submissione libera non redditur honor; tum

quia dari nequit actus virtutis, quin sit voluntarius; — 3. *honoris*; nam satisfactionem sumimus, prout ad solutionem debiti personalis ex injuria illata provenientis attinet; — 4. *æquivalentis*, quia satisfactio pro offensa, utpote opposita liberali offensæ remissioni, expostulat æquivalentiam inter opus satisfactorium et honorem læsum; — 5. *ad compensandam injuriam*, ut magis distinguatur a merito, quod respicit præmium; — 6. *alteri illatam*, siquidem nemo quidquam sibi proprie reddere potest.

Rursus satisfactio potest esse *rigorosa* vel *condigna* tantum: *rigorosa*, si serventur conditiones strictæ justitiæ, de quibus infra; *condigna* tantum, si res oblata adæquet debitum, quin tamen adsint conditiones strictæ justitiæ.

His prænotatis, primum contra Socinianos, Methodistas et alios plures hæreticos, qui dicunt Christum munia sibi a Deo imposita ad procurandam nostram salutem explendo, imo sanguinem suum in cruce fundendo, nullatenus pœnas peccatis nostris debitas exsolvisse, sed gratis obtinuisse eorumdem peccatorum relaxationem, proindeque ipsum non alio fine pro nobis mortuum esse, nisi ut suis exemplis et exhortationibus viam salutis hominibus monstraret, probandum venit Christum *vere* et *proprie*, non metaphorice tantum satisfecisse; quo præstito, nonnulla expendemus, quibus Christi satisfactio magis ac magis declarabitur. Sit proinde sequens

116. Assertio. *Christus vere et proprie divinæ justitiæ pro hominibus satisfecit.*

Est de fide, utpote in variis symbolis tradita et ab omnibus catholicis firmiter credita.

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua nempe Christus multoties repetitisque verbis affirmatur

1. *Pœnas ab hominibus repetendas exsolvisse* : sic (*Isai.*, liii, 5) legitur : « *Vulneratus est* propter iniquitates nostras, *attritus est* propter scelera nostra... *Posuit* Dominus *in eo iniquitatem omnium nostrum*; » item (I *Petr.*, ii, 24) : « *Peccata nostra ipse pertulit* in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. »

2. *Semetipsum tanquam victimam piacularem in ara obtulisse*;

scribit quippe Apostolus (*Eph.*, IV, 2) : « Christus dilexit nos, » et *tradidit seipsum pro nobis* oblationem et hostiam Deo in » odorem suavitatis ; » similiter (*Matth.*, XX, 28) dicitur : « Hic est sanguis meus novi Testamenti, *qui pro multis effun-* » *detur in remissionem peccatorum.* »

3. *Iram divinam sanguinis sui effusione placavisse hominesque cum Deo ita reconciliasse, ut ex inimicis amici evaderent.* — « Cum inimici essemus, *reconciliati sumus Deo per mortem* » *Filii ejus* » (*Rom.*, V, 20) ; — « Et vos cum essetis aliquando » alienati et inimici sensu in operibus malis ; nunc autem » *reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem* » (*Colos.*, I, 21).

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres toti sunt ut vicariam Christi satisfactionem inculcent ; audiantur præ cæteris — S. Polycarpus (Ep. *ad Philipp.*, n. 8) dicens : « Christus Jesus, qui pertulit nostra peccata in corpore suo super lignum, qui peccatum non fecit, propter nos, ut vivamus in ipso, omnia sustinuit ; » — S. Ambrosius (lib. *de Joseph*, c. 6, n. 19) scribens : « *Unus exsolvit* quod ab omnibus debebatur ; » — S. Augustinus, qui (*contra Faustum*, l. 14, c. 4) ait : « *Suscepit* Christus sine reatu *supplicium nostrum*, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum. » Ex quibus aperte constat Christum, juxta mentem SS. Patrum, non improprie tantum ac metaphorice, sed vere ac proprie, id est, soluto pretio, divinæ justitiæ pro nobis satisfecisse. Ergo.

Prob. 3. *Ratione theologica.* Etenim tam in veteri quam in novo Testamento redemptio, justificatio et salus nostra non tantum soli Christo, exclusis prophetis et martyribus, sed etiam ejusdem morti et sanguini semper adscribuntur. Atqui aliter res esse deberet, si Christus pro nobis tantum satisfecisset nosque redemisset sanam doctrinam prædicando, nobisque eximiarum virtutum morte sua exempla præbendo, tum quia hoc et prophetæ multi et martyres omnes effecerunt ; tum quia miraculis etiam et sanctitate vitæ doctrinam suam Christus confirmavit et viam justitiæ nobis monstravit. Ergo.

Idem erui potest ex usu et ritibus sacrificiorum sive apud Judæos in antiqua lege, sive apud cæteros populos usurpato-

rum ; in his quippe videre est victimam a reo distinctam, ex rebus hominum usui et dominio concessis selectam, ejus loco substitutam ut pœnas ab illo promeritas exsolveret : hæc autem symbolica substitutio typus erat et prænonstratio alterius realis susbstitutionis, qua Dei Filius factus homo seipsum pro genere humano lapso subrogavit, ut injuriam ab homine peccatore irrogatam compensaret pœnasque peccato debitas persolveret. Ergo.

Confirmatur demum ex confutatione objectionum, quas in contrarium afferunt Sociniani. Ideo quippe dogma satisfactionis Christi e medio tollunt, quia repugnare ipsis videtur — tum ex parte *Dei*, qui, ex Scripturis, inquiunt, delicta gratis condonat; — tum ex parte *Christi*, qui cum innocens fuerit, pœnas pro nocentibus dare non potuit; — tum ex parte *hominis*, cujus satisfactio personalis, dato quod Christus satisfecisset, injuste peteretur, et satisfactionis Christi insufficientiam argueret. At vero nullum ex his dici potest.

Non *primum*; Deus enim eo sensu nobis delicta gratis condonare dicitur, quod cum posset exigere ut peccator pœnas debitas ipse lueret, ex hominis dilectione et mera misericordia in compensationem injuriæ sibi illatæ et in solutionem pœnarum a peccatoribus debitarum, dignatus sit Christi innocentis satisfactionem acceptare. Magnum quippe est discrimen inter debitum *reale* et *personale* : in debitis realibus restituenda est æqualitas rei ad rem, idque pro alio sine ulla condonatione creditoris quilibet præstare potest. Sed in debitis personalibus, retinenda est æqualitas personæ ad personam, quæ exigit ut ab ipsa persona lædente præstetur, adeo ut gratuita dicenda sit respectu illius remissio, si persona læsa satisfactionem ab alia oblatam acceptet, licetque persona sese offerens loco personæ lædentis veram, imo ex parte sui rigorosam, satisfactionem solvat : porro ita fit in præsenti mysterio redemptionis.

Non *secundum* ; innocens namque pœnas pro nocente dare potest, modo ipsum repræsentare possit et velit, ad satisfaciendum pro eo opera sua ordinet, et a persona læsa hæc satisfactio acceptetur : sed hæc tria in Christo adamussim verificantur. Nam per Incarnationis decretum et missionem Verbi in mun-

dum Christus constitutus fuit secundus Adam, et caput juridicum humani generis; ideoque communem cum hominibus naturam habet, ut caput pro membris apud Deum hominibus substitui possit; — intentio autem per opera sua satisfaciendi ex ea voluntate humana repetenda est, qua se Deo obtulit ut hostiam pro peccatis hominum; — demum hanc oblationem a Deo acceptatam fuisse haud ægre colligitur tum ex decreto Incarnationis necnon ex speciali mandato, quo Deus Unigenito Filio præcepit ut morti se traderet, tum ex gloria qua Christus apud Patrem fruitur. Ergo.

Non *tertium :* licet enim Christus omne pretium pro nobis solverit, et quidem non tantum æquivalenter, sed etiam superabundanter, ut mox dicetur, ea tamen conditione pro nobis satisfecit, ejusque satisfactionem pro nobis Deus gratam habuit, ut homo hanc satisfactionem per propria opera sibi applicaret; unde hæc nova satisfactio nec injuste ab illo petitur, nec insufficientiam in Christi satisfactione arguit.

Imo, nedum infinitus satisfactionum necnon meritorum Christi thesaurus ex necessitate nobis imposita satisfaciendi et merendi aliquod detrimentum accipiat, uti contendebant Protestantes, amplius e contra et magnificentius declaratur. Christus siquidem non solum per se satisfecit ac meruit, sed etiam suis membris virtutem satisfaciendi et merendi comparavit, quatenus nempe ex ipso habemus — tum ut nobis satisfaciendi et merendi principium, id est, gratia, conferatur; — tum ut satisfactionibus nostris remissio pœnæ, meritis vero corona vitæ promissa fuerit; — tum ut nos ipsi, quatenus membra Christi capitis, et ob hanc rationem formalem membrorum, in ordine ad satisfaciendum et merendum Deo acceptiores simus. Quæ quidem tria significantur, quando asseritur satisfactiones nostras et nostra merita inniti satisfactionibus et meritis Christi (Cfr. Conc. Trid., *sess.* 6, c. 16; et *sess.* 14, c. 8).

117. Quæritur 1. *Utrum Christus non tantum pro culpa originali, sed etiam pro actualibus hominum peccatis satisfecerit?*

Resp. *Affirmative*; idque patet — 1. *Ex Scriptura Sacra*;

præterquam enim quod textus supra adducti generales sint, ac proinde de omnibus delictis ab hominibus commissis aut committendis intelligi debeant, expresse scribit (*Tit.*, II, 14) Apostolus : « Dedit semetipsum (Christus) pro nobis ut nos » redimeret *ab omni iniquitate* ; » item S. Joannes (I *Ep.*, I, 7) ait : « Sanguis Jesu Christi emundat nos *ab omni peccato.* » Unde Bellarminus recte concludit : « Scriptura, dum absolute loquitur de peccatis, de omnibus peccatis intelligi solet et debet; et si liceret exponere de quibusdam, non de omnibus, absurdissimæ sententiæ in divinis litteris invenirentur. » — 2. *Ex SS. Patribus*, pro quibus citare juvat S. Augustinum (l. *de Peccat. merit. et remiss.*, c. 13) dicentem : « In Christo, in quo omnes justificamur, non tantum originalis, sed etiam cæterorum, quæ ipsi addidimus, peccatorum remissionem consequimur; » et S. Anselmum (*in Hebr.*, IX) de Christo asserentem, quod « delevit tam originalia quam actualia peccata, et omnem justificationem exhibuit. » — 3. *Ex ratione theologica* ; Christus nempe immerito diceretur redemptor humani generis unusque Dei et hominum mediator, si tantum pro culpa originali satisfecisset.

Quin etiam, monente D. Thoma (3, q. 49, a. 3), ea fuit Christi passionis efficacia, ut non solum a culpa, sed etiam a reatu pœnæ homines liberaverit, et quidem dupliciter : uno modo *directe* in quantum scilicet Christus sua passione satisfecit pro peccatis, siquidem, habita satisfactione sufficienti, tollatur reatus pœnæ necesse est; alio modo *indirecte*, in quantum passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.

Ex his vero apparet quomodo Christus sua passione januam cœli nobis aperuerit. Homines quippe prohibebantur « ab ingressu regni cœlestis, inquit Angelicus (*loc. cit.*, a. 5), propter peccatum... Est autem duplex peccatum impediens ab ingressu regni cœlestis. Unum quidem commune totius naturæ, quod est peccatum primi parentis, et per hoc peccatum præcludebatur homini aditus regni cœlestis... Aliud autem est peccatum speciale uniuscujusque personæ, quod per proprium actum uniuscujusque hominis committitur. Per passio-

nem autem Christi liberati sumus non solum a peccato communi totius humanæ naturæ et quantum ad culpam, et quantum ad reatum pœnæ, ipso solvente pretium pro nobis; sed etiam a peccatis propriis solvuntur singuli, qui communicant ejus passioni per fidem, caritatem et fidei sacramenta : et ideo per passionem Christi aperta est nobis janua regni cœlestis. »

118. Quæritur 2. *An et quatenus satisfactio Christi condigna vel etiam superabundans fuerit?*

Resp. 1. Christi satisfactionem condignam et superabundantem fuisse fatentur omnes theologi; nec mirum; legitur enim (*Rom.*, v, 15) : « Non sicut delictum, ita et donum; » si enim unius delicto multi mortui sunt : *multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; » et (*Ibid.*, 20) : « Ubi abundavit delictum, *superabundavit gratia.* » His testimoniis nihil expressius desiderari potest. — Nec aliter docent SS. Patres; S. Chrys. (Hom. 10, in epist. *ad Rom.*, n. 2) : « Longe plura quam debebamus solvit Christus, et tanto plura quanto *immensum pelagus ad stillam aquæ collatum*, majus est. » S. Anselmus (lib. *de Conceptu virginali et pecc. orig.*, cap. 22) : « Quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddit pro omnibus qui salvantur *plus quam debent.* » — Idem demum asserit (Extravag., *Unigenitus*) Clemens VI : Christus in ara crucis, inquit, « non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset, sed *copiose velut quoddam profluvium* noscitur effudisse. »

Resp. 2. Circa modum, quo Christi satisfactio condigna et superabundans dicenda est, duplex est sententia. Scotistæ nimirum hanc condignitatem et superabundantiam ex benigna Dei acceptatione repetunt. — Thomistæ contra asserunt Christi satisfactionem ab intrinseco suo valore condignam et superabundantem esse : quæ quidem sententia communiter admittitur; nec immerito, siquidem auctoritate simul et ratione firmatur.

1. *Auctoritate* ; præterquam enim quod textus modo citati sive Scripturæ, sive SS. Patrum, et imprimis Clementis VI, in

opinione Scotistarum difficile intelliguntur, Apostolus (*Hebr.*, x, 4) dicit impossibile esse sanguine taurorum, seu sacrificiis veteris legis, auferri peccata, sed ad id necessarium fuisse Christum offerri et pati : unde nulla esset vis argumenti, si satisfactio Christi ex sola Dei acceptatione, et non ab intrinseco valore peccatis delendis sufficiens esset.

2. *Ratione*; si enim peccati malitia sit finita, ut volunt Scotistæ, nulla est difficultas, siquidem actiones Christi satisfactoriæ, utpote operationes personæ infinitæ dignitatis, valorem infinitum habent.

Si vero malitia peccati intrinsece ac simpliciter infinita dicatur cum Thomistis, res ita evinci potest : illa quippe satisfactio ex proprio et intrinseco valore condigna et superabundans dicenda est, cujus valor non tantum injuriæ gravitatem adæquat, sed etiam longe superat : atqui Christi satisfactio — 1. *injuriam Deo per peccatum irrogatam adæquat* ; gravitas enim offensæ sumitur ex eo quod est contra Deum : sed satisfactio Christi est satisfactio Dei ; ergo ad minus adæquat gravitatem offensæ. Quod quidem confirmatur ex eo quod non minus potens est dignitas personæ satisfacientis ad influendum valorem moralem in actum satisfactorium, quam dignitas personæ offensæ ad influendam gravitatem et malitiam moralem in offensam ipsi irrogatam ; — 2. imo *omnium hominum offensam longe superat* ; etenim per peccatum mortale homo submittit quidem Deum creaturæ, sed solum *quoad affectum* et *moraliter*, seu *interpretative*, non vero *realiter et physice* ; per satisfactionem vero Christus submittit Deo personam infinitæ dignitatis, nempe personam Verbi divini in natura assumpta, non solum moraliter et quoad affectum, sed etiam *physice*, *realiter* et *quoad effectum* ; nam realiter et physice Deus moritur, immolatur et offertur, dolet de peccatis hominum. At plus est personam divinam physice et realiter se submittere Deo in ejus obsequium, quam ipsum Deum quoad affectum tantum et moraliter, seu interpretative, subjici creaturæ. Ergo satisfactio Christi, ratione dignitatis infinitæ personæ satisfacientis, omnium hominum offensam in esse moris longe superat.

119. Quæritur 3. *Utrum satisfactio Christi fuerit ex toto rigore justitiæ, seu ad strictos juris apices?*

Ad satisfactionem rigorosam, quatuor præcipuæ conditiones, supposita condignitate operis, requiri solent, nempe : — 1. ut sit *ad alterum* ; quæ quidem conditio ad satisfactionem universim spectatam pertinet ; satisfactio enim, ut jam observavimus, est actus justitiæ ; sui autem ad seipsum non potest esse justitia ; — 2. ut fiat *ex bonis propriis* ; sic per frumentum ex horreo creditoris depromptum vel pecuniam ex ejus thesauris desumptam debita sua solvere nullus potest ; — 3. ut id quod offertur, non sit debitum pluribus titulis ; qui nempe debet Petro centum nummos titulo furti et census annui et mutui, non sane satisfacit dando centum, sed debet adhuc ducentos ; — 4. ut *ex se* ēt non ex gratia creditoris vim satisfaciendi habeat ; gratia namque et stricta justitia opponuntur. — Quibus præmissis

Resp. *Affirmative* contra nonnullos, inter quos Vasquez ; Christus nempe ad strictos juris apices satisfecit ; fuit enim ejus satisfactio

1. *Ad alterum ;* difficultas adesse videtur eo quod Christus toti Trinitati ac proinde sibi ipsi, prout est Verbum, seu unigenitus Dei Filius, satisfacere debuit ; at vero satisfactionem ejus, etiam sub hoc respectu, ad alterum fuisse sic ostenditur. Eatenus Christi satisfactio, prout ad Verbum refertur, ad alterum non esset quatenus inter satisfacientem et eum cui satisfactio exhibetur, necessaria esset distinctio formalis personarum, nec sufficeret distinctio virtualis fundata in diversitate naturarum : atqui distinctio formalis personarum minime requiritur, sed sufficit distinctio virtualis fundata in diversitate naturarum, qualis in Christo reperitur. Ea enim sufficit distinctio, quæ ad distinctionem jurium requiritur : distinctio autem jurium optime salvatur, posita solum distinctione virtuali fundata in diversitate naturarum, siquidem eo ipso quod est diversitas naturarum, divinæ scilicet et humanæ, duplex adest voluntas, duplex libertas, duplex dominium actuum. Sicut ergo si una persona divina assumeret duas humanitates, posset dari actus justitiæ inter eamdem personam

ut esset in una natura, et seipsam ut esset in alia, quia in qualibet natura haberet peculiarem voluntatem, libertatem, dominium et jus distinctum, in quibus fundata esset justitia ; ita pariter Christus in natura humana et divina subsistens, ut subsistens in natura humana potuit exercere actum justitiæ erga seipsum ut subsistentem in natura divina, quia licet sit unicum suppositum secundum rem seu formaliter, est tamen duplex virtualiter seu æquivalenter; cum enim propter suam infinitatem in duabus naturis subsistat, duplici personæ æquivalet : — aliis verbis, in una Christi persona physica, quæ habet naturas duas et duas voluntates liberas distinctas, potest et solet quandoque a SS. Patribus et conciliis duplex distingui persona *moralis*, una proinde satisfactionem exhibens ut homo, altera satisfactionem suscipiens ut Deus.

2. *Ex bonis propriis* ; actiones enim satisfactoriæ Christi duplici modo considerari possunt, *physice* nimirum seu *entitative*, quatenus sunt a natura humana, ut a principio formali *quo*, et *moraliter*, in quantum procedunt a persona Verbi ut principio *quod*, suntque super illud reflexivæ. Primo modo consideratæ sub dominio Dei cadunt sicut et cæteræ creaturæ; secus vero, si secundo modo spectentur, quia sub hac ratione involvunt ipsum suppositum Verbi, quod non continetur sub dominio Dei, cum et ipse sit Deus. — Nec obstat quod persona Verbi habeat rationem creditoris, nec proinde valorem satisfactorium actionibus Christi communicare possit, quin satisfactio desinat esse ad alterum. Namque persona Verbi in tantum actionibus Christi valorem communicat, in quantum actiones illæ ipsum involvunt et Deo subjiciunt : eadem vero non ut subsistens in natura divina Deo subjiciebatur, sed ut subsistens in natura humana, et sub hac ratione non erat læsa et offensa, sed potius fidejussor et sponsor pro peccatoribus qui offenderant. Unde satisfactio Christi nequaquam ex bonis personæ læsæ fiebat.

Alia est explicatio, quæ distinguit inter dominium *generale* et *speciale* ; confitetur dominium generale Deo fuisse in omnes actiones et passiones Christi; at simul arbitratur illo dominio generali non alterum impediri speciale, quod in ea,

quæ sua sunt, Christus habet. Sic in regno princeps habet dominium generale in bona civium, et tamen cives servant dominium speciale in sua bona. Et vero si res ita non esset, sequeretur quod nullus homo posset alteri satisfacere, quia omnes ejus actiones et bona sunt sub dominio Dei, quod nullus sane admittit; ergo Christus servat dominium speciale in bonis suis; ergo satisfecit ex propriis.

3. *Ex bonis aliunde indebitis*; quanquam enim omnes Christi operationes pluribus titulis, nempe servitutis, religionis, obedientiæ, etc., Deo debitæ fuerint, quia tamen illarum valor, ex persona divina derivatus, erat simpliciter infinitus, illæ erant tanti pretii, ut omnes hos titulos exhaurire potuerint, et insuper esse pretium æquale, imo et superabundans pro gravitate offensæ. Unde quando dicitur quod satisfactio rigorosa debet fieri ex bonis indebitis, hoc debet intelligi de satisfactione, quæ est valoris finiti, non vero de satisfactione quæ valorem simpliciter infinitum continet, qualis est satisfactio Christi.

Addi potest quod etiam in humanis, quando tituli non multiplicant materiam, potest unica solutione omnibus *ex rigore justitiæ* satisfieri; atque ideo, licet operationes Christi fuerint Deo debitæ titulo religionis, gratitudinis, obedientiæ, quia tamen isti tituli supra eamdem materiam cadebant, potuit Christus iisdem operationibus Deo pro illis omnibus et insuper pro gravitate offensæ de rigore satisfacere.

Alii demum dicunt actiones Christi Deo quidem deberi, prout ab humanitate procedebant, non autem ut a Verbo divino procedebant et super illud reflectebantur, quia nullum debitum contraxit Verbum, imo nec debiti capax est, sed sola humanitas : sufficit autem ad rigorem justitiæ quod bona non sint debita ex illa parte, ex qua sumitur valor satisfactorius, qui, ut jam dictum est, petitur ex supposito divino (cf. Billuart, dis. 19, a. 7, obj. 4°).

4. *Ex se et non ex gratia creditoris vim satisfaciendi habens*; licet namque actiones Christi, prout ex humanitate procedunt, valorem aliquem recipiant ex gratia unionis, cæterisque donis tam habitualibus quam actualibus, valorem tamen infi-

nitum et superabundantem habent a Verbo ut principio *quod:* sed neque unio hypostatica, neque aliud donum ullatenus est gratia respectu Verbi, cum inde potius veluti deprimatur quam elevetur, sed tantum respectu humanitatis; aliunde gratia creditoris non obstat rigorosæ satisfactioni, si ex ea non petatur valor satisfactorius, operis valore siquidem satisfiat. Ergo.

Addunt nonnulli duas alias conditiones, nempe : ut satisfactio non fiat pro alienis eamque creditor acceptare teneatur.

Quod vero ad *primum* spectat, observat card. Franzelin (*de Verbo Inc.*, th. 47) id non requiri ad rigorosam satisfactionem, nisi eatenus quod is qui se substituit aliis ad satisfaciendum, hac substitutione fiat juridice et moraliter aliquid unum cum iis, pro quibus satisfacit et quos coram creditore repræsentat; at Christus Redemptor, ex jam dictis, per assumptam naturam ex semine Adam et ex carne nostra ita factus est vades et caput totius humani generis, ut satisfactionem exhibuerit non pro alienis, sed pro suis, qui cum ipso unum corpus efformant, et quorum vices ut princeps et caput suscepit. Ex quibus patet ulterius non alia ratione Christum se habere in ordine justificationis ab hominibus obtinendæ, ac primum Adam relative ad culpam omnibus posteris transfundendam. Vide de hoc præclaram doctrinam S. Pauli (*Rom.*, v).

Quoad *secundum*, dicendum est satisfactione Christi non potuisse quidem induci in Deo obligationem strictæ justitiæ ad illam acceptandam, cum Deus sit superioris ordinis et dominium absolutum super omnia habeat : at supposito quod voluerit Christum fieri caput et fidejussorem hominum, et ut talem ipsi pro illorum offensis condignam satisfactionem exhibere, non potuit illam respuere, sed ex fidelitate, quæ est quædam imperfecta justitia, illam acceptare debuit.

ARTICULUS II.

De merito Christi.

120. Meriti notio. — Meritum est *operis valor in ordine ad præmium* ; duplex est : meritum *de condigno*, cui præmium

ex justitia debetur, et meritum *de congruo*, cui nonnisi ex quadam decentia debetur aliquod præmium.

Ad meritum *de condigno*, de quo solo hic sermo est, requiritur — 1. ex parte *personæ merentis*, ut sit in statu merendi, seu in *via*, et simul personæ apud quam meretur grata; — 2. ex parte *operis*, ut sit liberum, honestum et præmio proportionatum; addunt nonnulli : ex motivo caritatis ad Dei gloriam ordinatum; — 3. ex parte *præmiantis*, seu personæ apud quam valiturum est meritum, *pactum* seu promissio, vi cujus teneatur opus remunerare.

His positis, ad prosequendam nostram de existentia redemptionis demonstrationem, jam nobis demonstrandum incumbit Christum iisdem actionibus, quibus justitiæ divinæ pro peccatis hominum satisfecit, nobis etiam promeruisse bona supernaturalia per eadem peccata infeliciter amissa. Unde sequens sit

121. Assertio : *Christus, simul ac pro peccatis nostris Deo satisfecit, nobis etiam æternam beatitudinem nec non gratias supernaturales ad illam obtinendam necessarias promeruit.*

Est de fide; definit enim concilium Tridentinum (sess. 6, can. 10) : « Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari,... anathema sit. » Huic declarationi consonant eamque authentice interpretantur quæ (*Ibid.*, c. 7) sic leguntur : *Meritoria* autem (*justificationis* causa) dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus : qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis *justificationem meruit*, et pro nobis Deo Patri satisfecit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Hæc quippe leguntur in variis Scripturæ locis : « Non sicut delictum, ita et donum : si enim » unius delicto multi mortui sunt, multo magis *gratia Dei* » *et donum in gratia unius hominis Jesu Christi* in plures » abundavit » (*Rom.*, v, 15). — « Vos estis in Christo Jesu, » qui factus est nobis sapientia a Deo, et *justitia*, et *sanctificatio*, et *redemptio* » (I *Cor.*, i, 30). — « Dedit semetipsum pro » nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi » populum acceptabilem, *sectatorem bonorum operum* » (*Tit.*, ii,

14). — « Consummatus factus est omnibus obtemperantibus » sibi *causa salutis æternæ* » (*Hebr.*, v, 19). — « Per hominem » mors, et *per hominem resurrectio mortuorum*, et sicut in » Adam omnes moriuntur, ita *in Christo omnes vivificabuntur.* » Unusquisque autem in suo ordine : primitiæ Christus, *deinde* » *ii, qui sunt Christi* » (I *Cor.*, xv, 21-23).

Ex quibus manifeste apparet meritis Christi adscribi sive *gratiam sanctificantem*, qua justificamur, sive *gratiam actualem*, per quam *bona opera sectamur*, sive *beatitudinem æternam*, cujus in altera vita consortes erimus, sive demum ipsam *corporis glorificationem*, quæ nos in altera vita manet. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres nusquam separant valorem meritorium mortis Christi ab ejus valore satisfactorio. Recolantur testimonia superius citata (n. 116), sufficiatque in medium proferre præclaram doctrinam, quam S. Joannes Chrys. (Hom. 10 in *Epist. ad Rom.*, n. 2) his verbis exponit : « Per Christum, non modo quantum opus erat ad tollendum peccatum, ex gratia illa accipimus, sed multo amplius. Nam supplicio liberati sumus et nequitiam omnem exuimus, ac primo regenerati resurreximus, sepulto veteri homine : redempti sumus et sanctificati, atque in adoptionem adducti, justificati ac fratres Unigeniti effecti et cohæredes ejusdem corporis et carnis consortes, sicut caput corpori, ita ipsi juncti sumus. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Ille etenim jure dicitur nobis meruisse æternam beatitudinem donaque supernaturalia ad eam obtinendam necessaria, cujus actionibus insunt omnes conditiones ad tale meritum requisitæ : atqui operibus Christi revera insunt prædictæ conditiones. Namque — 1. Christus sane erat *viator*, siquidem carebat beatitudine corporis; ejus vero humanitas erat *Deo grata* tum gratia unionis, tum gratia habituali; — 2. Quod attinet ad ipsas actiones, constat ex antea dictis ipsas fuisse *liberas*; insuper easdem *bonas* et *honestas* fuisse testatur ipse Dominus (*Joan.*, viii, 29) dicens : « Quæ placita sunt ei, facio semper; » ob dignitatem personæ erant etiam *præmio proportionatæ*; demum ad Dei gloriam *per caritatis actum* referebantur, juxta illud (*Joan.*, viii, 49, 50) : « *Ego honorifico* Patrem meum... Ego non quæro glo-

riam meam ; » — 3. Ex parte præmiantis non defuit *promissio* ; legitur enim (*Isai.*, LIII, 10) : « Si posuerit pro peccato animam » suam, videbit semen longævum, » et (*Joan.*, III, 14-16) : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet » exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non » pereat, sed habeat vitam æternam ; » adde Incarnationem, ex dictis, ad hunc potissimum finem a Deo ordinatam fuisse. Ergo.

122. Quæritur 1. *Utrum Christus quædam sibi et Angelis meruerit?*

RESP. 1. Christus meruit *gloriam sui corporis, nominis exaltationem*, et *alia bona extrinseca* quæ accepit *post suam passionem*, non autem *gratiam habitualem* et *gloriam essentialem*.

Patet primum — 1. *Scriptura Sacra* ; legitur quippe (*Luc.*, XXIV, 26) : « Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare *in* » *gloriam suam ?* » item (*Hebr.*, II, 9) : « Vidimus Jesum *propter passionem mortis gloria et honore coronatum* ; » scribit iterum Apostolus (*Philip.*, II, 9) de Christo : «Humiliavit se- » metipsum... *propter quod Deus exaltavit illum*, et donavit » illi nomen, quod est super omne nomen ; » — 2. *ratione*, tum quia pro his et similibus reperiuntur conditiones ad meritum de condigno supra recensitæ ; tum quia nobilius est et perfectius Christum habuisse ex merito quam sine merito hujusce modi bona ex unione hypostatica non necessario dimanantia.

Constat secundum ex eo quod tum gratiam habitualem, tum gloriam seu visionem beatificam a primo conceptionis instanti velut quid sibi connaturale Christus habuit, sicut in prima parte ostensum fuit.

RESP. 2. Christus *Angelis* promeruit gratias accidentales et secundarias, non vero gloriam essentialem.

1. Meruit *gratias accidentales*, quia (*Colos.*, II, 10) Christus dicitur *Caput omnis principatus et potestatis*, id est Angelorum : porro, ex dictis, omnino necessarium est ad rationem capitis moralis, ut influat in membra, iisque bona communicet.

2. Christus non meruit Angelis *gratiam* et *gloriam essentia-*

lem; nam Christus iis tantum meruit gratiam et gloriam essentialem, pro quibus mortuus est : atqui Christus non est mortuus pro Angelis. Illud asserunt SS. Patres; sic S. Augustinus (in Enchiridio, *ad Laurentium*, cap. 61) ait : « Non pro Angelis mortuus est Christus. » Ratio idem evincit; tum quia quoties in Scriptura de Christi ministerio sermo est, de hominibus tantum et nunquam de Angelis agitur; tum quia Apostolus, in epistola ad Hebræos, Christum supra Angelos exaltans, de eorum salute a Christo consecuta omnino silet. Ita Thomistæ et alii communissime.

123. Quæritur 2. *Quandonam et quibus actibus Christus meruerit?*

Resp. 1. Christus meruit *a primo conceptionis instanti usque ad extremum vitæ suæ spiritum*, et *non ultra*.

Constat primum ex Scriptura, in qua (*Hebr.*, x, 5) de Christo dicitur : « Ingrediens mundum dicit : hostiam et oblationem » noluisti; corpus autem aptasti mihi... tunc dixi : ecce ve- » nio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » Ergo juxta Apostolum, ingrediens mundum, id est, in primo instanti suæ conceptionis, obtulit se Deo Patri, ut morte sua impleret voluntatem ejus de redemptione generis humani; hæc autem oblatio utique fuit meritoria, et ideo subdit Apostolus : « In » qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis » Jesu Christi semel. » Quod autem meruerit Christus morte sua, facile concluditur ex dictis.

Probatur secundum, scilicet Christum non meruisse *post mortem* suam. Etenim ad meritum necessario requiritur status viæ : atqui Christus post mortem amplius non fuit viator; unde Apostolus dicit (*Heb.*, x, 14) : « *Una oblatione* consum- » mavit in sempiternum sanctificatos; » et clarius ipsemet Christus ait : « Me oportet operari opera ejus, qui misit me, *donec dies est* » (*Joan.*, ix, 4). Nomine *diei* aperte intelligebat tempus vitæ suæ; ergo post mortem nihil amplius meruit. — Nec refert quod Apostolus dicat (*Rom.*, iv, 25) Christum resurrexisse propter justificationem nostram. Si enim dicitur Christum resurrexisse propter justificationem nostram, illud provenit ex eo quod Christi resurrectio est illius divinæ mis-

sionis signaculum, nostræ autem spiritualis resurrectionis, ut ostendit Bourdaloue, principium, motivum et forma. — Nec refert etiam quod dicant SS. Patres sacramenta e latere Christi, in cruce post mortem pendentis, effluxisse, quia id tantum asserere intenderunt, sacramenta nempe ex corde Christi profluxisse *figurative*, non *meritorie*.

Resp. 2 Christus meruit *omnibus et solis actibus* humanitati propriis et liberis.

1. Christus meruit *omnibus* actibus humanitati propriis et liberis, quia nulli earum actionum defuerunt conditiones ad meritum necessariæ : fuerunt *honestæ*, *liberæ*, *proportionatæ præmio*, *factæ a justo*, a Deo demum acceptatæ *cum promissione præmii*. Hinc Paulus aiebat : « Exauditus est pro sua re» verentia » (*Heb.*, v, 7). Quibusnam autem actionibus adfuerit libertas, jam dictum fuit.

2. Christus *solis* actibus humanitati propriis meruit, quia actionibus divinitati propriis mereri non potuit; meritum quippe supponit in merente aliquam inferioritatem ratione remunerantis et indigentiam ratione præmii.

124. Quæritur 3. *Utrum actiones Christi fuerint ab intrinseco valoris simpliciter infiniti tam ad merendum quam ad satisfaciendum?*

Alia est quidem ratio meriti, alia satisfactionis; meritum enim respicit præmium a præmiante largiendum, adeoque bonum merentis, aut alterius cui meretur; satisfactio autem spectat ad jus alienum læsum resarciendum, ac proinde bonum offensi, non satisfacientis. Quia tamen in operibus Christi ratio meriti et satisfactionis simul reperitur, utrumque hic conjungimus. — Præterea duplex in actionibus Christi valor moralis distinguendus est, unus scilicet, qui sumebatur ex objecto et circumstantiis actus, ideoque a nonnullis vocatur *objectivus*, et ille est finitus ; alter, qui consequebatur ex dignitate personæ moraliter tales actus informantis, et hunc, quem *personalem* vocant, ratione suppositi dicimus esse ab intrinseco infinitum. Quod quidem probatur contra Scotistas

1. *Auctoritate Clementis VI*, qui (Extravag. *Unigenitus*, lib. 5, tit. 9, *de Pœnit. et Remiss.*) loquens de thesauro Eccle-

siæ, ait illum exhauriri non posse, quia (inquit) *infinita sunt Christi merita*. Idem Pontifex paulo ante dixerat unam guttam sanguinis Christi, *propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisse;* ex quo patet infinitum valorem actionum Christi tam ad merendum quam ad satisfaciendum, non ab acceptatione Dei extrinseca, ut volunt Scotistæ, sed ex intrinseca conjunctione cum Verbo, repetendum esse, ac proinde easdem actiones fuisse ab intrinseco valoris simpliciter infiniti.

2. *Ratione;* valor enim tam meritorius quam satisfactorius actionum non solum petitur ex objecto, aut ex principio *quo*, sed etiam et maxime ex dignitate personæ operantis ut principii *quod*, eoque magis crescit quo major est dignitas personæ; atqui persona Christi est infinite digna : ergo ejus operationes, licet ex conditione objecti et principii *quo* sint finiti valoris, ex dignitate tamen infinita personæ a qua procedunt, habent valorem tam meritorium quam satisfactorium simpliciter infinitum. — Constat *major*, tum quia actiones immanentes sunt a persona, ut a principio activo et passivo, quatenus ab illa elicitive procedunt et in ea immanent, eaque duplici ratione participant dignitatem personæ ut aliquid illius, modo tamen personæ dignitas non se habeat pure concomitanter ad illas, sed formaliter, ut fit in actionibus moralibus ; tum etiam quia dignitas personæ satisfacientis aut merentis moraliter informat opera in alterius obsequium præstita, quatenus ea non solum exhibet velut in abstracto, sed per ea se submittit ei cui obsequium præstat, ac proinde illa dignificat, non solum per modum termini extrinseci, sicut objectum dignificat actum quem terminat, sed etiam per modum formæ intrinsecæ moraliter informantis.

Neque tamen inde concludendum est humani generis redemptionem prima Christi actione, utpote valoris infiniti, jam completam fuisse; opera enim Christi redemptoris sub respectu valoris moralis, duplici modo consideranda sunt, *in actu primo* videlicet, seu ratione dignitatis intrinsecæ, qua aptitudinem habebant ad satisfaciendum et merendum ; et *in actu secundo*, id est, prout ad compensationem exhibendam

præmiumve obtinendum actu a Christo ordinabantur et a Deo acceptabantur. Jam vero, etsi quælibet opera Christi infinitam dignitatem ex persona operante haberent, ideoque ad redimendum genus humanum plane sufficerent; de facto tamen et *in actu secundo*, redemptio absoluta non fuit nisi per mortem in ara crucis divini mediatoris. Voluit quippe Deus, ex jam dictis, humanum genus cruento sacrificio redimi; Christus ergo ingrediens mundum ita se Patri obtulit, ut satisfactio et meritum pro peccato non quibusvis operibus, sed per mortem in cruce consummarentur; hancque oblationem Deus ratam habuit et acceptavit, juxta illud Isaiæ (LIII, 10) : « *Si posuerit* » *pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* »

Hoc autem cruento Christi sacrificio satisfactio pro peccato et meritum ad conciliandas quasvis gratias ita completa fuere, ut nullum sit hominum peccatum aut esse possit, cujus remissio ex parte Dei non fuerit parata propter Christi oblationem, nec amplius augendum sit redemptionis meritum.

De quo legatur B. Paulus totam hanc doctrinam de consummatione redemptionis nostræ per unam Christi in ara crucis oblationem, in Epistola præsertim ad Hebræos, præclare exponens, ac aperte dicens nullum aliud jam requiri aut exstare sacrificium, quo nova satisfactio novaque merita ad humani generis redemptionem actu præstentur (*Hebr.*, VII, 23, 27; VIII, 12; IX, 28; X, 10; IX, 18, 25).

CAPUT II.

DE UNIVERSALITATE REDEMPTIONIS.

125. Errores. Redemptionis universalitatem tollunt hi omnes qui negaverunt Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, videlicet : — 1. Lutherus et Calvinus, qui docuerunt Christum pro solis prædestinatis mortuum esse; — 2. Jansenius et illius asseclæ, qui contendunt Christum non esse mortuum pro omnibus, eo saltem sensu, quod omnibus

meruerit gratias vere et relative sufficientes ad salutem; — 3. Nonnulli theologi, qui opinati sunt Christum pro quibusdam, et imprimis pro his parvulis, quibus applicari non potuit baptisma aut remedium peccati originalis ante Christi adventum, non alia ratione mortuum fuisse, quam secundum causæ communitatem et magnitudinem atque potentiam pretii.

At vero catholici omnes tenent Christum mortuum esse pro aliis quam prædestinatis, idque indubitata fide admittunt; imo maxima theologorum pars docet Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, non solum sufficientia pretii, sed etiam vere et proprie, ita ut mortem suam Patri obtulerit, ut omnibus prodesset, et singulis gratias vere et relative sufficientes obtineret. — Cum quibus sit sequens

126. Assertio : *Redemptio ad omnes homines extenditur, seu Christus ita pro omnibus hominibus mortuus est, ut vera et sincera voluntate mortem oppetierit, eamque Patri obtulerit pro omnium redemptione et salute æterna.*

Hæc assertio, quatenus respicit omnes et singulos fideles, *de fide* est, ut ex dicendis patebit; quatenus respicit etiam infideles adultos, *certa;* quatenus comprehendit quoque parvulos sine baptismo decedentes, *communiter* a theologis propugnatur.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Etenim legitur (*Rom.*, viii, 32) : « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis *omnibus* » tradidit illum. » — Item (I *Tim.*, ii, 5) : « Unus enim Deus, » unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : » qui dedit redemptionem semetipsum pro *omnibus.* » — Similiter (*Ibid.*, iv, 10) : « Speramus in Deum vivum, qui est » salvator *omnium* hominum, maxime fidelium. » — Hæc autem et similia, quæ adduci possent, omnino aperta sunt nullamque exceptionem admittunt.

Quibus addi possunt ea Scripturæ loca, ubi speciatim exprimitur Christum pro aliis ac prædestinatis mortuum esse; sic Apostolus (I *Cor.*, viii, 11) scribit : « Peribit infirmus in » tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? » Unde sic : anxius est Apostolus de salute infirmi, propter quem Christus mortuus est : atqui non deberet esse anxius,

si omnes pro quibus Christus mortuus est, de numero essent prædestinatorum; ergo. — Pariter (*Rom.*, XIV, 15) : « Noli » cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est; » ergo salutem amittere potest ille, pro quo Christus mortuus est; ergo Christus non est mortuus pro solis prædestinatis.

Objiciuntur quidem ex Scriptura — 1. sequentia ipsius Christi verba (*Matth.*, XXVI, 28) : « Hic est sanguis meus Novi » Testamenti, qui *pro multis* effundetur; » hæc autem difficultas ita solvi potest : *pro multis*, id est, pro *omnibus*, quia *omnes* sunt multi, ut interpretantur SS. Chrysostomus, Augustinus et alii, *conc.*; pro multis, id est, pro quibusdam, *subdist., efficaciter, conc.*; *inefficaciter, nego.* — 2. Christus pro iis solis mortuus est, pro quibus oravit; atqui non oravit pro omnibus; ait enim (*Joan.*, XVII, 9) : « Non *pro mundo* » rogo, sed pro his quos dedisti mihi. » — RESP. *dist. min.*; Christus pro omnibus non oravit, hac speciali oratione, *conc.*; nunquam, *subd.*, et agitur de mundo, quatenus est mundus, *conc.*, et agitur de hominibus mundano more viventibus, *neg.*, ob textus supra citatos aliasque rationes exponendas.

PROB. 2. *Traditione;* hæc autem nobis innotescit

1. *Ex SS. Patribus*, qui unanimiter confitentur Christum pro omnibus venisse et passum esse : pro omnibus peccatoribus oblatum fuisse et judicaturum esse totum orbem, quia pro toto pretium dedit, et speciatim pro Juda mortuum esse. Sic S. Ambrosius (*in Ps.* CXVIII, serm. 8, n. 57) : « Mysticus ille sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et pro omnibus resurrexit; » et (*de Paradis.*, c. 8, n. 39) : « Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores; etiam circa impium ostendere debuit suam voluntatem; et ideo nec proditorem debuit præterire. »

2. *Ex doctrina conciliorum.* Concilium Nicænum I, in symbolo fidei, ait : « Credo... in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei... qui *propter nos homines* et propter nostram salutem descendit de cœlis et incarnatus est... Crucifixus etiam *pro nobis.* » — Concilium vero Tridentinum (sess. 6, c. 2) dicit : « Christum proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius *pro peccatis nostris;* non solum autem pro

nostris, *sed etiam pro totius mundi;* » et (cap. 3) : « Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. »

3. *Ex declarationibus summorum Pontificum;* damnata namque fuit ab Innocentio X et Alexandro VII sequens Jansenii propositio : « Semi-Pelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; » quæ quidem prout verba sonant proscribitur tanquam falsa, temeraria et scandalosa; et intellecta eo sensu quod « Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, » declaratur impia, blasphèma, contumeliosa, divinæ pietati derogans et *hæretica.*

Prob. 3. *Rationibus theologicis.* — *Prima* desumitur ex necessitate fidei, quam in Symbolo profitemur; omnes nempe homines, sive electi, sive reprobi, sive christiani, sive adhuc catechumeni, sive jam fideles, sive vocati ad fidem, licet vitio suo credere nolint, possunt et tenentur ex fide divina credere Dei Filium pro ipsorum salute esse mortuum. Patet id ex symbolo Nicæno supra citato. Porro non tenentur credere aliquid falsum, quia fides divina, quæ hic exigitur, non modo circa falsum versari non potest, sed nec circa dubium quidem ac incertum; ergo non tantum verum, sed etiam certum et indubitatum est, Dei Filium pro omnium, atque adeo etiam pro reproborum salute, mortuum fuisse.

Secunda petitur ex certitudine spei christianæ; certum namque est Christum mortuum fuisse pro eorum omnium salute, qui spem christianam concipere possunt : atqui omnes et singuli spem christianam concipere possunt, et imo nonnulli e reprobis persæpe concipiunt; ergo Christus pro omnibus et singulis mortuus est. Ergo.

Tertia ratio depromi potest ex necessitate caritatis, cujus præcipuum incitamentum in eo reponitur, quod omnis dicere possit cum Apostolo : « Dilexit me et tradidit semetipsum » pro me » (*Galat.*, II, 20). Nec aliud motivum proponit Apostolus (II *Cor.*, V, 14, 15), ut patet ex verbis supra recitatis. Ergo,

127. Quæritur 1. *An et quatenus ipsimet reprobi redemptionis participes fiant?*

Resp. *Affirmative;* sunt enim meritorum Christi effectus pro omnibus tum ipsa universalis voluntas, qua Deus antecedenter vult *omnes* homines salvos fieri, tum media salutis pro *omnibus* instituta, tum etiam auxilia sufficientia non solum pro *omnibus* præparata in voluntate Dei antecedente, sed etiam suo tempore et loco *omnibus*, qui eorum sunt capaces, actu concessa. Quod autem Christi redemptio ultimum effectum, qui est vita æterna, in reprobis non obtineat, totum provenit ex defectu debitæ cooperationis præstandæ sive a singulis, sive ab his, quibus juxta ordinariam Dei providentiam subjacent; nec proinde obstat voluntati illi antecedenti, qua Christus pro omnibus mortuus est.

128. Quæritur 2. *An et quatenus mors Christi iis etiam profuerit, qui ante ipsum vixerunt?*

Resp. Constat ex jam dictis Deum voluisse voluntate antecedente et conditionata omnes homines ad salutem pervenire, ipsumque consequenter ad prævisionem peccati Christum Redemptorem promisisse, quem actu misit in plenitudine temporis. Jam vero, toto tempore antecedente, divina misericordia, velut anticipato beneficio, omnibus hominibus possibilitatem salutis et salutem ipsam contulit intuitu futuræ satisfactionis et futuri meriti redemptoris promissi, cui homines jungebantur fide et spe veluti membra futuro capiti; ideoque interim divina justitia, nostro loquendi modo, plenam satisfactionem pro peccato et adæquatum meritum gratiis concessis aut concedendis respondens expectabat; quæ quidem solutio actu a Christo exhibita fuit, quando in cruce mortem subire dignatus est.

Exinde autem intelligi datur quo modo Christus mortuus sit pro his, qui jam defuncti erant : obtulit nempe Christus mortem suam pro universis gratiis et donis supernaturalibus omnibus hominibus in hac vita et electis in vita altera collatis aut conferendis; non quidem eam obtulit pro remissione peccatorum quæ jam irremissibilia erant et in æterna damnatione actu puniebantur; sed nihilominus sua satisfactione pretium

persolvens, quod a lapsu humani generis divina justitia exigebat, illam voluntatem salvificam antecedentem, quæ intuitu suorum meritorum ad hos reprobos extendebatur, aliquo modo respiciebat. Unde licet mors ejus iis hominibus ante se defunctis nova merita comparare peccatave remittere non potuerit, vere tamen pro ipsis, sive electi, sive reprobi fuerint, mortuus est.

Cum his demum intime cohæret divina œconomia, vi cujus — 1. « ante pretium solutum et Testamentum morte Christi confirmatum, hæreditas æterna nemini eorum actu conferebatur, qui anticipate et velut sub exspectatione solutionis futuræ justificati erant; — 2. ante pretium actu persolutum gratia Dei parcius, nunc abundantius cunctis nationibus impenditur » (Cfr. Franzelin, *de Verbo Incarn.*, thesis XLVI).

CAPUT III.

DE MUNERIBUS CHRISTI REDEMPTORIS.

129. Nonnulla præmittuntur de Christi mediatione. — *Mediator* ille dicitur, qui inter duos vel plures medius interponitur ad eosdem aliquo modo conjungendos atque reconciliandos.

In mediatore duo, juxta D. Thomam (3, q. 26, a. 2), distingui possunt, *ratio medii* et *mediatoris officium*. — Ad rationem medii pertinet, ut habeat aliquod commune cum utroque termino, simulque a duobus extremis aliquo modo distet; secus vel nullus esset ordo medii ad extrema, vel cum alterutro extremo confunderetur, nec proinde daretur medium. — Mediatoris autem officium in eo est quod ea quæ sunt unius, ad alterum deferat.

Exinde mediator distingui solet in naturalem et moralem. Mediator *naturalis*, qui etiam dicitur *in ordine ontologico*, ille est cujus natura commune quid habet cum duobus extremis, unde aptitudinem habeat ad reconciliationis munus. Mediator

moralis, seu *in ordine morali*, is est qui hocce reconciliationis munus, partes dissitas conjungendo, exercet. Quod quidem officium multiplici ratione implere potest, nempe, ut Bellarmini (*de Christo*, l. 5, c. 1) ipsa verba usurpemus : « Primo, decernendo et judicando causam, quo modo arbitri dici possunt mediatores... Secundo, referendo hinc inde pacta et conditiones utriusque partis, quo modo omnes internuncii dici possunt mediatores... Tertio, orando et supplicando uni parti pro altera... Quarto, solvendo et satisfaciendo uni parti pro altera... » — His statutis, sequentia de mediatione Christi notanda ducimus :

1. Christum *mediatorem naturalem* Deum inter et homines dicendum esse, facili negotio ostendi potest : ex dictis enim ad rationem mediatoris naturalis pertinet, ut habeat quid commune cum duobus extremis conjungendis, et simul ab utroque aliquo modo distet : atqui Christus, prout est Deus-Homo, communem naturam habet cum Deo et homine, distatque tum a Deo, siquidem homo est, tum ab homine, per hoc quod Deus est : ergo. Etvero ille stricto sensu mediator naturalis dicendus est, qui ex se utriusque partis dissidentis jura et vices apud alteram gerere potest : sed Christus, prout Homo-Deus, tum Dei apud homines, tum hominis apud Deum jura et vices gerere potest. Ergo vere ac proprie mediator naturalis dicendus est.

2. Quod attinet ad *mediationem moralem*, Christus certo illam exercuit, et quidem — tum ut arbiter; qui modus illi tribuitur a S. Ambrosio (in c. 2, 1 *Tim.*) dicente Christum factum a Deo arbitrum judicasse sic fieri posse pacem, si Deus primum ignosceret, et homo deinceps in Dei fide permaneret. — tum ut *internuntius*, prout nempe Dei voluntatem et leges hominibus annuntiavit, juxta illud (*Joan.*, I, 18) : « Unigeni» tus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit; » unde vocatur (*Malach.*, III, 1) *Angelus testamenti* seu fœderis ; — tum ut *advocatus*, pluries siquidem pro hominibus oravit, et speciatim post ultimam cœnam (*Joan.*, XVII) : ideo (*Rom.*, VIII, 34) dicitur *interpellare pro nobis*, et (I *Joan.*, II, 1), vocatur *advocatus* noster ; — maxime vero tanquam *sponsor*, siquidem,

ex probatis contra Socinianos, peccata nostra in se suscepit, ut pro eis satisfactionem Deo exhiberet : de quo Apostolus (*Colos.*, I, 19, 20) scribit : « In ipso complacuit omnem pleni-» tudinem inhabitare, et per eum *reconciliare* omnia in ipsum » pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, » sive quæ in cœlis sunt » (Vide dicta n. 116).

3. Exinde vero colligere licet soli Christo competere media-torem esse simpliciter et perfective; idque sic explanat (3, q. 26, a. 1) S. Thomas : « Ad mediatoris officium proprie pertinet conjungere et unire eos, inter quos est mediator; nam extrema uniuntur in medio : unire autem homines Deo *perfective* quidem convenit Christo, per quem homines sunt reconciliati Deo, secundum illud (II *Cor.*, v, 19) : « Deus erat » in Christo, mundum reconcilians sibi ; » et ideo solus Chris-tus est perfectus Dei et hominum mediator, in quantum per mortem suam humanum genus Deo reconciliavit. Unde cum Apostolus dixisset : « Mediator Dei et hominum homo Chris-» tus Jesus, » subjungit : « Qui dedit semetipsum redemptio-» nem pro omnibus. » — Addit tamen Angelicus Doctor nihil prohibere « aliquos alios *secundum quid* dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem ho-minum cum Deo *dispositive* vel *ministerialiter*. »

Qua autem ratione Christus mediatoris officium impleverit, et utrum etiam nunc aliquam mediationem in cœlo exerceat, ex infra dicendis de sacerdotio Christi patebit.

130. Ordo dicendorum. Jam vero hæc Christi mediatio, qua potissimum functus est, adæquatam pro peccatis hominum satisfactionem exhibendo amissaque supernaturalia bona pro-merendo, ad triplex munus, quod Christus his in terris exer-cuit, prophetæ nimirum, sacerdotis et regis, merito revocatur. Quatenus enim propheta erat, illuminavit homines, qui in tenebris et in umbra mortis sedebant; quatenus sacerdos, sacrificium Deo litavit, peccatores mundavit, et impios justifi-cavit; quatenus demum rex, fideles in societate spirituali adunatos tutelari disciplina munivit, qua infirma eorum vo-luntas contra mundi illecebras protegeretur et ad supernam beatitudinem assequendam erigeretur : quæ quidem mirum in

modum conspirare ad perficiendam collapsi hominis reparationem, nemo statim non videt. Superest igitur ut ostendamus triplici illo munere ad apicem perfunctum esse Christum. Hinc triplex articulus.

ARTICULUS I.

De munere Christi prophetico.

131. *Prophetæ* nomen, juxta etymologicum sensum duplicis qua constat vocis græcæ, προ, *ante*, et φημι, *dico*, iis in stricto sensu ab auctoribus sacris tribui consuevit, qui supernaturali providentia ad docendum populum divinumque cultum instaurandum a Deo missi, divinitus et ipsi illuminantur, et in confirmationem supernæ suæ legationis futura prædicendi ac miracula patrandi facultate insigniuntur.

Ex qua definitione patet ad munus propheticum requiri, ut qui hoc sibi vindicat, sit, — 1. doctor mysteria cœlestia revelans; — 2. cultus divini instaurandi et sanctitatis morum in populo promovendæ zelator; — 3. vaticiniorum editor et miraculorum patrator, quibus doctrinam suam confirmet; — 4. omnium exemplar in iis quæ docet observandis, adeoque cujuslibet virtutis eximius cultor.

Jam vero, quod attinet ad Christum, sit sequens

132. Assertio : *Propheticum munus perfectissime Christus explevit, cæterisque prophetis longe præstitit.*

Prima pars assertionis, *Christum* scilicet *munus propheticum perfectissime explevisse*, probatur

1. *Scriptura Sacra.* In veteri Testamento (*Deut.*, xviii, 15) legitur : « *Prophetam* de gente tua et de fratribus tuis sicut » me suscitabit tibi Dominus; ipsum audies. » Item (*Isai.*, lv, 4) : « Ecce testem populis dedi eum, ducem et præcep- » torem gentibus. » Ipse vero Christus prædicationis initio (*Luc.*, iv, 17, etc.) hæc Isaiæ prophetæ (lxi, 1) sibi vindicavit : « Spiritus Domini super me; evangelizare pauperibus » misit me; sanare contritos corde, prædicare captivis remis- » sionem, » etc. Unde Judæi dicebant (*Luc.*, viii, 16) : « *Pro-* » *pheta* magnus surrexit in nobis; » nec non (*Joan.*, vii, 40) :

« Hic est vere *propheta*; » vel alibi (*Matth.*, XXI, 11) : « Hic » est Jesus, *propheta* a Nazareth Galilææ. » Nec mirum; Christus enim cœlestem suam doctrinam non solum per miracula, sed etiam per signum prædicationis stabilivit, ut ipse (*Matth.*, XI, 4) aiebat : « Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidis- » tis; cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi » audiunt, mortui resurgunt, *pauperes evangelizantur.*

Ex quibus sic : Ille propheticum munus perfectissime explevit, qui prænuntiatus tanquam hoc munere insigniendus, partes ejus omnes sibi exsequendas vindicavit, reveraque mirantibus populis executus est : porro in veteri Testamento Christus prænuntiatus est tanquam munere prophetico insigniendus; propheta enim, quem venturum prædixit Moyses fore *sibi similem*, Isaias vero describit ut *doctorem*, *ducem* ac *præceptorem* gentibus legem Dei annuntiaturum, ipse est Messias, seu Christus; nec est qui non videat Jesum Christum, sive dum sibi Isaiæ textum applicaret, sive dum responderet discipulis a Joanne Baptista missis, partes omnes muneris prophetici sibi vindicasse; quod vero demum eas mirantibus populis expleverit clare evincunt textus allegati. Ergo.

2. *Traditione.* Ecclesiæ Patres Christum ut præstantissimum prophetam, totius scilicet humani generis Doctorem, certatim extollunt. Clemens Alex. (*Strom.*, l. 7) ait « Filium Dei carnem assumpisse, *ut hominibus salutis viam ostenderet.* » Tertullianus Incarnationis finem expendens (*c. Marcion.*, l. 2, c. 27) scribit : « Conversabatur Deus, ut homo divine agere *doceretur.*

3. *Ratione theologica.* Enimvero ex sacris litteris facillime colligitur omnes muneris prophetici partes a Christo præstantissime expletas fuisse; namque — 1. eximius fuit *Doctor*, cum mysteria proposuerit altissima de Deo trino, de Deo creatore et provisore, de Deo Redemptore, sanctificatore et remuneratore; hominis naturam, conditionem finemque ea expresserit claritate, qua major esse nequit; mundi vanitatem et rerum externarum usum ea auctoritate docuerit, quam nemo unquam usurpavit. — Cultus divini *instaurator* fuit, qui homines Deum in spiritu et veritate adorare docuit; sacrificium perfectissimum, translato sacerdotio, instituit; sa-

cramenta efficacissima fidelibus præsto esse voluit et eorum dispensationi perenni providit, instituta Ecclesia, in qua munus ejus propheticum per Apostolos, doctores ac pastores in *opus ministerii ad consummationem sanctorum* positos continuaretur. — 3. Tot *mirabilium patrator* fuit, ut doctrinam suam non tantum propriis iisque innumeris, sed etiam Apostolorum miraculis obsignaverit, necnon editis prophetiis mirum in modum obfirmaverit : futura enim suiipsius, Apostolorum, Judæorum, ac gentium fata, statumque Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi vaticinatus est. — 4. *Exemplar* denique omnibus factus, præcepta sua moribus vere divinis confirmavit. Ideo enim « cœpit Jesus facere et docere » (*Act.*, I, 1); ideo discipulos ad sui imitationem provocavit, juxta hæc (*Joan.*, XIII, 1) : « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos » faciatis; » et iterum (*Matt.*, XI, 29) : « Discite a me, quia » mitis sum et humilis corde. » Unde merito dixit (*Joan.*, XIV, 6) : « Ego sum *via, veritas et vita.* » — Legantur hac de re theologi, qui post S. Thomam de mysteriis Christi sigillatim disserunt.

SECUNDA PARS ASSERTIONIS, nempe *cæteris omnibus prophetis longe Christum præstitisse*, sequitur ex dictis. — Etenim hoc fuit Christo prophetæ peculiare ac præcipuum, ut vates cæteri omnes viam ei præparaverint, ac præcones ejus fuerint; imo etiam, ut omnia in veteri Testamento, res nempe, gesta et personæ, eum præfiguraverint ac prophetaverint, nec ullus post eum oriri debeat, qui perfectiorem legem mundo sit daturus, juxta illud (*Isa.*, XXX, 20) : « Dominus... non faciat avolare » ultra doctorem tuum; » quod quidem asseruit ipse Apostolos suos mittens : « Euntes docete... Ecce ego vobiscum sum om- » nibus diebus, » etc.

Insuper eo major est propheta quo pleniori lumine veritatis illustratur ipse et perfectius alios erudit : atqui Christus, etiam ut homo, Moysen et omnes ante ipsum prophetas divina illustratione in immensum superavit. Plenus enim fuit gratiæ et veritatis; omnes in ipso thesauri sapientiæ et scientiæ fuerunt absconditi; non ad mensuram sicut prioribus vatibus dedit ei Deus spiritum (*Joan.*, I, 14; III, 34; *Col.*, II, 3). Ratio est

tum quia erat unigenitus Dei Filius, cui ex jure naturali possessio veritatis debita erat, juxta illud (*Joan.*, I, 18) : « Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, » tum quia dux erat et præceptor datus gentibus, pro quibus totam seriem revelationum divinarum complere et absolvere debuit, juxta S. Paulum (*Heb.*, I, 1) præclare dicentem : « Multifariam mul» tisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, no» vissime diebus istis locutus est in Filio. »

Confirmatur effectibus. Totum mundum de tenebris idololatriæ ad lucem doctrinæ suæ Christus adduxit, et, ut cœlos ascendens promisit, cunctis revera diebus per Ecclesiæ suæ magisterium erroris tenebras depellit, mentes illuminat, sanctitatem promovet, homines beneficiis cumulat, nec semel patrata olim prodigia renovat. Omnino igitur non solum sapientes omnes et philosophos, verum etiam Moysen et cunctos retro prophetas antecellit. — Recolantur cæterum quæ in Tractatu *de vera Religione*, de divina Christi legatione, et in Tractatu de *vera Ecclesia* de Ecclesiæ dotibus et muneribus disseruimus.

133. Corollaria. Ex his patet — 1. Christum in docendo a nulla humana auctoritate dependentem fuisse; nam ratione unionis hypostaticæ habuit, ut omnium scientia polleret, secundum superius dicta, et hominibus caput et doctor præficeretur. Unde actibus suis se supremum magistrum esse ostendit.

Patet — 2. specialem Christi doctrinæ inesse efficaciam tum propter plenitudinem scientiæ in docente, tum propter supereminentem ejus auctoritatem, tum propter eximia quæ dedit omnium virtutum exempla, tum propter divinæ gratiæ largitionem, qua fit ut dum foris prædicatur hæc doctrina, mens illuminetur et cor interius moveatur.

Patet — 3. maximum profecto nostrum officium esse, ut illum doctorem audiamus, qui ad homines ex lethalibus ignorantiæ tenebris eruendos plenamque ac tutam ostendendam salutis viam, Propheta nobis e cœlis venit divinitusque magister assignatus est. Cum enim transfiguratus in monte Thabor gloriam suam coram electis discipulis manifestasset

(*Luc.*, IX, 35), vox facta est de nube dicens : « Hic est Filius » meus : ipsum audite. » Proinde summi momenti est, ut cœlestem Christi doctrinam perfecte addiscamus, attente meditemur, alte cordi imprimamus et juxta eamdem totam vitam nostram instituamus; sunt enim (*Luc.*, XII, 28) « beati qui » audiunt verbum Dei, et custodiunt illud ; » at vero scriptum est (*Deut.*, XVIII, 19) : « Qui verba ejus, quæ loquetur in no- » mine meo, audire noluerit, ego ultor existam. »

ARTICULUS II.

De munere Christi sacerdotali.

134. *Sacerdos* vere et proprie ille dicitur, qui auctoritate legitima ad offerendum Deo sacrificium proprie dictum deputatus est, juxta illud Apostoli (*Hebr.*, V, 1) : « Omnis pontifex » ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur..., ut » offerat dona et sacrificia pro peccatis ; » et infra (VIII, 3) : « Omnis Pontifex ad offerendum munera et hostias constitui- » tur. » Ad sacerdotem quidem attinet ex Scripturis, ut Dei legem doceat, preces populi ad Deum perferat, atque ipse pro eo deprecetur et oret; sed proprium ejus munus, quo sacerdos constituitur, in oblatione sacrificii proprie dicti positum est.

Sacrificium autem proprie dictum est *oblatio externa alicujus rei sensibilis a legitimo ministro facta, cum hujusce rei immutatione, ad agnoscendam summam Dei excellentiam supremumque ejus dominium, et, pro statu naturæ lapsæ, profitendam divinam justitiam contra peccati reatum.* Unde quadruplex est sacrificii finis : supremum nempe Dei dominium profiteri, pro beneficiis acceptis gratias agere, Deo offenso satisfactionem exhibere, et pro novis beneficiis bonitatem ejus implorare. Etsi vero ad rationem sacrificii satis est unum tantum explicite finem intendi et attingi, sacrificium tamen perfectum est simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Quæ quidem omnia fusius et data opera evolventur in Tractatu *de SS. Eucharistia.*

Cum igitur perfectum sacerdotium perfectum importet sa-

crificium, et vice versa, ut in correlativis contingit, muneris Christi sacerdotalis adæquata nobis perspecta erit ratio, si constet sequens

135 Assertio: *Christus verum et excellentissimum sacerdotium habuit; cujus præcipuum munus explevit, quum semetipsum in ara crucis in verum ac perfectum sacrificium obtulit, idem sacerdos et victima.*

Est de fide, ut patebit ex dicendis.

Prob. 1ª pars, *Christum* nempe *verum et excellentissimum habuisse sacerdotium*

1. *Scriptura Sacra.* Deus ipse in veteri Testamento (*Psal.* cix, 3.) Messiam venturum, quem Filium suum unigenitum asserit, sic alloquitur : « Juravit Dominus, et non pœnitebit » eum; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchi» sedech : » quæ verba ad Jesum Christum in sensu proprio referri testatur Apostolus (*Hebr.*, v, 6, 10). Imo totus est in hac Epistola, ut sacerdotium Christi Jesu extollat, de quo (iv, 14) ait : « Habentes ergo *pontificem magnum,* qui penetra» vit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem; » item (vii, 26) ait : « Talis enim decebat, ut nobis esset *Ponti*» *fex*, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatori» bus et excelsior cœlis factus. » Ex quibus sic : Ille verum et excellentissimum habuit sacerdotium, quem Deus ipse jurejurando affirmat esse sacerdotem, non quidem pro tempore, sed in æternum; qui non *sancta sanctorum* templi manibus hominum facti, sed ipsos *cœlos* penetravit; qui est Pontifex tot tantisque dotibus præfulgens, ut excelsior sit cœlis, nec habeat necessitatem sacrificium quotidie prius pro suis delictis offerre, deinde pro populi; atqui talis fuit Jesus Christus, juxta B. Paulum. Ergo verum et excellentissimum sacerdotium habuit.

2. *Traditione.* Unanimes sunt Patres in asserendo excellentissimo Christi sacerdotio; sic Tertullianus Christum « catholicum Patris sacerdotem appellat, » id est, generalem, qui pro omnibus hominibus sacrum offert, et per quem omnia dona sanctificantur et Deo grata fiunt. Quo etiam spectant quæ S. Polycarpus matyrio vitam finiens, in ultima oratione Deo dicebat :

« De omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum *Pontificem Jesum Christum*, unigenitum tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in sæcula sæculorum. Amen. » Unde S. Petrus Chrysologus (serm. 59, *in Symb.*) Christum non tantum prophetam prophetarum, sed et *sacerdotem sacerdotum* vocabat.

Quibus consonant quæ in cunctis sive Occidentalis, sive Orientalis Ecclesiæ liturgiis legimus, in quibus unus semper apparet sacerdos, Dominus Noster Jesus Christus, aliorum sacerdotum ministerio utens. — Accedunt demum concilia, imprimis vero Concil. Tridentinum, quod (sess. 22, c. 1) Epistolam B. Pauli ad Hebræos de sacerdotio Christi explanat, et ait : « *Sacerdotem* secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans (Jesus Christus), corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit. »

3. *Ratione theologica.* Ille verus est sacerdos, qui divina auctoritate in sacerdotem electus, omnia munia sacerdotalia exercuit : atqui Christus — 1. Dei ordinatione electus est in sacerdotem, dicente B. Paulo (*Hebr.*, v, 4, 6) : « Nec quis- » quam sumit sibi honorem (sacerdotii), sed qui vocatur a » Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarifi- » cavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Tu » es sacerdos in *æternum;* » — 2. omnia sacerdotis proprie dicti munia exercuit; consilia enim Dei hominibus annuntiavit; cœlestem eis doctrinam tradidit, eamque divinis promissis sancivit; preces hominum Deo Patri obtulit, et ipse pro iisdem oravit (*Matth.*, XIV, 23; *Joan.*, XVII, 9, 20; *Luc.*, XXIII, 3, 4), nec etiam cœlo potitus pro nobis interpellare desinit (*Hebr.*, VII, 25); denique pro nobis seipsum in victimam moriendo obtulit; quod statim speciali probatione demonstrandum suscipimus. Ergo.

SECUNDA PARS ASSERTIONIS, nempe *præcipuum sacerdotii munus explevisse Christum, semetipsum in ara crucis in verum ac perfectum sacrificium offerendo*, probatur quoque

1. *Scriptura Sacra.* Ex veteri ipso Testamento probationem instituere fas est; legimus enim (*Isa.*, LII, 4-8) : « Vere » (Messias, seu Christus) languores nostros ipse tulit, et

» dolores nostros ipse portavit... Ipse vulneratus est propter » iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra... Po- » suit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus » est quia ipse voluit, et non aperuit os suum, sicut ovis ad » occisionem ducetur... Propter scelus populi mei percus- » si eum.... » Unde sic : De passione Jesu Christi et morte cruenta hic agi, non ambigitur apud omnes Scripturæ Sacræ interpretes : porro in hac ipsa sua passione ac morte Christus a propheta describitur ut victima piacularis, quæ ovis instar ad occisionem ducenda est, et dira quæque pro iniquitatibus omnium, Deo exigente, passura erat, non aliena, sed propria voluntate; ergo, eo ipso quod hanc prophetiam impleverit, Christus seipsum in victimam obtulit adeoque verum sacrificium Deo litavit. — Quod autem perfectum fuerit illud sacrificium, ex eo deducitur quod præstantissima bona Christo, propter sui oblationem et immolationem, Deus per eumdem prophetam ibidem promiserit (*Ibid.*, 10-12) : « Si posuerit » animam suam, videbit semen longævum... Ideo dispertiam » ei plurimos et fortium dividet spolia. » Quæ de uberrimis fructibus ex sacrificio Christi propter honorem Deo exhibitum, persolutas grates, obtentam veniam exoratamque misericordiam derivandis intelligenda sunt.

In Novo Testamento sæpius commemoratur sacrificium Christi in ara crucis, ut principium et fons omnium bonorum supernaturalium. Ipse Jesus (*Matth.*, xx, 28) dixit se venisse « dare animam suam redemptionem pro multis » ; item (*Joan.*, x, 11) : « Ego sum bonus pastor, et animam meam pono pro » ovibus meis. » Iterum (*Matth.*, xxvi, 28) : « Hic est enim » sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur » in remissionem peccatorum. » — B. Paulus idem dogma fidelibus inculcat; expresse enim (*Eph.*, v, 2) ait : « Christus » dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et » hostiam Deo in odorem suavitatis; » quæ quidem æquivalenter in pluribus aliis locis repetit; sed præsertim in Epistola ad Hebræos totus est Apostolus, ut ostendat vetera sacrificia præfigurativa tantum fuisse, et in uno sacrificio Christi cruento adimpleta fuisse. Unde non veritatem tan-

tum hujus sacrificii, sed et omnimodam perfectionem arguunt.

2. *Traditione.* Christum, dum mortem cruentam pateretur, seipsum in verum ac perfectum sacrificium obtulisse, inconcussum est Ecclesiæ dogma, redemptionis nostræ dogmati intime cohærens. Hoc enim SS. Patres unanimiter et aperte docent : ex quibus S. Athanasius (*de Incarn.*, n. 20) ait : « Ille (Christus) *sacrificium* tunc *obtulit*, cum pro omnibus suum templum (corpus) morti tradidit. » S. Gregorius Nyssen. (*de Perfect. Christ. form.*) dicit quoque : « Pro nobis vere Pascha immolatus est Christus ; *sacerdos* autem *sacrificium obtulit* Deo idem ipse Christus ; seipsum enim tradidit oblationem et hostiam pro nobis. » Ita pariter alii SS. Patres.

Nec minus clara sunt ecclesiastica documenta. In symbolo Nicæno Christus homo dicitur « crucifixus pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus. » In symbolo Athanasiano laudatur Christus, « qui passus est pro salute nostra. » Concilium Ephesinum approbans S. Cyrilli decimum anathematismum definit : « Christum Jesum nostræ confessionis *Pontificem* et Apostolum extitisse, eumdemque *semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri obtulisse,* Sacra Scriptura commemorat. Si quis ergo dixerit... Christum pro seipso, et non pro nobis solis *sacrificium obtulisse*, anathema sit. » Ita etiam concilium Lateranense IV, et concilium Tridentinum (sess. 6, c. 2).

3. *Ratione theologica.* Ad sacrificium quatuor requiruntur, nempe : res sensibilis, seu victima offerenda, rei ejusdem destructio vel immutatio, legitimus minister, summæ Dei excellentiæ, præsertimque supremi ejus dominii ac justitiæ contestatio, ad quam ut finem sacrificium dirigitur : porro in morte Christi hæ conditiones reperiuntur, siquidem — 1. ut homo, Christus victima erat sensibus objecta; — 2. hæc victima sanguinis effusione et morte realiter destructa est; — 3. idem ipse Christus sacerdos constitutus erat a Deo ; — 4. semetipsum obtulit ut infinitam Dei excellentiam testaretur, Dominum supremum eum agnosceret, peccatis offensum placaret eum, et impertienda gratiæ gloriæque dona benignum provo-

caret. Ergo verum obtulit sacrificium, imo et perfectum, quod scilicet ratione finis, latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium fuit.

Diximus in assertione *idem sacerdos et victima;* quod quidem omnino singulare et mirandum evidenter patet, sive ex Scripturæ et Traditionis testimoniis, sive ex instituta probatione. — Nec obstat quod Christus seipsum non occiderit, mortisque sibi illatæ particeps non fuerit; nam ad essentiam sacrificii non requiritur, quod ipsemet sacerdos offerens rem offerendam destruat reali et physica actione; sed sufficit quod illius destruendæ moralis causa dici possit: porro Christus libere seipsum morti exposuit, non tantum libera acceptatione, ut martyres, sed etiam per modum voluntariæ oblationis, qua ultro persequentibus occurrit, eorum manibus se permisit, vim tormentorum non impedivit, animamque sponte exhalavit, juxta illud (*Joan.*, x, 17, 18) : « Ego pono animam meam » ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono » eam a me ipso. » Nullo tamen modo dici potest Christum neci sibi illatæ active concurrisse; sed occisorum suorum malam in se exerceri voluntatem æquo animo tulit, cum impedire posset, ut internum devotionis suæ et reverentiæ ad Deum demonstraret affectum, atque pro peccatis nostris satisfaceret.

136. Quæritur. 1. *Quandonam Christus in sacerdotem unctus fuerit?*

Resp. Verbum in ipsa Incarnatione sacerdotem factum esse inferre possumus cum SS. Patribus ex ipsa appellatione *Christi*, quam utique Filius Dei nonnisi homo factus obtinuit. Est enim non naturæ vox, sed personæ utraque natura constantis, ut liquet ex dictis. Cum hac autem appellatione connexa est pontificia dignitas, cujus symbolum est *unctio*, quam præ se fert illud nomen. Quare Pontifex et sacerdos in ipsa carnis susceptione factus est Dei Filius, quando divinitate est inuncta hominis assumpta natura. « Unctus est enim ille ut rex et sacerdos, » ait S. Augustinus (*Enarr.* 2, in ps. xxvi, n. 2). Unde quando SS. Patres cum S. Cyrillo Hieros. (*Catech.*, 10) asserere videntur « Christum habere sacerdotium immutabile,

quod nec tempore cœpit, nec successorem alium habebit, » intelligendi sunt vel de præordinatione divina, qua Christus ab æterno prædestinatus est sacerdos; vel in eo sensu quod unctus fuerit oleo æterno, non temporali, scilicet divinitate ipsa; vel quod non acceperit in tempore personalem dignitatem, ratione cujus habet tale sacerdotium, sed natura sit sacerdos, quia, posita unione hypostatica, naturalem habet ac hoc dignitatem et excellentiam.

Quod autem Christo post Incarnationem non accesserit sacerdotii dignitas, confirmant et ostendunt verba quæ a B. Paulo Christo tribuuntur in primo conceptionis instanti (*Hebr.*, x, 5, 7) : « Ideo ingrediens mundum dicit : hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi : » Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » Ex his enim verbis merito concluditur Verbum, simul ac fuit incarnatum, sacerdotali munere fungi jam cœpisse, saltem quoad animi præparationem, cum se hostiam morti pro redimendis hominibus devoverit; vel, ut aiunt alii, primum sacerdotii sui actum elicuit seipsum victimam eligendo, præparando et in oblationem dedicando, ut moris erat in antiquis sacrificiis.

137. Quæritur 2. *Qua ratione Christus sacerdos fuerit?*

Ecclesia catholica constanter docuit Christum esse sacerdotem, *ut homo est*, non tamen quatenus est purus homo, sed ut *Homo Deus*; aliis verbis, functiones sacerdotales exercuit secundum naturam humanam, sed in his peragendis Verbum regebat humanitatem, eique dignitatem conferebat perfectæ mediationis.

Constat *primum*, scilicet *Christum functiones sacerdotales exercuisse secundum naturam humanam*

1. *Scripturæ Sacræ* textu jam citato, quo nempe B. Paulus asserit omnem Pontificem *ex hominibus* assumi, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; quod idem Apostolus de Christo confirmavit dicens (*Hebr.*, IV, 15) : « Non enim habemus » Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; » tentatum autem per omnia, pro similitudine absque pec» cato. » Ex quibus clare infertur Christum se gessisse sa-

cerdotem, quatenus obnoxius fuit infirmitatibus mortis, ac proinde ut homo.

2. *Traditione;* ita enim sentiunt SS. Patres, ex quibus S. Ambrosius (*de Fid.*, l. 3, c. 5) dicit : « Idem sacerdos, » idem et hostia; sacerdotium tamen et sacrificium *humanæ* » *conditionis officium est.* » S. Augustinus (*de Consens. Ev.*, l. 1, c. 3) ait etiam : « *Secundum hominem* Christus et rex et *sacerdos* effectus est. » Addit vero S. Fulgentius (*de fide ad Petr.*, c. 2) : « Solus sacerdos, sacrificium et templum; et hæc omnia Deus, *secundum rationem servi.* »

3. *Ratione theol.* Ex dictis supra, Christus idem sacerdos fuit et victima; atqui victima fuit ut homo : ergo et sacerdos. — Insuper sacerdos, ut sacerdos, seu quatenus offert victimam et cultum Deo præstat, inferior sit Deo, cui victima offertur et cultus redditur, necesse est : atqui Christus Deo tantum inferior est ut homo; ergo sacerdos est ut homo. — Denique esse sacerdotem est pars mediationis Christi Deum inter et homines; mediator autem est Christus ut homo, juxta illud B. Pauli (I *Tim.*, II, 5) : « Unus et mediator Dei et ho- » minum, *homo Christus Jesus;* » quod iterum confirmat, cum (*Hebr.*, IX, 15) ait : « Et ideo Novi Testamenti mediator est, » ut morte intercedente, etc. » Ergo.

Constat *secundum*, nempe *Christum non esse sacerdotem ut purum hominem, sed ut Deum hominem,*

1. *Scriptura Sacra*; semper enim in adductis textibus Scripturæ ipse Christus sacerdos prædicatur : porro Christus supponit non pro homine puro, sed pro Deo homine; ergo. Confirmatur textu mox citato, in quo non *homo* simpliciter, sed *homo Christus Jesus,* dicitur mediator ac proinde sacerdos.

2. *Traditione.* Patres quippe contra Nestorium divinum Christi sacerdotium non minus strenue vindicaverunt quam unionem hypostaticam, cujus est consectarium. Inclytum testem habemus S. Cyrillum Alexandrinum, qui in decimo anathematismo, a concilio Ephesino approbato, dicit : « Si quis Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est et homo juxta nos ho-

mines, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere... anathema sit. »

3. *Ratione theol.* Nam si necessarium fuit Christum habere naturam humanam, ut sacrificium offerret, et cultum Deo persolveret, necessarium etiam fuit in eo suppositum divinum, ut hic sacerdos potens esset et efficax ad offerendum sacrificium, quod omni ex parte Deo satisfaceret. Huc recurrunt quæ jam dicta sunt de necessitate incarnationis in hypothesi satisfactionis condignæ. — Demum Christus est victima non ut homo tantum, sed ut Deus homo. Ergo sacerdos est non ut homo tantum, sed ut Deus homo.

Dicimus *ut Deus homo*, non vero simpliciter *ut Deus*; nam prædicatum, quod non convenit Christo ratione divinitatis, seu ut subsistenti in sola natura divina, non potest dici de Christo cum reduplicatione seu determinatione divinitatis, sed humanitatis, quia illa reduplicatio designat naturam per quam tale prædicatum illi convenit. Dici ergo potest Christum esse sacerdotem, ut *homo est*, non vero sine addito, *ut Deus est*.

138. Quæritur 3. *In quonam sensu Christus dicatur sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech?*

Resp. 1. Christus dicitur *sacerdos in æternum* in eo sensu, quod sacerdotium ejus in terris quidem inchoatum est, sed tamen in cœlis consummatur et perseverat sine fine. — Nec quoad *habitum* tantum, sed etiam quoad *actum* durabit sacerdotium Christi. Licet enim in crucis ara victimæ morte cruenta consummatum sit sacrificium, sacerdotii tamen exercitium minime tunc finitum est; redivivus quippe perseverat Christus in oblatione incruenta, qua seipsum in terris per manus sacerdotum usque ad consummationem sæculi Deo Patri oblaturus est : perseverat quoque in cœlis in jugi illa interpellatione, qua Patri monstrans assidue dira quæ accepit vulnera, veniam pro nobis exorat. Ita B. Paulus (*Hebr.*, VII, 24, 25) : « Hic autem (Jesus), eo quod maneat in æternum, sempiter- » num habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum » potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens » ad interpellandum pro nobis. » Et infra Christum vocat *Pontificem futurorum bonorum*, eumque (*Ibid.*, IX, 11) asserit

ingressum « semel in sancta (cœlum), *æterna redemptione inventa.* »

Resp. 2. Christus dicitur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* propter multiplicem analogiam, qua sacerdos Melchisedech fuit eximia sacerdotis Christi figura. Conveniunt enim — 1. *In nomine;* Melchisedech, rex Salem, rex justitiæ, rex pacis interpretatur. At Christus verus fuit *rex justitiæ, rex pacis*; divinæ siquidem justitiæ satisfecit et pacem Deum inter hominesque composuit. — 2. *In origine et perennitate*; Melchisedech enim apparet sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens (horum quippe nihil describitur in Scriptura) : unde assimilatus Filio Dei manet sacerdos in perpetuum. Similiter Christus factus est sacerdos, non juxta carnalis successionis legem, sed ex præordinatione divina, et successoribus carens, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. — 3. *In præeminentia sacerdotii* sui supra sacerdotium Aaronicum; Abraham enim, ut pater sacerdotum generis Levitici, ipsis superior est; attamen inferior est sacerdoti Melchisedech, cui decimas solvit tanquam Domino, et a quo benedictionem recepit : « Sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur, « inquit Apostolus (*Hebr.*, VII, 7). Pariter Christus sacerdos Dominus est Abrahæ, eique benedixit, dum sanctificationis ejus et salutis causa extitit. — 4. *In sacrificandi ritu;* Melchisedech nempe sacrificium panis et vini obtulit; Christus vero sub panis et vini speciebus corporis et sanguinis sui sacrificium in cœna obtulit, quod a sacerdotibus Novi Testamenti suo nomine jugiter offerri præcepit. Ideo vere est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, cui etiam tanto eminentius præstat quanto realitas longius distat a figura.

139. Corollarium. Ex dictis in toto hujusce articuli decursu colligere est sacerdotio Christi adscribendam esse excellentiam numeris omnibus absolutam, cui nulla in cœlo et in terra comparari potest dignitas : quippe quod — 1. sacerdos Christus consecratus est, non unctione corporali, sicut alii sacerdotes, sed ipsa unione hypostatica, secundum quod eam Deus

ordinavit ad redemptionem hominum; nec est in eo alius character, quam illa unio, vi cujus naturalis est mediator Dei et hominum; — 2. victima per eum oblata sive puritate, sive dignitate ac pretio parem sibi habere nequit; — 3. actus, quo eam mactavit, perfectissimus quoque fuit; non enim alius assignari potest quam eximius ille actus amoris, qui in primo ejus ortu elicitus, semper duravit, et in quo resurgens perseverat in æternum; — 4. ea demum fuit efficacia sacrificii ejus, ut uberrimos in terra et in cœlo fructus perenniter producat, nec ulla apponenda sit restrictio verbis Apostoli dicentis : « Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos. »

140. Scholium. *De oratione Christi.* — In prima assertionis parte jam observavimus Christum orasse, dum in terris degeret, et etiam nunc orare in cœlis. Quænam vero sit illius orationis indoles inquirunt theologi. Porro, quod attinet ad orationem fusam, dum in terris conversabatur, nulla fere est difficultas; oratio quippe fuit proprie dicta, qua desiderium suum aperte Deo significavit, et ab eo compleri supplicavit, juxta illud Apostoli (*Hebr.*, v, 7) : « Preces supplicationesque » offerens exauditus est pro sua reverentia. »

At quoad orationem Christi in cœlo non una est sententia; censent enim plures Christum non proprie, sed interpretative tantum orare, quatenus se sistendo Patri repræsentat ei sua vulnera et merita, ut gratiæ conferantur. Alii vero ex celeberrimis theologis, quibus assentimus, Christum proprie orare tenent. Etenim — 1. Scriptura expresse asserit Christum in cœlis *interpellare pro nobis* (*Rom.*, VIII, 34; *Hebr.*, VII, 25); esse *advocatum nostrum apud Patrem* (1 *Joan.*, II, 1) : atqui hæc verba in sensu proprio intelligenda sunt, quia nulla est repugnantia. Ergo Christus expresse meritorum suorum applicationem postulat. — 2. SS. Patres præfata verba in sensu etiam proprio interpretantur, et exinde colligunt quænam sint æterni Christi sacerdotii partes. Sic S. Augustinus (*in Ps.* VIII) : « Oratur Christus in forma Dei, orat in forma servi. » — 3. Oratio quoad substantiam est expressio desiderii facta ei qui juvare potest : porro Christus homo, qui pro nobis ani-

mam suam posuit, vult et desiderat ea fieri quæ ad nostram salutem expediunt, et illud desiderium Patri suo manifestat; ergo vere orat in cœlis. — Præterea oratio Christi cœlestis non repugnat, quia, licet Deus sit, est etiam homo; nec cognoscit res futuras, nisi sub conditione orationis implenda; nec orat ex indigentia, sed ex abundantia amoris erga nos; nec dubitat de sufficientia meriti in terris acquisiti, sed ejus applicationem exorat simpliciter fieri.

Caute tamen vitanda est hæc formula : *Christe, ora pro nobis*, sed semper cum Ecclesia dicendum est : *Christe, miserere nobis*. Etsi enim prior formula non sit absolute falsa, nihilominus rejicienda est, tum quia Christus semper invocandus est secundum titulum ipsi magis honorificum; tum quia ille qui rogat, ut aliquis oret pro se, significat eum *simpliciter inferiorem* esse ei, ad quem dirigenda est oratio; quod de Christo relative ad Deum ne innui quidem debet, ut quantum fieri potest, ab illorum hæreticorum errore recedamus, qui Christum meram creaturam dicere ausi sunt (Cf. Suarez, Legrand, Knoll).

ARTICULUS III.

De munere Christi regio.

141. Regia potestas ipsa est facultas independens et suprema hominum multitudinem in perfecta societate adunatorum ad finem communem dirigendi. Hæc porro potestas duplex est : *spiritualis* una, quæ ordinatur ad beatitudinem supernaturalem assequendam per media spiritualia; *temporalis* altera, cujus finis communis proximus est bonum temporale per media ejusdem ordinis procurandum, finis vero ultimus auxilium hominibus præbendum ad obtinendam supernam beatitudinem, obnitentibus licet undique hostibus. Cum igitur Christus Redemptoris munia perfecte obire non potuerit, quin hominum voluntatem in devia per internas passiones et externas tentationes facile abreptam dirigere debuerit, expendendum venit an et quatenus potestate regia instructus sit. — Hæc autem in Christo quoad spiritualia præsertim

eminet, ideoque sub hoc potissimum respectu expendenda est ac stabilienda. Sit proinde sequens

142. Assertio : *Christus, ut Deus homo, rex est spiritualis, et quidem excellentissimus.*

PROB. 1ª PARS, nempe *Christum esse regem spiritualem,*

1. *Scriptura Sacra.* Legimus (*Ps.* II, 6) : « Ego autem » constitutus sum *rex* super Sion, montem sanctum ejus, » prædicans præceptum ejus. » Item (*Ps.* XLIV, 7) : « Sedes » tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, *virga regni* » *tui;* dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit » te Deus. » Notum est etiam illud (*Isa.*, IX, 6) : « Factus est » principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus » admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, » *princeps pacis,* multiplicabitur *ejus imperium*, et pacis non » erit finis : *super solium David* et *super regnum ejus* sedebit, » ut confirmet illud in justitia et judicio. » Hæc autem de spituali regno Christi intelligenda esse asserunt omnes interpretes. Ergo.

Et vero ipse Christus se regem spiritualem manifeste asseruit; cum enim Pilatus (*Joan.*, XVIII, 37) ei dixisset : « Ergo rex es tu? » Respondit Jesus : « Tu dicis, quia *rex sum ego.* » » Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testi- » monium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate audit » vocem meam. » Hinc etiam illa Christi verba : « *Regnum* » *meum non est de hoc mundo*; » id est, non terrenum, sed cœleste, a Deo manans et ad Deum tendens.

2. *Traditione.* Animadvertunt sæpius auctores ecclesiastici Judæos in interpretandis Scripturis errasse, dum Messiam, spiritualem præsertim regem, ut ducem præpotentem expectarent, qui imperio universali potiturus erat. Laudant vero passim SS. Patres Magorum fidem, quod per mystica munera Christum non solum Deum et hominem, sed et regem professi sint : « Thus Deo, myrrham homini, *aurum* offerunt *regi*, » inquit S. Leo (serm. 1. *de Epiph.*). Ideo S. Augustinus (Enarr. 2, *in Ps.* 26, n. 2) ait : « Unctus est Christus *rex* et sacerdos; *rex* pugnavit pro nobis; sacerdos obtulit pro nobis. » Unde genuina martyrum acta his verbis frequen-

ter terminantur : « *Regnante Domino nostro Jesu Christo.* »

3. *Ratione theologica.* Quod Christus potestate spirituali vere regia donatus fuerit, ex eo præsertim evincitur, quod omnia spiritualis regis munia exercuerit et exerceat : namque *victor* hostes nostros spirituales debellavit et ex usurpato regno expulit : *redemptor* ac liberator homines ex servitute eduxit et suæ ditioni spirituali subjecit; *legislator* subditos suos et regni sui spiritualis cives legibus saluberrimis moderatur. Ergo.

Secunda assertionis pars, *Christum* nempe, *qua Deus homo est, regem esse spiritualem excellentissimum*, ex instituta supra probatione consequitur; sed luculentius eam adstrui decet, et ideo probatur

1. *Scriptura Sacra.* In toto Evangelii decursu, Christus Jesus nobis apparet non tantum ut rex spiritualis, victor, redemptor ac legislator, sed etiam ut instaurator regni Dei et Ecclesiæ seu societatis spiritualis in ævum duraturæ conditor, per quam omnes homines dirigendi sunt ac ducendi ad vitam æternam : atqui condendo hujusmodi societatem, verbis simul et facto regiam sibi arrogavit spiritualem potestatem vere præcellentem; *verbis* quidem, dicendo (*Matth.*, xxviii, 19) : « Data est mihi *omnis potestas* in cœlo et in terra : euntes, » ergo docete; » vel etiam speciatim Petrum alloquens (*Matth.*, xvi, 19) : « Tibi dabo *claves regni cœlorum.* Et *quodcumque* » ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo, etc.; » quibus respondent quæ (*Joan.*, xxi, 15, 16, 17) leguntur : « Pasce » agnos meos... pasce oves meas; » *facto* demum, cum Apostolos suos et eorum successores reges ac principes spirituales sub se constituerit efficaciter. Ergo.

2. *Traditione.* Regiam Christo in ordine spirituali potestatem non tantum tribuunt SS. Patres, sed miris etiam encomiis supra modum eam extollunt : hæc passim legere datur in sacra liturgia, in qua et ipsa Ecclesia Christum per excellentiam *Dominum* ac *regem* appellare consuevit.

3. *Ratione theologica.* Eo enim major est rex, quo dotes ipsius personales sublimiores sunt, finem societatis sublimiorem intendit mediaque adhibet præstantiora : atqui Christus *Rex* sub his respectibus omnes reges longe superat.

Et quidem — 1. præstat dotibus personalibus, nempe : — *sapientia*, qua subditorum et regni omnia negotia novit, consiliariis non indiget, omnibusque suaviter dispositis, attingit a fine ad finem fortiter; — *potentia* quæ nullius opus habet auxilii, vires inimicorum frangit, et summum in ipsas mentes per gratiam exercet imperium; — *bonitate et magnificentia inexhausta*, qua non tantum præstantissima dona, sed etiam seipsum omnibus et singulis dat, juxta illud : « Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium ; » — denique *justitia*, qua reddit unicuique juxta opera sua, nec poculum aquæ frigidæ præmio vacare sinit.

2. Finem intendit sublimiorem et media adhibet præstantissima; dum enim reges terræ bonum civium temporale per media terrena, arma scilicet et instituta imperfecta, procurare intendunt, Christus animarum sanctificationem et beatitudinem æternam quærit, et ad eum finem assequendum media spiritualia usurpat : veritatem scilicet, gratiam, virtutes et dona Spiritus Sancti, quæ modo interna directaque actione, modo per Verbi divini prædicationem, sacrificium et sacramenta, perenni dispensatione impertitur.

143. Quæritur 1. *Utrum Christus, qua Deus homo, rex temporalis fuerit?*

Resp. 1. Juxta omnes, Christo, qua Deus homo est, adscribenda est saltem potestas indirecta in res temporales, quæ illi necessaria est, ratione spiritualis regni, ad spiritualem finem assequendum et salutem animarum procurandam. Ratio est quia « sicut potestates et regna, inquit Suarez (*de Incarn.*, disp. 48, sect. 2), ex finibus præcipue distinguuntur, ita in ordine ad suum finem unaquæque potestas vim et efficaciam habet circa omnia inferiora, quæ possunt illum finem impedire, vel convenienter promovere, quia alias potestas esset imperfecta et diminuta. Cum ergo temporalia omnia ad spiritualia referantur, illisque subordinentur, omnia illa, ut ordinem habent ad hunc finem, subjici possunt huic spirituali potestati Christi. Unde hac ratione necesse est verum esse quod Christus dixit : « Data est mihi *omnis potestas* in cœlo et in terra. »

Resp. 2. Communior est theologorum sententia Christum, qua Deum hominem, directa pollere in res temporales potestate, quæ tamen politica non sit, nec ejusdem rationis ac potestates regiæ hac in terra vigentes, ut plures inter veteres existimare visi sunt, sed est potestas excellentiæ, seu, ut ait Suarez (*loc. cit.*), « excellens quoddam dominium et potestas in res omnes creatas et super omnes omnium hominum et Angelorum actiones. »

Resp. 3. Plerique theologi asserunt contra nonnullos, Christum non habuisse jus hæreditarium ad regnum politicum Judæorum. Rationes autem sunt — tum quia regnum Messiæ non est intelligendum ad sensum carnalium Judæorum, qui regnum expectabant temporale; nec certe vaticinia, quæ id prænuntiare videntur, in eo sensu intelligenda sunt, in quo non fuerunt impleta; — tum quia cessaverat regnum Davidis, et hæreditaria successio fuerat interrupta; — tum quia probari nequit B. Virginem a Davide per Salomonem linea recta descendisse.

144. Quæritur 2. *An et quatenus Christus habuerit dominium privatum omnium rerum?*

Resp. Christus *probabilius* rerum omnium dominium excellenti quodam superiori modo *in actu primo* habuit; *in actu* vero *secundo* quarumdam tantum rerum, non semper, sed aliquando habuit dominium, ad suum Apostolorumque usum ita ut verbo et exemplo perfectam docuerit paupertatem, quæ consistebat in voluntaria abdicatione rerum omnium juxta Patris beneplacitum.

Ex eo quod autem Christus habeat præcellens quoddam dominium omnium rerum, non sequitur excludi dominos inferiores, sed tantum bona ab unoquoque possidenda et administranda esse cum dependentia a Christo, ita ut ipsi ratio debeatur.

145. Quæritur 3. *An et qualis potestas judiciaria Christo competat?*

Resp. Christum, qua Deum hominem, *judiciaria* etiam *potestate eminenter pollere*, sequitur ex dictis. Nam, ut rex societatem ad finem intentum perducat, non præcepta solum et

leges decernere tenetur, sed et mandatorum ac legum executioni providere judiciis, justitiamque inter subditos servare debet, suum cuique tribuendo, bonos præmiis malosque debitis pœnis afficiendo. Christus igitur, cum sit eminenter rex, in summo etiam gradu judiciariam sibi vindicat potestatem et exercet. Consonat Scriptura ; ipse est enim (*Act.*, x, 42) « qui constitutus est a Deo *judex vivorum et mortuorum*, » non modo hominum, sed etiam Angelorum (I *Cor.*, vi, 3). Quin etiam « neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit » Filio... quia Filius hominis est, » inquit ipse Christus (*Joan.*, v, 22, 27).

Hoc autem judicium exercet Christus in hoc mundo, providentia sua in omnes et singulos non modo homines, sed maxime populos, qui ad præsens sæculum pertinent, alios erigendo, alios vero dejiciendo. In his temperamento tamen utitur ad locum agonis idoneo, permittendo malos aliquantisper erigi ad splendidiorem eorum ruinam et exercitationem bonorum. — Districti autem judicis munus implet post mortem erga singulos, *reddens unicuique secundum opera ejus ;* donec plenius idem impleat erga omnes et singulos in fine temporum, quando veniet *in gloria Patris cum Angelis suis*, uti jam (Tract. *de Deo creat.*, n. 164, 214) diximus. — Interea utrique judicio præludit per exercitium potestatis judiciariæ, quam Ecclesiæ suæ contulit, præsertim vero per sacramentum Pœnitentiæ, quod veluti tribunal publicum erexit ad cognoscendas et componendas animarum causas, amico inter se fœdere consociatis misericordia et justitia.

Ex quibus patet potestatem judiciariam haud secus ac regiam eminenter in Christo reperiri, ac merito quoque potestatem excellentiæ esse dicendam. Advertendum insuper potestatem remittendi peccata, qua sacramentalis est, ad sacerdotium Christi referri (Cf. S. Thom., 3, q. 59, a. 2, 4, 6).

APPENDIX I.

DE CULTU CHRISTO REDEMPTORI PERSOLVENDO.

146. Cultus notio. — Cultus generatim est excellentiæ testificatio, seu actus, quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam.

Cultus est civilis vel religiosus, prout excellentia est civilis vel religiosa.

Cultus religiosus triplex assignari solet : — *Latriæ*, qui est honor soli Deo exhibendus in testimonium summi illius in creaturas dominii ; — *Duliæ*, qui est honor servis Dei exhibendus ob supernaturales eorum dotes ; — *Hyperduliæ*, qui B. Mariæ redditur ob singularem et eminentissimam ejus excellentiam præ omnibus sanctis.

Cultus in genere duplex iterum est : *Absolutus*, quo quis colitur propter excellentiam ipsi propriam et inhærentem ; — *Relativus*, qui non exhibetur alicui nisi propter alterius excellentiam ad quem specialem habet relationem. Talis est cultus imaginum.

Agemus — 1. de cultu humanitatis Christi in genere ; — 2. de cultu sacratissimi Cordis Jesu ; — 3. de cultu crucis.

§ I. De cultu humanitatis Christi in genere.

147. Errores. Errarunt Nestoriani, qui duas profitentes in Christo personas, Christo tamen ut homini adorationem tribuunt, sed inferiorem ei quam Deo exhibent, unde duplicem adorationem agnoscunt ; — Wiclefus, qui contendit Christo homini, prout seorsum spectatur a divinitate distinctus, cultum divinum deberi, non secus ac ipso Verbo divino ; — Sociniani, qui Christi divinitatem negantes, divisi sunt in *adorantes* et *non adorantes*, prout Christo, ut Dei legato, cultum latriæ vel tribuebant vel denegabant ; — Berruyer, qui

asseruit humanitatem adorandam esse in se, primario et in recto; — tandem synodus Pistoriensis, quæ ait « adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ. » Ecclesia mediam viam tenet; ideo sit sequens

148. Assertio : *Humanitas Christi, quatenus conjuncta Verbo, una et eadem adoratione cum ejus devinitate est colenda, non tamen propter se et primario.*

Est de fide, utpote definita a conc. gen. V. (*act.* 8, can. 9) : « Si quis non *una adoratione Verbum incarnatum cum ejus carne adorat*, juxta quod Sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*; legitur enim (*Philip.*, II, 9) : « Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super » omne nomen : ut in nomine Jesu *omne genu flectatur* » *cœlestium, terrestrium et infernorum.* » Illa verba adorationem sonant, et in eo sensu accipiuntur a Doctoribus; atqui tamen ad Christum ut hominem referuntur, quia Deus nec Verbum exaltat, nec dat ei nomen. Ergo. — Item (*Joan.*, V, 22) : « Omne judicium dedit Filio, ut omnes *honorificent Fi-* » *lium, sicut honorificant Patrem.* » Qui accepit judicium a Patre est Christus ut homo; ergo adoratio ei competit, siquidem honorificari debet, sicut Pater. — Demum (*Hebr.*, I, 6) : « Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : » *Et adorent eum* omnes Angeli Dei. »

Prob. 2. *Traditione*, nempe : — 1. *Ex Patribus*, qui docent carnem Christi ex eo quod facta est Dei corpus, ab ipso separari non posse, sed cum ipso adorari debere. Audiantur præ cæteris S. Athanasius (in Epist. *ad Adelphium*, n. 3) dicens : « Etsi ipsa caro (Verbi) seorsum spectata, pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes *adoramus*, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus. » — S. Cyrillus Alex. (apud. Gerdil., *Curs. comp.*, t. 10, c. 1160) scribens : « Si quis Domini nostri carnem, veluti nudi hominis, minime *adorandum* dixerit; hunc anathemate plectit sancta et catholica Ecclesia. »

2. *Ex damnatione* synodi Pistoriensis a Pio VI in bulla *Auctorem fidei* (p. 61). Hæc quippe habet citatus Pontifex : « Propositio, quæ asserit adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ, quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare *adorationis cultum*, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens, ac injuriosa. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Licet humanitas Christi sit quid creatum, attamen revera unitur hypostatice et in personæ unitatem Verbo divino in quo subsistit : atqui natura quæ est una cum Verbo divino persona, una eademque adoratione cum ipso sub hoc respectu colenda est, siquidem, ex axiomate recepto, *actiones et passiones sunt suppositorum*, seu personarum, non vero naturarum ; ergo.

Dictum fuit in assertione : *Non tamen propter se et primario*, quia, præterquam quod id expresse asserant S. Athanasius et Pius VI supra citati, humanitas sic sumpta est humanitas independenter a Verbo spectata ; porro humanitas Christi sine Verbo considerata est simplex creatura, et adoratione indigna ; ergo. — Adoratur tamen humanitas Christi *directe*, et, juxta Pii VI verba, « est una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur. » Et ideo adoratio humanitatis non est, ut dicebant quidam theologi, cultus relativus, sed est cultus *absolutus*, licet secundarius

Quam omnem doctrinam sic exponunt doctores Parisienses in censura Berruyer : « Omnes theologi unanimiter statuunt tanquam dogmata ad catholicam fidem pertinentia : — 1. Supremum latriæ cultum soli Deo, solis personis divinis, Patri, Filio et Spiritui Sancto, esse impendendum in se et *propter se*,

seu solum Deum esse simul objectum et motivum adorationis latriæ. — 2. Humanitatem Christi, Verbo divino unitam, adorandam esse cultu latriæ in se, sed non *propter se*, id est, eam esse objectum, sed non motivum supremi illius cultus. »

§ II. De cultu sacratissimi cordis Jesu in particulari.

149. Hujusce cultus natura. Cor Christi sacratissimum duplici modo considerari potest, vel *materialiter*, quatenus pars corporis Christi, vel *symbolice* pro affectionibus animæ ac præsertim pro amore, cujus est symbolum. Porro sub utroque respectu consideratum specialiter colitur.

1. Cor *materiale* Christi, ut partem corporis Christi, et prout conjungitur hypostatice Verbo divino, non autem solitarie et sejunctim sumptum, objectum esse cultus ab Ecclesia in honorem cordis Jesu sacratissimi usurpati, constat tum invitatorio officii pro aliquibus locis concessi, tum bulla *Auctorem fidei*, in qua reprehenditur synodus Pistoriensis, ex eo quod, propositione 63, exhibet fideles, quasi cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est *Cor Jesu*, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis, sine separatione aut præcisione a divinitate, adorabile fuit in sepulcro. » — Cæterum cor Christi non est cor mortuum, ut corda Sanctorum, quorum asservantur reliquiæ, sed vivum, animæ conjunctum, quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.

2. Cor Christi *symbolice*, seu *mystice* sumptum tum pro Christi voluntate, tum pro amore, cujus est fons, illiusque effectibus, est etiam illius cultus objectum, ut constat tum ex officio festi SS. Cordis, tum ex declaratione S. Congregationis, tum ex epistola Pii VI ad episcopum Pistoriensem, in qua dicitur quod « in symbolica cordis imagine immensam caritatem, effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur. » Circa quod duo sunt notanda : — 1. Quamvis cor carneum Christi nullum amoris sensum experiatur, utpote ratione destitutum, attamen certum est cor esse symbolum amoris; unde sive in Scriptura, sive in usu

hominum consueto, cordi tribuitur amor, et merito quidem; experientia enim constat hanc esse corporis partem quæ vividius experitur, etiam physice, effectum affectionum animæ; et ipse Christus dixit : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis *corde* » (*Matth.*, XI, 29). — 2. Cum dicitur peccata nostra amarissimum dolorem inferre cordi Christi, de dolore actuali, cujus post resurrectionem incapax est humanitas Christi, non est intelligendum, sed de dolore quem in terris ipsi intulerunt peccata nostra jam prævisa, vel eodem sensu quo Scriptura nobis Deum exhibet contristatum, aut pœnitentem.

Unde multiplex est ratio, cur speciali cultu cor Jesu colendum proponatur : hoc quippe fit, — tum propter amorem, quo erga nos exarsit; — tum propter dolores, sive externos, sive internos, quos per totam vitam suam temporalem pro nobis sustinuit; — tum propter virtutes, quarum cor illud sacratissimum sedes fuit præcipua, et quas ab ipso addiscendas præscripsit.

Finis vero per hunc cultum procurandus duplex assignatur, ut nempe inflammentur corda nostra amore Christi, et præsertim reparentur injuriæ ipsi maxime in SS. Eucharistiæ sacramento illatæ.

Ex his concludendum — 1. cultum illum nihil aliud esse quam actum religionis, et quidem cultus latriæ, sicut est cultus erga humanitatem Christi; siquidem cor Christi colitur tanquam conjunctum humanitati et personæ Verbi divini; — 2. eumdem valde differre a cultu SS. Eucharistiæ, cujus objectum est totum corpus Christi, finis est honores persolvere corpori Christi nobiscum habitantis in altari, motivum est dignitas ipsius carnis divinitati conjunctæ.

150. His prænotatis, contra nonnullos, præsertim e Jansenistarum secta, hunc cultum novum, periculosum et erroneum dicentes, et ejus fautores *cordicolas* vocantes, sequens statuitur

Assertio : *Cultus sacratissimi cordis Jesu pius est atque ab omni superstitionis labe immunis.*

Prob. 1. *Auctoritate Ecclesiæ.* — Praxi sua non potuit pro-

bare Ecclesia devotionem erroneam et perniciosam : porro Ecclesia universalis SS. Cordis Jesu festum celebrat, ex mandato Pii IX, anno 1856, postulantibus Galliarum episcopis, edito. Ergo.

Præterea Pius VI in constitutione *Auctorem fidei* damnavit propositiones synodi Pistoriensis, quibus hæc devotio rejiciebatur ut nova, erronea, aut saltem periculosa, his verbis : Doctrina, quæ devotionem erga cor sacratissimum Jesu rejicit inter doctrinas quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica sede probata : falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam sedem injuriosa (*prop.* 62). — Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate, adorari non posse cultu latriæ ; quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione et præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione et præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro ; captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa (*prop.* 63).

Prob. 3. *Ratione theologica.* — Ille cultus est licitus qui nihil habet nisi pium et sanctum : atqui devotio erga cor Jesu nihil nisi sanctum habet — 1. *ex parte objecti* ; nam si materialiter sumatur cor Jesu, est omni adoratione dignum, quia hic sumitur prout divinitati conjunctum hypostatice. Si cor Jesu spiritualiter et mystice spectetur, quatenus est amoris symbolum, quid cultu nostro dignius quam infinita Christi caritas? Si festa instituantur ad celebranda varia Christi in nos beneficia, quid vetat quominus celebretur ipsa ejus caritas, omnium beneficiorum fons ac origo? — 2. *Ex parte finis,* qui est inflammare corda nostra amore Christi, ob caritatem illius erga nos, et reparare injurias ipsi illatas, tum ab hæreticis, tum ab ipsis catholicis. — 3. *Ex parte motivorum* ; motiva enim supra allata sunt certe pia et sancta. — 4. *Ex parte actuum,* quos præscribit; illi enim actus sunt perfectissimi

virtutum, et spectant præsertim ad amorem, quo Christus dilexit nos. — 5. Tandem *ex parte effectuum;* naturales quippe hujus devotionis effectus sunt gratiæ abundantiores ex hoc SS. Corde diffluentes, caritas in fidelibus quotidie accrescens, et firmiores gressus in sanctitatis semitis, uti experientia constat. Ergo.

151. Obj. 1. Inutilis est illa devotio; nam Ecclesia totum corpus in Eucharistia fidelium cultui semper proposuit, processiones instituit ad reparandas injurias ipsi illatas; nulla ergo utilitas novæ hujus devotionis, quæ ab altera non differt, et, cui dum adhærent fideles, timendum est ne negligant devotionem erga SS. Eucharistiam. — Resp. 1. Duæ hæ devotiones in rei veritate inter se differunt ratione objecti, finis et motivi, ut superius ostensum est. — Resp. 2. Timendum non est ne ista devotio noceat devotioni erga Eucharistiam; imo cum Eucharistia sit velut compendium omnium effectuum amoris Christi, verus cultor cordis Jesu magis ac magis sacramentum hoc venerabitur. Et revera quis magis erga Eucharistiam devotus, an fidelis cultor cordis Jesu, an illius adversarius ? Dubius non manebit quisquis rem bene noverit.

152. Obj. 2. Devotio in cor Jesu est periculosa, quia, si semel liceat colere specialem partem corporis Christi, pari jure tot introducentur pro uniuscujusque arbitrio devotiones quot partes vel minimæ corporis distinguuntur; quod ad superstitionem tendit. — Resp. 1. Religiosus cultus non ex privatorum fidelium arbitrio pendet, sed ex institutis sanctæ Ecclesiæ, quæ semper a Spiritu Dei regitur. — Resp. 2. Etiamsi singulæ partes Christi, quæ Verbo hypostatice uniuntur, unum eumdemque cultum cum eo mereantur, attamen ut pars aliqua præ aliis specialiter honoretur, specialis requiritur ratio, cujus judex sola debet esse Ecclesia; hæc autem specialis ratio in SS. Corde Jesu ex dictis facile detegitur.

153. Scholium. *De cultu cæterarum corporis Christi partium.* — Ex his apparet quid tenendum sit de cultu cæterarum corporis Christi partium. — 1. Omnes corporis Christi partes una eademque adoratione cum Verbo divino venerari licet. —

2. Ut aliqua pars specialiter honoretur, specialis adesse debet ratio. — 3. Ad Ecclesiam, quæ a Christo sola instituta fuit in rebus fidei ac cultus judex, recurrendum est, quando aliqua exsurgit devotio; ejus judicio prorsus standum est nec, ea inconsulta, inauditus cultus publice adhiberi licite valet.

§ III. De cultu crucis Christi.

Ut quæ ad crucem Christi spectant absolvantur, de veræ crucis ligno, de crucis imaginibus ac tandem de signo crucis manibus expresso agendum est.

154. Assertio 1ª : *Vera crux Christi magna veneratione digna est.*

Prob. 1. *Usu Ecclesiæ universalis*, quæ veram crucem, ab Helena Constantini matre, anno 326 inventam, singulari honore semper prosecuta est; omnes fideles magna pietate eam coluerunt, quasi pendentem in ea Christum vidissent, ait S. Hieronymus. Testatur deinde S. Cyrillus (*Catech.* 4, n. 10 et *Catech.* 10, n. 19) veræ crucis particulas in omnes mundi regiones deferri et honorari. Ecclesia insuper festa *Inventionis* et *Exaltationis* sanctæ crucis instituit, veram crucem fidelium venerationi publice et solemniter exposuit, et templa ad ejus cultum celebrandum ubique terrarum erexit.

Prob. 2. *Rath. th.* — Hujus cultus rationes facile deteguntur; colitur quippe vera crux — 1. quia Christum Dominum in cruce extensum, illius caritatem infinitam, dolores ac tormenta in memoriam directe revocat; — 2. quia per contactum membrorum Christi fuit consecrata; — 3. quia præcipuum fuit victoriæ Christi et salutis nostræ instrumentum.

155. Assertio 2ª : *Veræ crucis imagines licite coli possunt.*

Probatur usu universali Ecclesiæ, consensu omnium christianorum, etiam Iconoclastarum, si pauci excipiantur, et momentis omnibus, quibus infra stabilietur cultus sanctarum imaginum. — Nec dicatur inde sequi omnes clavos esse honorandos, quia verorum clavorum quibus Christus cruci affixus est, imaginem exhibent. Ratio disparitatis est quod cruces non efficiuntur nisi ad revocandam memoriam veræ crucis, non

autem clavi qui ad multos usus adhibentur : unde per se menti nil pium dicunt.

156. Assertio 3ª : *Pium est et laudabile signum crucis manu expressum.*

PROB. Ille usus est pius et laudabilis, qui ab initio in Ecclesia exstitit, qui gravia ob motiva religionis adhibetur, quem Deus multis miraculis commendavit : atqui tale est signum crucis.

1. *Ab initio in Ecclesia exstitit.* Tertullian. (lib. *de Corona militis*, cap. 3), hæc habet; « Ad omnem progressum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » — S. Cyrillus Hieros. (*Catech.* 4, n. 14) : « Fac hoc signum (crucis), dum manducas et bibis, sedes, recubas, exsurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio. »

2. *Gravia ob motiva religionis adhibetur*, scilicet, ut Christi passionem in memoriam revocemus; — ut testemur nos fiduciam omnem in una Christi morte collocare; — ut significemus nos Christum ejusque ignominiam non erubescere.

3. *Illud Deus multis miraculis commendavit*; sic, ex Origene, hoc signo in fugam convertuntur dæmones; sic, ex Gregorio Naz., Julianus apostata visione diabolica subito territus, dæmones signo crucis involuntarie elicito fugavit; sic, ex S. Athanasio, fideles signo crucis plura miracula efficiebant; ergo pium ac laudabile est signum crucis manu expressum.

157. Scholium. *De natura cultus cruci exhibiti.* — Dicendum videtur cultum cruci exhibitum esse cultum *latriæ relativum.*

Est quidem cultus *latriæ*, quia ad Christum crucifixum refertur, idque sive agatur de vera cruce, sive de veræ crucis imaginibus, hoc tamen discrimine, quod vera crux realem cum Christo relationem habet, ac proinde sub quavis forma adorari potest, dum crucis imagines non habent cum Christo nisi relationem mere conventionalem, ex quo fit ut adorari nequeant nisi in propria forma crucis. Hinc merito canit Ecclesia : *O crux, ave, — O crux adoranda, — Tuam crucem adoramus.*

Ille vero vero cultus non est absolutus, sed relativus tantum

quia crux nullam habet excellentiam propriam et intrinsecam, propter quam cultus alicujus specialis objectum vel terminus esse possit. — Nec dicatur veram crucem ex contactu Christi specialem quamdam sanctitatem induxisse; respondebitur enim illam sanctitatem non esse propriam et illi realiter inexistentem, sed relativam, ita ut tota a Christo proveniat et ad eum referatur.

APPENDIX II.

DE BEATISSIMA DEI GENITRICE MARIA.

158. Plura de Beatissima Virgine jam diximus, imprimisque divinam ejus maternitatem, data opera, explanare conati sumus. Quæ autem subjungenda ducimus, ad B. Virginem Mariam spectant vel prout in terris viatrix fuit, vel prout in cœlo jam regnat. Inde duplex caput..

CAPUT I.

DE MARIA IN TERRIS VIATRICE.

159. Tria præsertim de Maria viatrice expendenda veniunt, nempe : — 1. Utrum et quatenus in primo conceptionis instanti sanctificata fuerit; — 2. An et quasnam partes in Redemptionis mysterio habuerit; — 3. An et quid propriis actibus meruerit.

ARTICULUS I.

De prima sanctificatione Mariæ.

Agendum est — 1. de immunitate Mariæ a peccati origina-

lis labe — 2. de plenitudine gratiæ eidem Beatissimæ Virgini impertitæ.

§ I. De immunitate Mariæ a peccati originalis labe.

160. Quidquid sit de controversia, quæ olim circa immaculatum Virginis Mariæ conceptum viguit, norunt omnes nullum ea de re dubium moveri, ex quo præsertim Pius IX (8 dec. 1854), hanc singularem Dei Genitricis prærogativam inter dogmata catholica accensuit. Sit ergo sequens

Assertio : *B. Virgo Maria ab omni peccati originalis labe immunis fuit.*

Est de fide, declarante, pronuntiante et definiente Pio IX (Bulla *Ineffabilis*) « doctrinam, quæ tenet *beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem*, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. » Hæc autem doctrina

I. *Haud obscure innuitur Scriptura Sacra*, his scilicet textibus, in quibus B. Virgo dicitur *antiqui serpentis caput contritura, benedicta inter mulieres, gratia plena, cum Domino, et ad honores insignes maternitatis divinæ evecta.* — Nec opponantur illa Scripturæ testimonia, quæ testantur legem a Deo positam esse, vi cujus omnes qui ex Adamo naturaliter generantur, rei sunt peccati originalis, quia propositiones universales aliquam exceptionem facile patiuntur; sic generatim dicitur sol *nunquam stare*, quamvis Josue voci steterit; flumina retrorsum *nunquam* converti, quamvis Jordani id evenerit; ergo, non obstante lege generali modo exposita, dici potest B. Virginem a macula peccati originalis fuisse immunem; ergo Scriptura indicatur B. Mariam absque labe peccati originalis fuisse conceptam.

II. *Aperte declaratur Traditione;* SS. Patres nunquam intermiserunt appellare Deiparam vel *lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam*, et *ab omni peccati contagione liberam* vel

irreprehensibilem, amœnissimumque innocentiæ, immortalitatis, ac deliciarum paradisum, ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum quod *peccati vermis nunquam corruperit*, vel *gratiæ et non iræ germen*. — Declararunt nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quæstionem de sancta Virgine Maria; professi sunt illam fuisse parentum reparatricem, a Deo præparatam ut serpentis caput contereret, ac proinde illam fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis et animæ et intellectus, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, maculas Adæ non admisisse, et idcirco dignum extitisse Christo habitaculum, non propter habitum corporis, sed præcipue propter justitiam originalem. — Hinc Deiparam appellarunt ex omi parte *immaculatam, innocentissimam, ab omni peccati sorde alienissimam, omni exercitu Angelorum natura pulchriorem, formosiorem et sanctiorem*. Porro hæc, et alia multa quæ citari possent, Immaculatam Mariæ Conceptionem prorsus adstruunt (Pius IX, Bulla *Ineffabilis*).

Consonant theologi necnon celebriores theologicæ Academiæ ac præstantissimi rerum divinarum scientia doctores, uti videre est in citata Bulla. Quibus accedit omnium Ecclesiæ ordinum concors testimonium; ab antiquis namque temporibus sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares ordines, ac vel ipsi imperatores et reges ab Apostolica Sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata SS. Dei Genitricis Conceptio veluti catholicæ fidei dogma definiretur. Quæ postulationes sub Gregorio XVI et Pio IX iteratæ fuerunt, et cum Pius IX, die 2 februarii anno 1849, hac de re ad omnes totius catholici orbis sacrorum Antistites litteras encyclicas misisset, rescribentes non solum singularem suam et proprii cujusque cleri, populique fidelis erga Immaculatum Mariæ Conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, sed communi veluti voto hujus veritatis definitionem expostularunt (Pius IX, *ibid.*).

Ecclesia demum huic doctrinæ semper suffragata est, uti constat — tum *ex declarationibus SS. Pontificum*, qui ut falsam proscripserunt opinionem affirmantem coli non posse Conceptionem ipsam Mariæ, sed ejus sanctificationem; qui

asseruerunt celebrari Conceptionem pro primo instanti atque momento; qui iteratis vicibus edixerunt hanc doctrinam esse *cum ecclesiastico cultu plane consonam, veterem* atque prope *universalem;* qui demum opinionem huic doctrinæ adversam, sive publice, sive privatim defendi posse, severissime prohibuerunt, eamque multiplici vulnere confectam esse voluerunt (Pius IX, *ibid.*); — tum *ex liturgia.* Ecclesia enim nullam unquam instituit festivitatem, nisi habeatur certitudo de veritate illius objecti; ita expresse Benedictus XIV (*de canoniz. Sanctorum*, lib. 1, cap. 42) : porro festum Conceptionis Beatæ Virginis pro objecto ipsam Virginis Immaculatam Conceptionem habebat, ut patet sive ex officio missaque illius festivitatis; sive facultate tributa civitatibus, vel provinciis, ut Deiparam *sub titulo Immaculatæ conceptionis* patronam sibi deligerent; sive comprobatione sodalitatum ad *Immaculatæ Conceptionis* honorem institutarum; sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria vel templa sub *Immaculati Conceptus* titulo erexerunt, aut sacramenti religione interposita *Immaculatam Deiparæ Conceptionem* strenue propugnare sponderunt; sive facultate tributa ut in Lauretanis litaniis, et in ipsa missæ præfatione, *Immaculatus* ejusdem Virginis proclamaretur Conceptus.

III. *Pluribus argumentis theologicis confirmatur.* Nemini dubium est quin Deus potuerit Immaculatæ Conceptionis privilegium B. Mariæ concedere; inquirendum igitur est an voluerit : porro Deum ita voluisse ostendunt analogia fidei, maternitas divina, et dilectio Christi erga matrem suam, quæ seorsim expendenda sunt.

1. *Analogia fidei.* Namque, juxta communem theologorum doctrinam, non solum ab omni actuali peccato, sed etiam ab omni concupiscentiæ motu indeliberato B. Maria fuit immunis; ergo a fortiori contaminari non debuit peccato originali, quod animam reddit Deo odibilem et inimicam. Insuper Maria a Deo electa est ut fieret in sensu secundario et improprio generis humani redemptrix, mediatrix, fons gratiarum, cœli janua et mater viventium, ut dicetur infra : porro hæc supponunt privilegium Immaculatæ Conceptionis; ergo.

2. *Maternitas divina.* Christianæ enim aures refugiunt audire ipsam Dei matrem fuisse Deo exosam, ipsumque Dei Filium corpus suum assumpsisse ex substantia quæ prius fuerat peccato inquinata.

3. *Dilectio Christi erga Mariam.* Id B. Mariæ fuit particulare, quod genuerit filium sibi ab æterno præexistentem, qui ipsam ab æterno agnovit et elegit ut matrem ; ac proinde eam diligere, eamque præparare debuit, ut dignum sibi habitaculum effici mereretur : porro tanta Filii Dei dilectio erga matrem cogitare non sinit, quod ipsam a peccato originali præservare noluerit ; ergo.

§ II. De plenitudine gratiæ Dei genitrici Mariæ in primo conceptionis instanti impertitæ.

161. Ex jam dictis facili negotio colligitur gratiam sanctificantem una cum virtutibus sive theologicis, sive moralibus, necnon Spiritus Sancti donis, Beatissimæ Virgini Mariæ in ipsa conceptione collatam fuisse ; namque de fide est B. Mariam ab omni labe peccati originalis fuisse immunem ; ergo a primo instanti gratiæ sanctificantis infusionem accepit.

Expendunt vero theologi quanam mensura Beatissima Virgo in prima sua sanctificatione gratiam acceperit : quæ quidem quæstio ita solvi potest :

162. Assertio : *B. Mariæ Virginis sanctitas tanta fuit etiam a primo conceptionis instanti, ut omnium, præter Christum, sanctitatem superaret.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, ac imprimis ex verbis, quibus Archangelus Gabriel (*Luc.*, I, 28) Mariam salutavit dicens : « Ave, gratia plena, » quæ quidem juxta SS. Patrum mentem explanans (Constit. *Ineffabilis*) Pius IX asserit « hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustum, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuæ benedictionis particeps, ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit : « Benedicta tu inter mulieres,

» et benedictus fructus ventris tui. » Quibus haud obscure innuitur — 1. plenitudinem gratiæ, de qua agitur, cum prima santificatione Mariæ intime connecti, et ideo non tantum ad Annuntiationis, sed etiam ad Conceptionis tempus referendam esse; — 2. eamdem tantam fuisse ut quamlibet alterius creaturæ sanctitatem superet. Ergo.

Confirmant alia Scripturæ loca, quibus uti solent auctores ad demonstrandum B. Virginem Mariam ab originali labe immunem præservatam fuisse.

PROB. 2. *Traditione.* SS. Patres præclaris encomiis primam B. Mariæ sanctificationem extollunt; præ cæteris vero eminet S. Petrus Damianus, qui (serm. *de Nativ. Virg.*) dicit: « Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum! Attende Seraphim, et *videbis quidquid majus est minus Virgine*, solumque opificem opus istud supergredi. » — S. Ephrem (serm. *de Laud. Virg.*) sic se habet : « Nulla comparatione omnibus superis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium sanctorum corona, ob fulgorem inacessa. » — S. Vincentius Ferrer. (serm. 1, *de Nativ.*) idem sentit dicens fuisse sanctificatam Virginem in utero matris *supra omnes Sanctos* et *supra omnes Angelos*, accommodans illud *Psal.* XLI : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. »

His suffragatur S. Bonaventura, qui (opusc. *de Laudibus Virg.*, c. 7) ex sententiis Patrum docet Dei gloriam magis in sola Virgine quam in cæteris Dei operibus pure creatis relucere, atque adeo perfectiones omnes, in cæteris rebus divisas atque distributas, in Virgine beata excellentiori modo esse congregatas. Et accommodat verba illa : « Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat, quia omnia flumina gratiarum intrant in Mariam, et dignitatem ejus non excedunt. Unde, sicut in mari, inquit, aquarum, ita in Maria sunt *congregationes gratiarum*. Quod Hieronymi verbis confirmat dicentis : « Cæteris per partes præstatur; Mariæ vero simul se tota infudit gratiæ plenitudo. » Affert etiam id (*Eccli.*, XXIV) : « In plenitudine sanctorum detentio mea, » et cum Bernardo sic explicat : « Ideo in plenitudine sanctorum Mariæ de-

tentio fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omnium sanctorum illi non defuit. »

Consonat demum Pius IX in Constitutione jam citata, quando de B. Mariæ Virginis præordinatione ita disserit : « Quapropter illam *longe ante omnes angelicos Spiritus cunctosque Sanctos* cœlestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa... tota pulchra et perfecta eam innocentiæ et sanctitatis plenitudinem præ se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam præter Deum nemo assequi cogitando potest. »

Prob. 3. *Ratione theologica*, et imprimis ex eo quod Beatissima Virgo conjunctissima fuit Verbo; quod quidem argumentum a S. Thoma de prima Mariæ sanctificatione (3, q. 27, a. 5) disserente sic proponitur : « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii... Christus autem est principium gratiæ, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter : unde (*Joan.*, 1) dicitur : « Gratia et veritas per Jesum Christum. » Beata autem Virgo Maria propinquissima fuit Christo secundum humanitatem : quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo præ cæteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere. — Hæc autem ratio etiam respectu Angelorum valet; nam licet illi Deo conjunctiores sint ratione beatitudinis, Mariæ tamen secundum dignitatem matris conjunctio alterius et perfectioris ordinis est, majoremque conjunctionem in ordine gratiæ importat. — Etvero B. Virgo Maria in instanti suæ sanctificationis plus amabatur a Verbo quam ullus Angelus vel homo; Mariam quippe ex illo instanti Verbum diligebat ut futuram sui matrem : sed gratia respondet amori, et cum tanta dignitate optime quadrat tota hæc perfectio gratiæ. Ergo.

Ex his inferunt theologi non tantum B. Virgini in prima sanctificatione intensiorem gratiam datam fuisse, quam ulli hominum vel Angelorum in eodem sanctificationis instanti, sed etiam hanc Virginis gratiam intensiorem fuisse suprema gratia, in qua consummantur Angeli et homines; imo B. Ma-

riæ Virginis sanctitatem a primo conceptionis instanti majorem jam fuisse sanctitate omnium justorum et beatorum simul sumptorum. — De duobus prioribus nemo dubitat, ob rationes supra adductas; tertium vero, etsi non ita constet, probabilitate non caret.

163. Quæritur 1. *An et quatenus Beata Virgo Maria in gratia confirmata fuerit?*

Resp. 1. De fide est Beatam Virginem Mariam nullum commisisse peccatum actuale, nec mortale, nec veniale; definit enim Concilium Tridentinum (sess. 6, can. 23) : « Si quis hominem semel justificatum dixerit..... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia :* anathema sit. » Patet insuper ex argumentis, quibus demonstrata fuit immaculata Virginis conceptio, eamque specialem rationem affert (3, q. 27, a. 4) S. Thomas : « Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei, secundum illud (II *Cor.*, III) : « Idoneos nos » fecit ministros Novi Testamenti. » Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei : et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundum quod Angelus ad eam dicit : « Invenisti gra- » tiam apud Deum : ecce concipies, etc. » Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando : tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud (*Prov.*, XVII) : « Gloria filiorum, patres eorum; » unde et per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset; — tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit; dicitur autem (II *Cor.*, VI) : « Quæ conventio *Christi ad Belial?* » — tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero; dicitur autem (*Sap.*, I) : « *In malevolam ani-* » *mam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito* » *peccatis.* » Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale; ut sic in ea impleatur quod dicitur (*Cant.*, IV) : « *Tota pulchra* » *es, amica mea, et macula non est in te.* » — Cum immuni-

tate a peccato actuali et confirmatione in gratia conjunctam fuisse perseverantiam finalem evidens est.

Resp. 2. Dubitant theologi an ab exordio suæ sanctificationis B. Virgo Maria facta fuerit impeccabilis. Quidam enim simpliciter affirmant. Alii vero, etsi fateantur in prima sanctificatione datum esse Virgini ut nunquam peccaret, volunt tamen ipsi nonnisi in Filii conceptione additum esse, ut nec etiam peccare posset; ita sentit S. Thomas (3, q. 27, a. 4, ad 1). Ratio est quia B. Virgo, ante conceptionem Christi, licet in matrem Dei præordinata esset, nondum tamen in se receperat dignitatem aliquam, cui hæc confirmatio in bono deberetur; at post conceptionem Filii habuit in se singularem matris dignitatem, cui veluti ex natura rei debita erat hæc gratia confirmationis in bono.

Resp. 3. Quidquid sit de initio prædictæ confirmationis, certum est Beatam Virginem nunquam in hac vita fuisse impeccabilem *ab intrinseco* ad modum Beatorum, quia fuit tantum viatrix. Sed in hoc consistebat speciale privilegium illi concessum quod talia gratiæ dona et auxilia haberet, ut nunquam peccaret. Hoc igitur donum non reponendum est in solis habitibus infusis, vel in aliqua inhærente qualitate, siquidem, seclusa visione beata, et Dei amore necessario, qui illam consequitur, nulla qualitas inhærens per se solam potest efficere, ut infallibiliter homo non peccet, nisi adjungatur singularis Dei providentia et protectio per actualia et specialia auxilia. Quod tamen non impedit quin B. Virgo in prima sanctificatione acceperit perfectionem gratiæ habitualis et virtutum omnium, huic insigni effectui confirmationis in bono proportionatam (Suarez, in 3. D. Thomæ, disp. 4, sect. 4).

164. Quæritur 2. *Utrum B. Virgo Maria peccati fomitem habuerit?*

Resp. 1. Fatentur omnes fomitem peccati non fuisse in Maria *in actu secundo*, seu B. Virginem nullum expertam fuisse motum concupiscentiæ; tum quia motus concupiscentiæ est aliquid valde indecens, ac parum congruum dignitati matris Dei; tum quia non fuit in Maria peccatum originale, nec esse debuit consectarium illius magis onerosum, scilicet motus

concupiscentiæ. — Nec dicatur motus concupiscentiæ non obstare sanctitati, imo ad ejus augmentum inservire. Etenim motus concupiscentiæ non obstant quidem sanctitati ratione imputabilitatis, bene vero ratione indecentiæ. Insuper, ut ait S. Thomas (3, q. 27, a. 3, ad 2), motus concupiscentiæ sunt occasio sine qua non. Sufficit autem in B. Virgine ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiæ, nec oportet in ea ponere omnem occasionem perfectionis.

Resp. 2. Motus concupiscentiæ in Maria abesse potuit duplici causa, vel quia fomes fuit exstinctus, vel solum ligatus; dicitur fomes extinctus vel sublatus, quando ex abundantia gratiæ talis est dispositio virium animæ, quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis, ut factum est in Christo. Est autem ligatus tantum fomes, quando subsistit quidem in se, sed ejus effectus impeditur per abundantiam gratiæ, aut perfectius per divinam providentiam, sensualitatem ab omni inordinato motu prohibentem (S. Thomas, 3, q. 27, a. 3). Jam vero Angelicus Doctor asserit a principio ligatum fuisse fomitem in B. Maria, sed penitus exstinctum non fuisse, nisi tempore conceptionis Christi. Huic sententiæ plures favent SS. Patrum textus. At Suarez (disp. 4, sect. 5) et multi cum illo docent ab initio fomitem in Maria exstinctum penitus fuisse; nam in Adamo et Eva ante peccatum nullus fuit peccati fomes; ergo idem privilegium, ex principio posito, Mariæ concedendum est; præsertim cum ista exemptio valde congrua videatur dignitati matris Dei (Vide *Summam Marian.*, Migne, t. 7, col. 996, n. 612).

165. Quæritur 3. *An et quænam gratiæ gratis datæ Dei Genitrici Mariæ impertitæ fuerint?*

Resp. Multæ sunt gratiæ gratis datæ; de præcipuis pauca dicenda sunt.

1. *De dono prophetiæ.* Certum videtur, et communiter admittitur, B. Mariæ concessum fuisse donum prophetiæ. Illud colligitur ex his verbis Mariæ (*Luc.*, 1, 48) : « Ecce ex hoc » beatam me dicent omnes generationes. » Et revera omnes generationes Mariæ benedixerunt, et eam beatam proclamarunt.

2. *De dono linguarum.* Valde probabile est Mariam donum linguarum ab initio possedisse ; nam sine illo dono cum Magis difficilius de regno Dei locuta fuisset, et in Ægypto nonnisi cum maximis incommodis commorata fuisset. At res videtur omnino certa post Pentecosten; tum quia cum Apostolis in cœnaculo erat, quando in ipsis descendit visibiliter Spiritus Sanctus et facultatem loquendi variis linguis concessit, nec verisimile est prætermissam fuisse in hac copiosissima donorum effusione Reginam Apostolorum, simul sacrarium Spiritus Sancti et genitricem filii Dei; tum quia innumeri fideles hoc dono utebantur, ut constat ex Actibus Apostolorum ; tum quia verisimile est, et ex Patribus ac historiis illud colligitur, fideles ex variis nationibus ad Mariam confluxisse, et pietatis causa, et ut ab ipsa magis instruerentur, ac in fide confirmarentur.

3. *De dono miraculorum.* Juxta D. Thomam (q. 27, a. 5, ad 3), miraculorum usus non competebat Mariæ, dum viveret, quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis; et ideo soli Christo et ejus discipulis, qui erant bajuli doctrinæ Christi, conveniebat miracula facere. At juxta Suarez (q. 37, disp. 20, sect. 3), post Ascensionem Domini verisimile est B. Virginem multa miracula perpetrasse, quia ad magnum Ecclesiæ bonum et profectum pertinebat quod agnosceretur et coleretur ut Dei mater: et sic eluditur ratio a D. Thoma allata. Ante autem Ascensionem probabile judicat Suarez, ob supradictam rationem, nullum miraculum, saltem publice, fuisse a Maria patratum; at nihil impedit quin dono miraculorum usa fuerit privatim in quibusdam specialibus circumstantiis.

4. *De potentia in creaturas.* Non desunt auctores qui docent B. Mariæ concessam fuisse potentiam in creaturas, ita ut ejus voluntati obedirent. Et revera concessum fuit illud donum Adamo innocenti et S. Francisco Assisinati. Ergo a fortiori concedi debuit Virgini Deiparæ tum propter ejus innocentiam originalem, tum propter ejus dignitatem. Vide Mazzola (*de B. Virg.*, p. 2, disp. 2).

166. Scholium 1. *De perfectione intellectus Mariæ.*

I. Fatentur omnes Mariam habuisse usum rationis ante nativitatem suam. Etenim Mariæ tribuendum est omne privilegium alicui homini concessum : porro S. Joannes Baptista usus est ratione ante suam nativitatem, uti indicant sequentia verba (*Luc.*, I, 41) : « Exultavit infans in utero ejus; » ergo et Maria. — Suarez, S. Bernardin., S. Lig. et plures alii, tenent contra S. Thom. (2, q. 27, a. 5) B. Mariæ concessum fuisse actualem usum rationis, ac proinde liberi arbitrii, in primo instanti conceptionis suæ et deinceps per totam vitam absque ulla intermissione intra somnum (Vide Suar., disp. 4, sect. 7).

II. Ex confesso omnium, Adamo fuit mira cognitio omnium rerum naturalium ; ergo et Mariæ tribuenda est. Unde Contenson (*Marialogia*, spec. 1, sciendum 5) : « Fuit in Maria ingenium sagax, subtile, perspicax; judicium acre, solidum et maturum ; memoria expedita, et tenax; contemplatio continua sine fatigatione, prudentissima absque inconsideratione. » — Imo admittunt auctores non fuisse in B. Virgine ignorantiam, quam vocant *pravæ dispositionis*, seu *errorem*. Hæc conclusio apud me certa est, inquit Suar., (in 3, S. Th., disp. 19, sect. 6), et contraria pias aures offendere videtur; nam ista non fuisset in statu innocentiæ, et est pœna peccati. Nec opponantur illa verba (*Luc.*, II, 44) : « Existimantes illum » esse in comitatu... ; » etenim hæc non supponunt errorem proprie dictum in Maria; nam Maria ratiocinando juxta scientiam naturalem existimare debuit Jesum esse in comitatu ; ad hoc enim impellebant indicia quæ habebat. — Admittunt æque auctores nullam fuisse in Maria ignorantiam proprie dictam, seu illarum rerum quas scire tenebatur; unde illum textum : « Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me » esse? » intelligunt de divinis decretis quæ scire nullatenus tenebatur B. Virgo. — Fuit in Maria ignorantia negativa, scilicet rerum earum quas scire non obligabatur, v. g., ignorantia diei judicii.

III. Quod attinet ad scientiam supernaturalem, — 1. B. Virgo non habuit visionem Dei intuitivam modo permanente, uti declaratur his verbis : « *Beata quæ credidisti* ; » evanescit etenim

fides ubi datur clara Dei visio; sed omnino probabile est, et a doctoribus communiter admissum, B. Virginem hac visione Dei intuitiva aliquoties in vita donatam fuisse. — 2. At B. Virgo ab instanti conceptionis suæ habuit supernaturalem scientiam per se infusam divinorum mysteriorum; ita B. Bernardinus (*de B. Virgine*, t. 2, Serm. 31, a. 1, c. 2). Porro hæc scientia B. Virginis excellentior et sublimior fuit scientia Apostolorum et aliorum hominum, ita ut nihil unquam ab eis didicerit. Sic S. Anselmus (*de excellentia Virg.*, cap. 7), vel Eadmerus (in operibus S. Anselm.). Exinde SS. Patres vocant Mariam *Apostolorum magistram*, *Evangelistarum illuminatricem*, *nostræ religionis doctorem*. Quod si quis objiciat Mariam a Simeone edoctam fuisse his verbis : « *Ecce positus est hic...*, » cum subjungatur : « Et erat pater ejus et mater mirantes..., » et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo; » quibus verbis indicatur B. Virginem multa didicisse ex iis quæ alii de Christo loquebantur, respondebitur Simeonem non propter Virginem, sed propter alios et propter Ecclesiam illa prophetica verba protulisse. Et si additur : *mater ejus...*, illud fit solum quod audiendo hujusmodi verba, Maria occasionem sumeret magis ac magis divina mysteria contemplandi. — 3. Demum profecit Maria in cognitione Dei et rerum divinarum a prima ipsius sanctificatione, et hoc multiplici modo, scilicet : per Spiritum S., illius primum et principalem doctorem; per Angelos, quorum visione sæpe recreabatur; per Christum ejus filium, post peractum Incarnationis mysterium; nec desunt auctores qui asserunt Mariæ, per speciale beneficium, interiora Christi patefacta esse, saltem sæpissime. Crevit etiam B. Virgo in cognitione et sapientia ex assidua lectione et meditatione sanctarum Scripturarum, ac divinorum mysteriorum contemplatione, præsertim cum B. Virgo perfectissimo ingenio ac intellectu polleret, et animum haberet pacatissimum, et fusis orationibus intelligentiam a Deo deprecaretur. Demum B. Virgo in cognitione profecit multorum effectuum experimento, ita ut quæ prius scientia supernaturali didicerat, jam experientia cognosceret, v. g., partum sine dolore.

167. Scholium 2. *De perfectione corporis Mariæ.* Omnes docent Patres, qui de B. Virgine scribunt, inquit Suarez (in 3 D. Thomæ, q. 27, disp. 2, sect. 2), corpus Beatæ Dei Genitricis Mariæ fuisse in sua specie suoque sexu perfectum; nec illud potest sine temeritate negari, cum nulla auctoritas vel ratio obstet, et per se decens ac mysterio Incarnationis maxime consentaneum sit, quia ex Mariæ corpore Christi corpus efformandum erat.

Ex illa perfectione corporis Mariæ auctores concludunt. — 1. B. Mariam in verum et proprium morbum nunquam incidisse, nempe propter optimam corporis complexionem cum magna animi moderatione conjunctam; — 2. corpus B. Virginis fuisse honestissima pulchritudine donatum. Ita Contenson.

Mariæ pulchritudo fuit incomparabilis, ita ut amore sui omnes castissime succenderet, omnium mentes impleret sui admiratione, omnes conversantes morum comitate demulceret, penderentque omnes audientes in mellifluis gratiæ verbis quæ procedebant ex ore ejus. Pulchritudo igitur Rachel et similium mulierum veteris Testamenti Mariæ pulchritudinem figurabat. — At post S. Thomam notant auctores eam fuisse Mariæ pulchritudinem, ut ad pudicitiam et castitatem omnium eam intuentium corda incitaret, juxta S. Ambrosii doctrinam aientis : « Tanta erat ejus gratia, ut non solum in se virginitatem servaret, sed etiam si quis inviserit, integritatis insigne conferret » (Vide Suarez.).

ARTICULUS II.

De cooperatione Mariæ in Redemptionis mysterio.

168. Quæstio est primum an Maria dicenda sit generis humani redemptrix saltem in sensu improprio vel secundario : quod quidem pendet a divinis decretis circa procurandam hominum salutem ; potuit namque Deus pro sua liberrima voluntate aliquas vel nullas partes Mariæ tribuere in humani generis redemptione. — Quod autem B. Mariam elegerit ut cooperatricem Filii sui in hominum salute, assertione sequenti statuitur :

169. Assertio : *Beata Maria Virgo vere electa est ad munus cooperandi redemptioni generis humani.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Legitur enim (*Gen.*, III, 15) : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et » semen illius ; ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis » calcaneo ejus. » Unde sic : illa merito dicitur coadjutrix redemptionis hominum, quæ exhibetur tanquam deletura diaboli regnum, ac proinde peccatum : atqui talis est Maria ; etenim res per se patet, si Maria sit ipsa contritura caput diaboli, ut fert textus Vulgatæ, et uti intellexerunt SS. Aug., Chrys., Ambros., Greg. M., Bernard. et alii quam plurimi : « Ipsa » conteret caput tuum. » Si vero non legendum sit *ipsa*, sed *ipsum*, id est, *semen mulieris*, res non est valde dissimilis ; nam, quamvis victoria sit adipiscenda per semen mulieris, certum est bellum esse ineundum inter mulierem et serpentem : « Inimicitas ponam inter te et mulierem, » ac proinde mulierem pugnaturam fore cum serpente, et ideo illi partes aliquas esse tribuendas, tum in pugna, tum in victoria ; ergo.

Prob. 2. *Traditione*, videlicet : — 1. *Ex doctrina SS. Patrum*, inter quos alii Mariam *his nominibus* decorant quibus clare exprimitur *munus cooperatricis in redemptione humani generis* ; etenim vocatur : « Post mediatorem *mediatrix* totius mundi, *mundi reconciliatio* » (S. Ephrem, *Precationes ad Deiparam*, prec. 4, n. 1). — « *Commune propitiatorium* » (S. Andr. Cretens., orat. 2, *de dormit Virg.*, prope finem). — Opprobriorum Evæ liberatio, a morte translatio » (S. Germ., C. P., orat. 2, *de dormit. B. M.*).

Alii affirmant Mariam fuisse *causam salutis hominum*, *per eam sperari veniam peccatorum*. S. Irenæus : « Maria Virgo obediens et sibi et universo generi humano facta est *causa salutis* » (*Adv. hæres.*, lib. 3, c. 33, alias 22, n. 4). — S. Aug. : « Tu es *spes unica peccatorum*, *per te* speramus veniam delictorum, et *in te*, Beatissima, nostrorum est exspectatio præmiorum » (serm. 18, *de Sanctis*, n. 5). — S. Bernardus : « Merito in te aspiciunt oculi totius creaturæ, quia *in te* et *per te* benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit » (serm. 2, *in Pent.*, n. 4).

Alii demum Mariam Evæ opponunt, asserentes *Mariam tam saluti hominum cooperasse* quam Evam eorum perditioni. — « Sicut Eva inobediens facta est sibi et universo generi humano causa mortis, sic et Maria... Virgo obediens et sibi *et universo generi humano causa facta est salutis* » (S. Irenæus, lib. 3, cap. 33, vel c. 22, n. 4, *cont. Hæres.*, et lib. 5, c. 19, n. 1). — « In virginem adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis, in virginem æque introducendum erat Verbum extructorium vitæ; ut quod per ejusmodi sexum abierat, *per eumdem sexum redigeretur in salutem* « (Tertul., lib *de carne Christi*, c. 19).

2. *Ex declarationibus conciliorum.* In concilio generali Ephesino, hæc S. Cyrillus (hom. 2, *in fine Actionis primæ*), plaudentibus episcopis, pronuntiavit : « Salve a nobis, Deipara Maria,... per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabolus cœlo decidit, par quam prolapsa creatura in cœlum assumitur, per quam universa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis agnitionem pervenit,... per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam. » Porro illa mulier quæ dæmones fugat, quæ hominem post lapsum in cœlos introducit, quæ gentes ad veritatem atque ad pœnitentiam perducit, merito dici potest cooperatrix Christi in redemptione generis humani; ergo.

3. *Ex fide perpetua Ecclesiæ*, quæ quidem manifestatur tum ex verbis in liturgia contentis, tum ex ipsius agendi ratione.

In officio B. Virginis per annum dicitur : « Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine. » — In præfatione B. Virginis in liturgia gallicana et gothica legitur : « Ista (Maria) mundo vitam protulit, illa (Eva) legem mortis invexit... Illius perfidia serpenti consentit, conjugem decepit, prolem damnavit; hujus obedientia Patrem conciliavit, Filium meruit, posteritatem absolvit. » Vide Summam Marianam (t. 3, col. 1715).

Si vero Ecclesiæ agendi rationem expendamus, reperiemus Mariam ubique, proportione servata, colendam proponi populo christiano, cum Filio suo . Sic paria nomina Jesu et Mariæ tribuuntur : si Jesus dicitur Salvator noster et Deus miseri-

cordiæ, vita nostra et gaudium, de Maria decantatur : « Salve, Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, salve. » Sic similes instituuntur festivitates pro Maria ac pro Jesu; sic tot Mariæ quot Jesu, diverso tamen titulo, consecrantur templa et altaria; sic nulla fere fit Deo invocatio aut postulatio, quin, invocato nomine Jesu, statim et pronuntietur Mariæ nomen; sic Maria dicitur janua cœli et illi referuntur in sacra liturgia hæc Scripturæ verba (*Prov.*, VIII, 35) : « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Do- » mino ; » porro hæc omnia et similia, quæ facillime concipiuntur, dato quod Maria cooperata fuerit redemptioni generis humani, vix intelligi possunt, si Mariæ nullæ sunt partes in hominum redemptione; ergo.

PROB. 3. *Variis congruentiis;* hæc nimirum B. Virginis Mariæ in munus cooperandi hominum redemptioni electio — 1. *Dei potentiam ostendit.* Dei namque potentia ostenditur quando ex infirmis et egenis elementis magna efficiuntur ; quando id quod ab hoste diabolo in ruinam positum fuerat, in salutis instrumentum convertitur; exinde enim canit Ecclesia Dei potentiam exaltans : « Ut unde mors oriebatur inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur. » Porro, agnita Maria ut redemptrice, mors quæ a muliere ortum ducebat, a muliere quoque destruitur, et vita hic exsurgit unde mors veniebat; ergo.

2. *B. Virginem Mariam digne illustrat.* Juxta principium a SS. Doctoribus admissum, concedendum est Mariæ quidquid gratiæ, virtutis ac potentiæ, intacta fide, concedi potest. Jam vero ex doctrina in thesi exposita B. Virgo summopere exaltatur, ut patet; ergo.

3. *Humanum genus extollit;* nam, admissa hac Mariæ prædestinatione, honoratur sexus masculinus, cum Verbum caro factum sit et habitaverit in nobis; honoratur etiam fœmineus sexus, tum quia ex Maria natus est Jesus, tum quia Maria cum Jesu salutem generis humani operata est (S. Aug., *de fide et Symbolo*, cap. 1).

4. *Diaboli superbiam retundit;* etenim ex ea doctrina, mulier, quam primum impugnaverat diabolus, et cujus ope

Adamum vicerat, ipsa in clade illius suas habuit partes ejusque caput verissime contrivit; ergo.

Has omnes convenientiæ rationes exponunt S. Augustinus (*de Agone christiano*, lib. 1, c. 22, n. 24) et S. Bernardus (Serm. 1 *de Deipara*, *in signum mag.*, n. 1 et 2, et hom. 2, *super missus est*, n. 3).

170. Quæritur 1. *Quomodo B. Dei Genitrix Maria ad humani generis redemptionem cooperata fuerit?*

Resp. Ex dictis in Tractatus decursu tum de generatione temporali Christi, tum de divina maternitate Mariæ, jam constat Beatissimam Virginem *proxime* ac *physice* concurrisse ad redemptionem humani generis, quatenus Redemptori contulit carnem et sanguinem quæ in pretium offerret, illumque tanta sollicitudine alendo ad sacrificium aptavit ac veluti præparavit.

Sed insuper non desunt qui docent eamdem Dei Genitricem Mariam mysterio redemptionis *moraliter* cooperatam fuisse, consentiendo Incarnationi Verbi divini in virgineo ipsius utero, quatenus nempe ex divina dispositione consensus ille Incarnationi Verbi prærequisitus fuit; idque asserunt traditione comprobari, Scriptura insinuari, ratione suaderi.

1. *Auctoritate traditionis comprobatur.* — Namque SS. Patres efficaciam consensus Mariæ comparant efficaciæ consensus Evæ peccantis; Mariam precantur, ut redemptionem nostram non protelet, consensum suum differendo; efficaciam consensus Mariæ circa Incarnationem extollunt supra efficaciam creationis mundi; audiantur præcipui : S. Petrus Chrysologus (serm. 142, *de Annunt.*) ait : « Audistis hodie Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem... *agit cum Maria* Angelus, quia cum Eva Angelus egerat de ruina. » — S. Aug. (serm. 17, vel 120, n. 7, *de Nativ. dom.*) : « Responde jam, virgo sacra. *Assensum tuum Angelus præstolatur*... O Maria, sæculum omne captivum tuum deprecatur assensum... Est nobis in cœlum aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. » — S. Bernardus (hom. 4, super *Missus est*) : « *Exspectat* Angelus *responsum*,... exspectamus et nos, o Domina, verbum miserationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ : sta-

tim liberabimur, si consentis... Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. »

SS. Patribus concordant concionatores et pii scriptores : sic Bourdaloue (*serm. sur l'Annonc.*, sub initio) ait : « C'est *de la réponse de Marie que dépendait l'accomplissement du glorieux mystère que nous célébrons ; ce consentement était, dans l'ordre des décrets éternels de Dieu, une des conditions requises pour l'Incarnation du Verbe* » — (Vide Bossuet, 3. *Serm. sur la concept. de la S. Vierge*, 1. point; D'Argentan, *conf. XI;* Faber, *Marie au pied de la croix, compassion de Marie*).

2. *Scriptura innuitur ;* duo namque sequentia ex Scriptura colligi possunt : — 1. B. Maria non Verbum concepit antequam consensum suum præbuerit, ut ex sacro textu facile eruitur; postquam enim dixit B. Virgo : « Quomodo fiet istud? » Angelus respondit : « Spiritus S. superveniet in te, » et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Ergo nondum conceptum fuerat Verbum Dei; — 2. dato consensu Mariæ, statim incarnatum est Verbum, ut constat tum discessu Angeli, missione ejus felici exitu coronata, tum ex testimonio unanimi Traditionis. Porro si Incarnatio non fuit peracta ante Mariæ consensum, et si, dato illo consensu, statim perfecta fuit, merito concluditur necessitas illius consensus, ac proinde divina illa dispositio Providentiæ, qua consensus Mariæ Incarnationi omnino prærequisitus fuerit; ergo.

3. *Ratione theologica suadetur;* scilicet — 1. *ex intima conjunctione Mariæ cum Deo;* nam, ut ratiocinatur Suarez (in 3 S. Th., q. 30, a. 1), sicut Deus per gratiam suam, tametsi efficacissimam, nullam personam ratione utentem ad amicitiam suam sine consensu illius pertrahit; ita cum per hoc mysterium B. Virgo ad singularem cum Deo conjunctionem ineundam elevaretur (futura enim erat Patris sponsa, Filii mater, Spiritus S. templum), ad suavem divinæ providentiæ dispositionem pertinuit, voluntarium ejus expectare consensum. Juxta D. Thomam (3, q. 10, a. 1) « congruum fuit Beatæ Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura... ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam

naturam. Et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius naturæ. » — 2. *Ex doloribus, quos passura erat B. Maria.* Ex prophetiis manifestum erat Messiam experturum esse acerbissima tormenta, persecutiones innumeras, opprobria incredibilia et demum mortem crudelissimam ac ignominiosam inter sceleratos : porro hæc omnia evenire non poterant, quin ipsius mater dirissimis doloribus torqueretur; unde Simeon ad Mariam dixit : « Et tuam ipsius » animam pertransibit gladius » (*Luc.*, II, 35). Jam vero si hæc ita sint, congruum omnino erat ut B. Maria iis acerbissimis doloribus pro hominum salute impositis non subjiceretur sine proprio consensu. Nec dicatur nihil de illis afflictionibus ab Angelo prædicari; Maria enim assiduæ Scripturarum lectioni incumbebat, et a Spiritu S. didicerat quidquid ad Christum et proinde ad ejus matrem spectabat (Duquesne, *Grandeur de Marie*, 7 *méd. sur l'Annonciation*).

171. Quæritur 2. *An et quatenus B. Virgo Maria Christi Filii sui passionis consors fuerit?*

Resp. B. Dei Genitrix Maria ita Christi passionis socia fuit, ut per hanc compassionem cum eo victima quadam ratione oblata fuerit. Quod quidem non tantum colligitur ex textu Scripturæ supra citato, sed etiam confirmatur.

1. *Auctoritate* SS. Patrum, illud unanimi ore profitentium. S. Bernardinus Sen. ait : « *Tantus fuit dolor Virginis* in morte Christi..., quod si in omnes creaturas, quæ dolores pati possunt, divideretur, omnes subito interirent » (Sent. tom. 1, serm. 6, a. 3, c. 2). — S. Anselm. vel Eadmerus S. Anselmi familiaris : « Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ (Maria) passionis » (*De Excel. Virg.*, c. 5). — S. Bonaventura : « Singula vulnera per ejus (Christi) corpus dispersa, sunt in corde tuo unita : Ibi, Domina, lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobatum, et contumeliis plenum, aceto et felle potatum » (*In stim. amor.*, c. 3). — S. Amædeus : « Ille carne, *illa corde* passa est;... Maria torquebatur magis, quam si torqueretur in se; quoniam super se incomparabiliter diligebat id unde dolebat » (Hom. 5). — S. Basil. :

« Virgo universos martyres tantum excedit, quantum sol reliqua astra » (apud S. Lig., serm. *de dolor. B. V.*). — Demum ab Ecclesia dicitur B. Maria : *Regina martyrum, Virgo dolorosissima.*

2. *Ex descriptione dolorum*, quos experta est B. Virgo ; hi nimirum gravissimi fuerunt et multiplici ex fonte provenerunt. Namque — 1. B. Virgo erat mulier; ac proinde indole suavi et compatiente donata ; cum præsertim nulla exstiterit inter mulieres virgo, quæ tam tenerum atque tam amans cor habuerit quam Beata Virgo. — 2. B. Virgo erat etiam mater : porro nullus amor vincit maternum. Sed insuper dolebat B. Maria super morte Filii sui Unigeniti, Filii omnibus donis gratiæ et naturæ ornati, Filii super omnia dilecti et quem Dominum et Deum suum agnoscit ; unde S. Bernard. (*de planctu Virg.*), in ore Mariæ hæc verba merito supponit : « Tu mihi Pater, tu mihi Mater, tu mihi Sponsus, tu mihi Filius, tu mihi eras omnia (o Jesu !). Nunc orbor patre, viduor sponso, desolor prole, omnia perdo. » — 3. B. Virgo Filio suo Unigenito orbata est morte acerbissima et turpissima, inter convicia, sputa, blasphemias ; stabat juxta crucem ejus, et ideo quot fuerunt læsiones in corpore Christi, tot vulnera in corde Matris. « Non fuit talis filius, non fuit talis mater, inquit S. Laur. Justin., non fuit tanta caritas, non fuit dolor tantus. Ideo quanto dilexit tenerius, tanto vulnerata est profundius » (Lib. 3, *de laud. Virg.*, ap. S. Lig.). Hinc canit Ecclesia : « Fac me, (Virgo), tecum pie flere, crucifixo condolere, donec ego vixero » (D'Argentan, conf. 25, art. 2. — Mazzola, *de B. Virgine*, p. 1, disp. 17).

Neque prætermittendi sunt dolores corporales, quibus, ex nonnullorum Sanctorum revelationibus, B. Virgo Maria divinitus obnoxia legitur, semotis tamen exterioribus apparentiis ; sic quando Christus spinis coronabatur, Maria tormenta spineæ coronæ interne patiebatur sine externa capitis læsione et sanguinis effusione. Auctoritas harum revelationum inconcussa quidem non est ac illæsa fide negari potest ; attamen temerarie ageret qui hanc omnino contemneret et pro nihilo habendam esse putaret. — Et vero, si Christus ita mi-

sericorditer egit cum quibusdam Sanctis, ut eos passionis suæ participes esse voluerit; si S. Franciscus visibiliter stigmata Christi habuit, si S. Catharina Senensis coronæ spineæ dolores haud raro sensit, cur insulse diceretur B. Mariam Christo tam dilectam et similem, expertam fuisse in corpore dolores quibus Filius ejus torquebatur?

ARTICULUS III.

De merito Mariæ.

172. — I. Certum est et ab omnibus admissum B. Virginem a prima sua sanctificatione meruisse usque ad Verbi divini Incarnationem. — Controvertitur tamen inter theologos utrum B. Maria Virgo per propriam dispositionem sanctificata fuerit. Negandi ratio est quia in primo instanti nullum actum exercuit Maria. Qui vero affirmant, dicunt perfectiorem esse illum sanctificationis modum, ideoque Mariæ, haud secus ac Angelis et primis parentibus, tribuendum (Suarez, *loc. cit.*, sect. 8).

An autem B. Maria in sanctitate ita fuerit consummata Incarnatione Verbi, ut ex eo tempore in sanctitate non creverit, nec pro semetipsa meruerit, iterum controvertitur.

Affirmant nonnulli, et nituntur — 1. *auctoritate*, scilicet S. Joan. Damas. (Orat. 1 *de Dormit. Deiparæ*, *n.* 12) dicentis : « Omnium bonorum initium, medium et finis, securitas et vera confirmatio in illa Verbi divini conceptione posita est; » S. Thomæ (3, q. 27, a. 5, ad 2), quatenus dicit « gratiam Virginis fuisse consummatam in conceptione Filii; » S. Bernardini asserentis virginem in conceptione Filii accepisse tantum gratiæ « quantum potest viatrix creatura recipere non Deo unita unitate personæ » (serm. 51, a. 3, cap. 1), et aliorum quorumdam. — 2. *Similitudine cum Christo*. Christus a conceptione sua fuit plenus gratiæ et veritatis ; unde nunquam in sanctitate crevit, sed pro aliis, non vero pro semetipso, gratiam meruit; ergo non videtur cur idem de B. Virgine non assereretur, cum ineffabiles acceperit gratias et fuerit Filio suo simillima ; ergo.

Verum communius auctores asserunt B. Virginem Mariam

usque ad vitæ suæ finem in sanctitate crevisse ; ita Suarez, S. Bonaventura, S. Ligorius et alii non pauci, quorum hæ sunt præcipuæ rationes : — 1. B. Virgo, quamdiu vixit in corpore mortali, non fuit beata, neque in statu comprehensoris secundum animam ; ergo per fidem semper ambulavit ; ergo erat in statu merendi ; ergo. — 2. Incredibile est tot labores totque dolores, ex ardenti ac perfectissimo amore pro Christo susceptos a B. Virgine, nullius fuisse meriti apud Deum, nec illi personam Virginis gratiorem et cariorem reddidisse : porro illud in opposita eveniret sententia ; ergo. — 3. In actibus B. Mariæ reperiuntur ea omnia quæ ad meritum requiruntur, sive ex parte Dei, sive ex parte operantis, sive ex parte operis ; ergo. — 4. B. Virgo plura sacramenta recepit, et imprimis SS. Eucharistiam : porro incredibile est illa sacramenta augmentum gratiæ ei non contulisse ; ergo.

Ad momenta oppositæ sententiæ respondent — 1. auctores citatos intelligi posse de perfectione gratiæ, quoad mali remotionem et confirmationem in bono ; non vero quoad intensionem omnem, seu perfectionis modum ; alioquin concludendum esset B. Virginem fuisse a tempore conceptionis Filii plene et perfecte beatam ; quod certe falsum est. Insuper dici potest B. Virginem in conceptione Filii accepisse omnem gratiæ perfectionem, quasi in radice, non vero formaliter ; — 2. prædictam similitudinem inter B. Mariam et Verbum divinum nullatenus haberi posse ut veram probationem (Suar., disp. 18, sect. 1 ; Justin. Miechoviensis, *Litaniæ Lauretanæ*, disc. 135).

173. — II. Virgo Maria per omnes et singulos actus vitæ tam activæ quam contemplativæ meruit. Et sane triplex tempus distinguendum est in vita B. Virginis. — In primo, scilicet ab ipsius nativitate usque ad Verbi Incarnationem, B. Virgo Maria contemplationi potissimum vacavit, sive in domo paterna usque ad triennium, sive in templo a triennio usque ad ejus matrimonium cum B. Joseph, sive a desponsatione illa usque ad Christi conceptionem. — In secundo tempore, a conceptione Christi usque ad ejus Ascensionem, vitæ contemplativæ operam sæpe sæpius dedit B. Maria ; conservabat enim omnia verba quæ audiebat conferens in corde suo ; et in domo

Nazareth nullum dubium quin plures actus vitæ contemplativæ produxerit. Exercuit etiam actus vitæ activæ tum erga Filium et sponsum, curam familiæ gerens ; tum erga pastores et Magos, quibus certe plurima manifestavit ; tum demum in Ægypto, cum plures teneant B. Mariam plurimis regnum Dei annuntiasse. — In tertio tempore, ab Ascensione Domini usque ad propriam mortem, contemplationi indubie operam dedit, sed actus etiam vitæ activæ exercuit ; nam Apostolos docuit, et Lucam evangelistam de mysteriis fidei instruxit. Valde credibile est insuper eam in consolandis ac spiritualiter adjuvandis fidelibus sæpe occupatam fuisse, ut plures testantur auctores (Vide Suarez, disp. 18, sect. 2).

Jam vero quod B. Virgo per omnes et singulos actus meruerit, sic explicari solet : ex una parte non fuerunt in Maria actus indeliberati, quia hæc indeliberatio imperfectionem redolet ; ex altera parte omnes actus deliberati Beatæ Mariæ fuerunt meritorii ; etenim nullus ex illis fuit malus, ut evidens est ; nec naturaliter tantum bonus, ob frequentem actuum suorum relationem ad Deum, tum quia nullum habebat inordinatorum affectuum impedimentum, tum quia cum summa felicitate et jucunditate in divinis meditationibus versabatur.

Quidquid sit, patet ex omnibus dictis B. Virginem Mariam in fine vitæ summa et pene immensa gratiæ perfectione ornatam fuisse, eamque, si non a primo instanti, uti probabile id jam diximus, saltem in vitæ termino, plures gradus gratiæ et caritatis consecutam fuisse quam sint in omnibus beatis et Angelis etiam collective sumptis : de quo audiatur S. Petrus Damianus (serm. *de Assumpt.*) dicens : « Virgo inter animas Sanctorum et Angelorum choros supereminens et evecta, merita singulorum et omnium titulos antecedit. »

174. III. Juxta unanimem theologorum doctrinam B. Virgo Maria non pro semetipsa tantum sanctitatis augmentum, sed etiam pro hominibus gratias ipsis ad salutem consequendam impertitas *de congruo* meruit. Quod quidem evinci potest

1. *Auctoritate SS. Patrum ;* S. Andreas Cret. ait : « Universa unguento fragrantiæ tuæ sanctificata sunt : *per te* abolita est peccati occasio : mutatæ sunt in gaudium primæ parentis

iræ » (*de Dorm. Virg.*, orat. 3). — S. Ephrem : « *Per te* reconciliati sumus Christo Deo meo, Filio tuo : *tu captivorum redemptio*, et *omnium salus*. Ave, pax, gaudium et salus mundi » (orat. *ad Virg.*) — S. Bern. : *Per te*, Virgo sancta, cœlum repletum est, infernus evacuatus est, et instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data » (serm. 4, *in Assumpt.*, n. 8). — S. Petr. Damian. : « Hodie nata est illa per quam renascimur omnes » (serm. *de Nativ. Virg.*). — S. Anselm. : « Sicut Deus, omnia creando, Pater est et Dominus omnium; ita B. Virgo *suis meritis* cuncta reparando Mater est et Domina rerum » (*de excel. Virg.*, disp. 3, sect. 5).

Quo etiam spectant plurimi jam citati textus, in quibus SS. Patres Mariam cum Eva comparant, asserendo Mariam recuperasse quod Eva amiserat; Mariam solvisse quod ab Eva perditum fuerat, et alia multa hujusmodi : porro hæc pariter vera esse nequeunt, quin Maria meruerit de congruo gratiam hominibus; ergo vere meruit.

2. *Ratione*. Meritum de congruo est meritum ex quadam convenientia ac decentia, non vero ex stricta justitia : atqui illud meritum Mariæ tribuendum est pro hominum salute. Namque — 1. Maria certissime oravit pro hominibus : porro valde congruum fuit ut illius oratio exaudiretur, tum ob hujus orationis sublimitatem, tum ob eminentem Mariæ sanctitatem, tum ob specialem Dei erga Mariam benevolentiam. — 2. Docet Suarezius (disp. 23, sect. 1), et non pauci cum eo, B. Virginem de congruo meruisse exsecutionem Incarnationis, ac proinde effectum Incarnationis, seu gratiam hominibus concedendam; ergo.

Dicitur *de congruo*, non vero de condigno, id est, ex stricta justitia; nam si B. Maria de condigno meruisset hominibus gratias ad salutem necessarias, Christus non esset unicus redemptor generis humani, sed salus hominum B. Virgini æque tribui posset, siquidem ex ipsa et propter ipsam obtinerentur stricto jure gratiæ, quibuscum homines salvari possent.

CAPUT II.

DE MARIA IN CŒLIS REGNANTE.

In triplici iterum articulo dicemus — 1. de beatitudine; — 2. de mediatione; — 3. de cultu Mariæ.

ARTICULUS I.

De beatitudine Mariæ.

175. Prænotanda. — I. Hæc in antecessum de pretiosa morte B. Virginis Mariæ monere juvat:

1. Mors B. Virginis tanquam indubia judicanda est. Sic enim tenet universalis Traditio, et merito eruitur tum ex sententia generali mortis prolata contra infelices Adæ liberos, tum ex collecta missæ Assumptionis in qua dicitur B. Mariam mortem subiisse temporalem.

2. B. Virgo non est mortua ex naturali morbo, sed vi amoris et ardentissimi desiderii, et intensissimæ contemplationis. Ita post Suarezium, Bossuet (II serm. *sur l'Assompt.*, 2 p.); S. Ligorius (serm. *de morte B. Virg.*) et alii innumeri.

3. B. Virgo vixit usque ad ætatem provectam, duplexque potissimum datur sententia de mortis ejus tempore: — Prima, cui adhæsit S. Vincentius a Paulo, docet B. Mariam obiisse anno ætatis suæ sexagesimo tertio, illam videlicet vixisse quindecim annos ante Christum, triginta tres cum Christo, et quindecim post Christum. Ita fert, juxta Baronium, quædam vetus Traditio, et favet corona B. Mariæ, a S. Brigitta instituta, et 63 *Ave* constans in memoriam annorum quos vixit B. Virgo. — Secunda sententia, quæ verisimilior Suarezio videtur, tenet B. Virginem vixisse usque ad annum ætatis suæ septuagesimum secundum, omnes Apostolos ipsius morti interfuisse, et ipsum Christum illius Filium eam superamabili sua præsentia, in hoc supremo instanti, recreasse. Vide Suarez

(disp. 21, sect. 1). — Juxta revelationes Matris Mariæ a Jesu (d'Agreda), ex amoris motu mortua est B. Maria, feria VI, hora tertia serotina, die 13 augusti, anno ætatis suæ septuagesimo completo, paucis diebus exceptis, usque scilicet ad (8 septemb.) diem natalem B. Virginis. Nihil certi determinari potest. — Probabilius est B. Mariam Jerusalem obiisse, non vero Ephesi, ut docuerunt quidam. Vide Bened. XIV (*de Festis*, p. 2, c. 8, n. 6-12); Mazzola (*de B. Virgine*).

176. — II. Beatitudo Mariæ duplex est, una scilicet animæ, corporis altera. Prior consistit in visione Dei intuitiva, eoque major est, quo Beatissima Virgo Deum perfectiori modo intuetur. Posterior in eo sita est, quod corpus sacratissimum Mariæ incorruptione donatum, paucis post mortem diebus, resurrexit et in cœlum assumptum fuerit.

Jam vero, juxta communem theologorum sententiam, B. Virgo Maria in perfectione visionis intuitivæ Dei superat omnes creaturas non tantum distributive, sed etiam collective consideratas. — *Primum* profitetur Ecclesia his verbis : « Exaltata est Sancta Dei Genitrix supra choros Angelorum ad cœlestia regna. » S. Gregorius Naz. (in *invocatione ad Virginem*) eam « præstantiorem exercitibus cœlestibus vocat, » et S. Bernard. (serm. 1 et 2 *de Assumpt.*) ait : « Quantum gloriæ in terris adepta est præ cæteris, tantum obtinuit in cœlo gloriæ singularis. » Ratio est evidens ; Maria quippe sanctitate et merito omnes homines et Angelos distributive sumptos superavit; ergo et in gloria. — *Secundum* vero recte deducitur ex iis quæ supra dicta fuerunt de gratia et meritis B. Mariæ; unde S. Ildefonsus (serm. 2. *de Assumpt.*) ait: « Sicut est incomparabile quod gessit, et inæstimabile donum quod accepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod promeruit. » Ergo.

Imo probabile est visionem, qua B. Virgo in Deo videt res creatas, superare visionem omnium hominum et Angelorum. Triplicis generis sunt res creatæ; nam aliæ ad mysteria attinent, sicut, v. g., circumstantiæ Incarnationis vel Redemptionis ; aliæ ad mundum physicum spectant, puta leges ordinis physici; aliæ ad speciales creaturas, v. g., ad talem vel talem hominem terminantur. Porro de duplici priori genere nulla

moveri potest difficultas, et in illis major fuit cognitio B. Virginis quam aliorum Beatorum, tum quia hæ cognitiones sunt appendices visionis Dei ipsius et huic visioni proportionem dicunt; tum quia hæc omnia ad Incarnationis mysterium aliquo modo ordinantur, et mysterium Incarnationis magis ad Virginem pertinet quam ad ullum alium Beatum. Restat dicendum de tertio genere, seu de cognitione individuorum, in qua non semper datur proportio cum cognitione Dei ipsius. At in isto etiam genere major est cognitio Virginis quam aliorum; etenim si admittant theologi majorem esse posse cognitionem individuorum in inferiori Sancto quam in superiori, illud deducunt ex utriusque conditione in statu viæ; unde qui fuit Papa vel episcopus, plures individuos videt quam anachoreta, quamvis iste sanctior sit illo Papa vel episcopo, quia cum paucioribus relationes habuit. Sed B. Virgo Maria cum omnibus relationes habet; ad eorum enim salutem cooperata est omniumque mediatrix existit.

Quod vero attinet ad beatitudinem corporis, fusiori sermone stabilienda et explananda nobis videtur, ideoque sequentem assertionem instituimus :

177. Assertio : *B. Virgo Maria in cœlo triumphat cum corpore suo.*

Prob. 1. *Auctoritate Ecclesiæ*, cujus sententia exhibetur — tum in officio divino, in quo lectiones leguntur ex S. Bernardo et S. Joan. Damasceno gloriosam assumptionem B. Mariæ asserentibus; — tum in Missa. S. Greg. in Missa assumptionis B. Mariæ, ait : « Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas, opem conferat salutarem, in qua S. Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit. » Quæ verba S. Gregorius Magnus in sacramentario ex Gelasiano codice ad collectam posuit; ita etiam vetera missalia Gallicana (Vide Bened. XIV, *De festis*, p. 2, c. 8, n. 17); — tum demum ex festivitate Assumptionis, cujus objectum est glorificatio corporis Mariæ, et dicitur ideo *Assumptio*. Si autem apud veteres nominetur *dormitio*, vox ista idem sonat ac Assumptio (Vide Bened. XIV, *De festis*, p. 2, c. 8, n. 28).

Prob. 2. *Traditione*. — Testimonium Traditionis sic a

Bened. XIV (*loc. cit.*, n. 15) exponitur : Dicimus *primo* vetustissimos primævæ Patres Ecclesiæ de corporali B. Virginis Assumptione siluisse ; medii tamen ævi, postremæque ætatis Patres, tum græcos, tum latinos, eam disertissime tradidisse. Ex latinis, Greg. Tur. ita scripsit : « Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur. » Ildefonsus Toletanus, sæculi septimi scriptor : « Nec sane, inquit, illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissime amplectuntur, eam hodierno die ad cœli palatia corporaliter fuisse sublevatam. » Cum his consentiunt Fulbertus, S. Pet. Damianus, Petrus Blesensis, qui scriptores undecimo et duodecimo sæculo floruerunt. Ex Patribus græcis septimi et octavi sæculi, occurrunt S. Andreas Cretensis, S. Germanus, Constant. Patriarcha, et S. Damascenus, ut ex his verbis colligitur : « Sanctissimum corpus clarissimo præstantissimoque tumulo imponitur, unde triduo post in cœlum attollitur. » — *Secundo loco* dicimus hanc esse communem omnium theologorum sententiam, quibus præit S. Thomas, dicens : « (B. Virgo) cum corpore est assumpta in cœlum. Credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in cœlum (*Ps.* CXXXI) : « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis » tuæ. » Ita Bened. XIV.

Prob. 3. *Variis congruentiis petitis* ex dignitate Matris Dei, ab excellenti virginitate, ab insigni supra homines omnes et Angelos sanctitate, ex intima cum Christo Filio conjunctione et consensione, ex Filii in Matrem dignissimam affectu. Ita Bened. XIV (*De Canon.*, lib. 1, c. 42, n. 15). — 1. *Ex dignitate Matris Dei.* Congruum enim erat ut ea quæ dignitatem accepit speciali pariter donaretur privilegio, ita ut cum corpore suo statim post mortem reciperetur in cœlis. — 2. *Ab excellenti virginitate.* B. Maria dicitur Virgo per antonomasim ; porro parum decens videtur, corpus istud virgineum et angelicis spiritibus simile, corruptioni et putredini traditum esse. — 3. *Ab insigni supra homines omnes et Angelos sanctitate.* B. Maria omnes homines et Angelos sanctitate longe supere-

minet; quinimo illius corpus fuit quodammodo sanctitatis hominum, seu salutis, initium, cum ex ipso formatum fuerit corpus Christi; ergo rationi valde consentaneum est, ut corpus istud perfectiori modo redemptioni Christi participet, et sic gloriæ æternæ statim particeps fiat. — 4. *Ex intima cum Christo Filio conjunctione et consensione.* Caro Christi fuit caro Mariæ : porro credi non potest corpus istud, ex quo formatum est corpus Christi, fuisse vermibus et putredini traditum : « Corpus Virginis escam vermibus traditum, inquit S. August., quia sentire non valeo, dicere pertimesco » (*de Assump. B. V.*, cap. 6). Sed si incorruptum permansit corpus Mariæ, pietas intelligere non valet quomodo sine honore Deus illud reliquisset, cum auro, gemmis pretiosissimis, et eximio cultu honorentur Sanctorum reliquiæ. — 5. *Ex Filii in Matrem dignissimam affectu.* Christus est Mariæ Filius amantissimus ac omnipotens; porro non concipitur quomodo iste Filius Matris suæ corpus a vermibus consumi permisisset, cum quotidie videmus homines parentum corpora pro viribus a putredine unguentis præservare; ergo.

178. Quæritur 1. *Qua certitudine constet Assumptio B. Mariæ Virginis?*

Resp. Assumptio Deiparæ non est fidei articulus, sed qui eam negaverit, temeritatis summæ notandus est. Ita Bened. XIV (*De festis*, c. 8, n. 18). Non est de fide, quia neque est testimonium Scripturæ, aut sufficiens Traditio, quæ infallibilem faciat fidem. Est autem jam nunc tam recepta hæc sententia, ut a nullo pio et catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari, atque ideo videtur habere eum gradum certitudinis quem habebat ante definitionem Immaculata ejusdem conceptio (Suarez, in 3, q. 27, disp. 15 sect. 2). Ita tenent alii theologi multi, ut videre est apud Bened. XIV. Neque est ab Ecclesia definita directe, ut patet, nec etiam indirecte ob festum Assumptionis; quia, ut notat Bened. XIV (n. 25), in festivitate XV Aug., B. Virginis mortis, resurrectionis et in cœlum Assumptionis memoriam recolit Ecclesia, nec authentica declaratione constat Assumptionem pro corpore redivivo supponere simul et pro anima.

179. Quæritur 2. *Quo die resurrexerit B. Virgo Maria?*

Resp. Nihil certi hac de re asseri potest; alii dicunt B. Virginem resurrexisse quindecim dies post mortem suam, alii quadraginta; sed communis sententia est B. Mariam revixisse triduo post mortem suam, et in hoc etiam Filio suo similis fuit; si itaque resurrexit 15 die Aug., mortua est die 13. « Communis est sententia, inquit Azorius (*Inst. mor.*, t. II, lib. 1, c. 20) suscitatam a mortuis eam fuisse, et in cœlum introductam tertio ab obitus die. » Ita S. Joan. Damascenus, Juvenalis, Hierosolymitanus episcopus, Andreas, Cretensis episcopus, Simeon Metaphrastes, Nicephorus, et alii (Vide Canisium, *de Maria Virg.*, lib. 5, c. 3; S. Joan. Damasc., orat. 2, *de dormit. Deiparæ*, sub finem).

180. Quæritur 3. *Quid dicendum sit de gloria tum Assumptionis, tum corporis B. Mariæ?*

Resp. 1. Quo honore et angelico comitatu, inquit Suarez (disp. 21, sect. 2), perducta in cœlum fuerit B. Virgo Maria, tractant eleganter SS. Patres, et pia potius consideratione quam scholastica discussione indiget. Plures Patres pie credunt non solum omnes Angelorum et Sanctorum choros, verum ipsummet Christum Dominum in Virginis occursum venisse, et cum ingenti gloria et gaudio eam secum in thronum deduxisse.

Resp. 2. Quoad gloriam corporis Mariæ, certum est illud superaturum esse omnia Beatorum corpora in claritate et splendore; et ideo in illo cœlesti agmine corporum cœlestium, Christus soli, B. Maria lunæ, cæteri sancti variis stellis æquiparantur. « Ob singularem Filii generationem castissimam atque purissimam existimo, inquit Suarez (disp. 21, sect. 4), B. Virginem habere in corpore singularem aliquem et admirabilem splendorem, vel aliquid aliud, quod sit veluti insigne regiæ dignitatis, ac divinæ maternitatis, ac principatus, ac dominii in omnes Beatos. »

181. Scholium 1. *De triplici aureola B. Virginis Mariæ.* — 1. *De aureola Virginitatis.* Nulli dubium est B. Mariæ competere virginitatis aureolam, quæ tanto excellentior esse debet quanto ipsa perfectius cæteris virginitatem coluit. — 2. *De aureola doctoratus.* B. Mariæ pariter competit aureola docto-

ratus, quia singulari et excellentiori modo fuit fidei magistra et doctorum doctrix. Neque ad hanc aureolam promerendam necesse est publice docere, sed satis est veritatem fidei in alios diffundere, ut D. Thomas docet (in 4, d. 49, q. 5, a. 3). — 3. *De aureola martyrii.* Tenent omnes B. Virginem immensos propemodum dolores perpessam fuisse, ita ut omnes martyres collective sumptos doloribus suis superaverit, testibus S. Ildefonso et S. Anselmo (*de excellentia Virg.*, c. 5), teste etiam Ecclesia quæ Mariam reginam martyrum prædicat. Quidquid sit, videtur certum aliquod peculiare habere B. Virginem in hoc genere, quod est veluti insigne quoddam excellentissimæ fortitudinis et caritatis ejus, sive hoc dicatur aureola martyrii, sive aliquid eminentius illa, quod videtur proprius ac verius dici.

Quin etiam verisimile est, ob dignitatem Matris Dei, egregiaque pietatis opera quæ B. Virgo in Christum exercuit, illum in utero gestando, lactando, fovendo atque a cruce depositum sepeliendo, corpus ejus glorificatum fulgere singulari splendore et decore, qui perfectioris sit rationis quam aureolæ eisque superemineat. Ita Suarez (3. d. 37, disp. 21, sect. 4; vide Mazzola, *de B. Virg.*, § 2, disp. 6).

182. Scholium 2. *De dignitate regali Beatissimæ Virgini Mariæ impertita.* B. Virginem Mariam, ob dignitatem Matris et munia quæ implevit, constitutam fuisse omnium dominam et reginam auctoritate constat ac ratione. — 1. *Auctoritate* quidem; SS. enim Patres vocant B. Mariam reginam cœli, omnium rerum conditarum dominam; asserunt illam esse collocatam in throno cœlesti, dominaturam omni creaturæ, omnes cœlestes legiones illi famulari, et cætera, ut videre est in illorum passim operibus. — 2. Sanctis doctoribus consonat *ratio*, sive quia B. Maria est mater creatoris omnium, regis regum, uno verbo, Dei, et tali matri competit titulus reginæ et dominæ; sive quia B. Maria dignitate, gratiis, privilegiis, sanctitate ac meritis omnem aliam creaturam superavit, et ideo titulo reginæ et dominæ merito decoratur.

Sed, ut hæc paulo fusius evolvantur, dicendum est quomodo B. Maria sit regina cœli, et terræ, et inferni.

I. *De Maria regina cœli.* — 1. *De Beatis.* Maria Virgo certo dici debet Beatorum Regina. Etenim ab Ecclesia proclamatur B. Maria regina Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, uno verbo, Sanctorum omnium. Ita docent omnes doctores. Et vero illa vere dicenda est Sanctorum regina, quæ est illorum redemptoris et regis mater, quæ eos meritis suis antecelluit, quæ eorum saluti cooperata est, quæ in ipsos demum gratiæ divinæ largitiones effudit; atqui hæc omnia B. Mariæ competunt; ergo.

2. *De Angelis.* De Maria æque dicit Ecclesia : *Regina Angelorum, Regina cœli,* lætare. Concordant SS. Patres : S. Aug., (serm. 35 *de Sanctis*, n. 5, alias 208, in app.) ait : « Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. » S. Bernardus (serm. 1. *De Assumpt.* n. 1) : « Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. » — S. Bern. Sen. (t. 1, serm. 61, a. 1, c. 6) : « Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ quot serviunt Trinitati. Omnes nempe creaturæ, sive Angeli, sive homines, et omnia quæ sunt in cœlo et in terra..., quæ omnia sunt divino imperio subjugata, gloriosæ Virgini sunt subjecta. »

Recte Beata Virgo dicitur Angelorum regina; Christus enim, ejus Filius, est Angelorum caput atque rex; ergo mater Christi merito vocanda est Angelorum Domina ac regina. Insuper de munere reginæ est ut subditis suis bona quædam largiatur : atqui ita egit B. Virgo; posito enim quod ex Incarnatione gratias primarias non receperint Angeli, ut opinantur Thomistæ, ab ea tamen habuerunt gratias secundarias et gloriam accidentalem : porro in his concedendis gratiis et gloria partes suas habuit B. Virgo Maria; ergo rursus recta ratione Angelorum domina ac regina nuncupatur. « Per hanc beatissimam Virginem non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicæ sublimitatis augetur » (S. Pet. Dam., serm. 3, *de Nativ.*).

II. *De Maria regina terræ.* — Mariam tanquam hujus terræ dominam et reginam agnoscunt omnes; unde exclamat Ecclesia : « Salve regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes

nostra, salve » (Vide S. Bern., *in medit. sup. salv. Reg.*, n. 1; S. Bonav. *in serm. de B. Virg.*).

B. Maria in universalem Ecclesiam exercet dominationem duplici potissimum modo, scilicet — 1. debellando hæreses omnes et hæreticos, et idcirco ei decantat Ecclesia : « Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. » — 2. Ecclesiæ in necessitate constitutæ subveniendo. Illud Mariæ auxilium in clarissima luce versatum est sub SS. Pontificibus S. Pio V et Pio VII (Vide Brev. Roman. 24 maii, in festo B. Virg., titulo *Auxilium Christianorum*).

III. *De Maria regina inferorum.* — Inferi duplicem designant locum, illum scilicet in quo animæ justorum aliquibus maculis pollutæ pœnas justitiæ divinæ in Purgatorio luunt, et alterum in quo damnati et dæmones in æternum cruciabuntur.

1. *De Purgatorio.* « B. Virgo in regno purgatorii dominium habet, » inquit S. Bernard. Sen., (serm. 3, *de Nom. Mar.*, a. 2, c. 3). Juxta piissimam traditionem tenent multi B. Mariam in die Assumptionis suæ, a Filio suo obtinuisse ut omnes animas in purgatorio detentas secum ad gloriam ducere posset. Juxta non paucos auctores, Beatissima Virgo, singulis annis, in festivitate Nativitatis Christi, et in aliis præcipuis diebus festivis, ad purgatorii loca cum multitudine Angelorum descendit, et multas inde animas eripit. Norunt omnes famosam bullam Joannis XXII, qua promittitur iis omnibus qui Carmeli habitum deferunt, positis quibusdam conditionibus, speciale in purgatorio juvamen, sabbato præsertim eorum mortem immediate subsequente. Quam bullam confirmarunt Alexander V, Clemens VII, S. Pius V, Gregorius XIII et demum Paulus V, uti videre est apud S. Ligorium (in *Salve, Regina, commentario*), et P. Maurel (*Le chrétien éclairé sur les indulg.*, n. 78).

2. *De inferno.* Nulla est in inferno misericordia, sed potentiam suam exercet B. Virgo, dæmones coercendo et impediendo ne omne malum peragant quod facere exoptant; est enim illorum victrix ac capita eorum contrivit.

ARTICULUS II.

De mediatione Mariæ.

183. Etsi soli Christo competat, ex antea probatis, ut sit perfectus Dei et hominum mediator, hoc minime impedit, quin Beata Virgo Maria veram ac propriam mediationem homines inter et Christum exerceat: quod quidem etiam de cæteris sanctis, inferiori tamen ratione, dici posse mox ostendemus. Porro ad Mariæ mediationem, prout in cœlis exercetur, duo revocari possunt: ejus scilicet interventus in gratiarum dispensatione, ipsiusque respectu hominum spiritualis maternitas. De quibus seorsim agendum est.

§ I. De interventu B. Virginis Mariæ in gratiarum dispensatione.

184. Quod dicemus in sequenti appendice de sanctorum intercessione, multo magis de Deipara Virgine prædicari debet. Quanta vero sit sive extensio, sive efficacia, hujusce interventus Dei genitricis Mariæ, sequens declarabit

Assertio: *Pia est et valde probabilis sententia, quæ asserit nullam gratiam hominibus concedi sine Mariæ interventu, ipsamque obtinere quidquid a Deo expostulat.*

Probatur prima pars. — Illa sententia tenenda est quæ gravissimis innititur auctoritatibus, multiplici ratione theologica suadetur et nulla ex parte repugnat; atqui talis est præsens doctrina.

I. *Hæc sententia gravissimis auctoritatibus nititur.* Etenim SS. Patres asserunt simpliciter omnem gratiam fuisse Mariæ arbitrio dimissam, ab ea ad nos transmitti, nullam gratiam venire de cœlo nisi per manus Mariæ transeat, et multa alia id genus: sic S. Aug. (serm. *de Assumpt. B. Mariæ*) ait: *In te*, Virgo gloriosa, et *per te* et *de te*, quidquid boni recipimus et recepturi sumus, per te recipere vere cognoscimus. » — S. Bernard. (*De Deipara*, vel *de aquæductu*, n. 6): « Deus redempturus genus humanum, pretium universum contulit in Mariam.... Deus *totius boni...*, *plenitudinem posuit in Maria*, ut proinde si quid spei, si quid salutis in nobis est, ab ea

noverimus redundare; » et (serm. 3, *in Virg. Nativ.*, n. 10) : « Nihil Deus nos habere voluit quod per manus Mariæ non transiret. » — S. Bonaventura (*psalt. Mar. ps.* 46) : « Ipsa est porta vitæ, *janua salutis*; *et via nostræ reconciliationis.* — S. Antonin. (p. 4, tit. 15, c. 20, § 12) : « *Per eam* de cœlis ad nos quidquid unquam gratiæ creatum in mundum venit. »

SS. Patribus consonant plurimi doctores, sive mystici, sive theologi, inter quos eminet S. Lig. (*Paraphrase du Salve Regina*, c. 5), multos citans pro se auctores; quibus addi possunt Contenson, Bossuet, d'Argentan et recentiores permulti, uti videre est in pluribus operibus, et in primis in opere cui titulus : *Plan divin*, a D. Nicolas exarato (t. 1, lib. 3, c. 5).

II. *Eadem sententia pluribus rationibus theologicis suadetur*, videlicet

1. *Ex amore Dei erga Mariam.* Deus Pater B. Virginem habet ut sponsam dilectissimam; Deus Filius, ut matrem amatam valde ac amantem; Deus Spiritus, ut templum sacratissimum : porro valde conveniens est claves cœlestis thesauri in manibus sponsæ et matris reponi, ac istum thesaurum recludi in templo sacratissimo; ergo.

2. *Ex dignitate Matris Dei.* Dignitas Matris Dei omnem excedit sensum, et superat quidquid excogitari potest; jam vero congruum videtur cœlestium donorum collationem tribui Virgini illi, cui honores maternitatis divinæ collati fuerunt.

3. *Ex ordine divinæ providentiæ.* Dona Dei sunt sine pœnitentia; ergo, ut ratiocinatur Bossuet (serm. *sur l'Annonc.*), quod semel dedit Deus nunquam aufert; porro Mariæ dedit Deus omnium gratiarum fontem ac originem in Filio suo; ergo et dedit illi rivulos seu gratias varias, quæ ex illo divinissimo fonte manant; ergo.

Et vero Verbum naturæ humanæ Salvatorem se dare voluit per Mariam; ergo per Mariam cuilibet homini sese pariter Salvatorem præbet, seu omnes gratias suas per manus Mariæ confert, juxta adagium a Patribus receptum : *Qui confert plus, et minus æque præbet*; ergo.

III. *Illa sententia nulla ex parte repugnat*, nimirum :

1. *Non ex parte Dei.* In tantum ex parte Dei repugnaret, in quantum Deus manus sibi aliquatenus ligasset, nec posset exaudire preces illius qui directe atque immediate ad eum recurreret, sed ita necessaria foret interventio Mariæ ut alioquin non videretur quomodo per ipsius manus gratia collata transiret. At respondetur — 1. hanc repugnantiam nullatenus videri, cum hæc omnia, non a necessitate, sed a liberrima voluntate Dei provenirent; — 2. in hac hypothesi Deum Mariæ notas facere tum illius hominis preces, tum propriam intentionem illas exaudiendi, si Maria velit pro ipso intercedere; quibus positis, Maria statim pro eo deprecabitur; — 3. Mariam, sicut Christum, pro omnibus semper orare, et Deum in conferendis gratiis ad hanc Mariæ deprecationem semper attendere.

Nec dicendum est cum quibusdam sic concedi B. Virgini misericordiæ munus, et Deo solam relinqui justitiam, seu severitatem, quod Deo indignum videtur; nam — 1. hic ordo non provenit nisi a libera Dei institutione, ac proinde quidquid misericordiæ in Maria est, divinæ benignitati tribuendum est. — 2. Deus est semper gratiarum suarum dominus, potestque eas cui voluerit largiri, sed illas non concedit nisi mediante Maria, uti explanatum fuit.

2. *Non ex parte Christi.* Etenim omnes gratiæ, quas confert B. Virgo, a Christi meritis procedunt; ipse solus est proprie gratiæ largitor, et nonnisi ex ejus voluntate, ad honorem scilicet ipsius piissimæ matris, in manibus Mariæ gratiæ collocantur. Sic, nedum obscuretur Christi gloria, potius illustratur hac gratiæ largitione, quæ fit quidem a Maria, sed intuitu meritorum Christi.

3. *Non ex parte Sanctorum.* Si aliqua Sanctis irrogaretur injuria, id fieret quia inutilis evaderet eorum intercessio; at perperam illud diceretur, siquidem pro nobis recte intercedere possunt, et gratias nobis obtinere, cum eo solum discrimine quod ad Mariam recursum habeant, tanquam ad reginam et dominam. Sic non existimatur ut inutilis ministrorum interventus, quamvis rogentur ut reginam adeant, quæ pro supplicantibus regem exorabit.

SECUNDA PARS ASSERTIONIS pariter constat auctoritate et ratione.

1. *Auctoritate* quidem. Enimvero SS. Patres unanimi ore proclamant B. Virginem *a Deo repulsam nunquam esse*, ab ipso *semper exaudiri*, *Filio suo potius imperare quam gratiam ab eo postulare*; uno verbo a SS. Patribus B. Mariæ tribuitur *omnipotentia supplex*. Audiantur præ cæteris — S. Bonav. (*in stimulo amoris*, p. 3, c. 19) dicens : « O certe Dei nostri mira benignitas, qui suis reis te Dominam tribuit advocatam, ut... quod volueris pro nobis valeas impetrare; » — S. Ephrem (*Oratio exomologetica*) : « Omnia potes, tanquam Dei mater; omnia vales, veluti quæ superas omnes creaturas : nihil tibi, si vis, impossible est; » — S. Anton. (p. 4, tit. 15, cap. 17, 4) : « Oratio Deiparæ habet rationem jussionis et imperii, et impossibile est eam non exaudiri. » — S. Pet. Damian. (serm. 1, *de Nativ.*) : « Nihil tibi impossibile. Accedis non solum rogans, sed *imperans; Domina*, non ancilla. » — S. Bernardin. Sen. : « Omnia dona, virtutes, et gratiæ Spiritus S., quibus vult, quando vult, quomodo vult, et quantum vult, per manus ipsius (Mariæ) administrantur » (serm. 61, a. 1, c. 8).

2. *Ratione;* namque — 1. Deus Filius amorem infinitum erga Mariam matrem suam habet; ergo illam exaudit quoties ab ea rogatur, cum Maria nihil nisi honestum postulare possit. — 2. Deus Pater dedit B. Virgini Filium suum Unigenitum, quo nihil ipsi carius; ergo postulationibus ejus omnia bona certo certius concedet.

Unde Suarez loquens de efficacia orationis Beatæ Mariæ ait (disp. 23, sect. 3, in fine) : « Existimo a B. Virgine, in hac potestate et efficacia, non solum Sanctos singulos, sed omnem etiam cœlestem curiam superari; ideoque si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamque curiam cœlestem illi resistere (sicut apud Danielem unus Angelus alteri resistebat), potentior esset majorisque efficaciæ et valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum Sanctorum, oratio. Et ita quidem sentiunt SS. Patres, idque est dignitati Matris maxime consentaneum, et perfectissimæ gratiæ, et caritati B. Virginis quodam modo debitum. »

Notandum tamen non eam esse efficaciam interventus Mariæ, ut posset ea obtinere quæ Christus concedere nollet; sed eo sensu intelligenda est, quod nihil ab ea exposci valeat potestatem ejus superans, dummodo, attenta Dei voluntate, illud impossibile non sit.

§ II. De maternitate spirituali Mariæ erga homines.

185. Maternitas spiritualis Mariæ defluit tum ex ejus cooperatione in redemptionis mysterio, tum præsertim ex prædictæ B. Virginis interventu in gratiarum dispensatione; at quia hujusmodi appellatio frequenter usurpatur, illam speciali modo adstruere juvat.

Jam vero illa spiritualis maternitas veluti medium tenet inter maternitatem naturalem et adoptionem; ab illa nempe differt, quia mater naturalis ex propria substantia filium generat, dum Beata Virgo homines spiritualiter generans non de sua substantia eos concipit, sed in Filii sui consortium quadam adoptione admittit; ab hac autem discriminatur, eo quod adoptio, prout fit in humanis, est mera denominatio extrinseca, adoptato vitam minime conferens, dum Maria eo mater hominum efficitur, quod ipsis spiritualem vitam communicat.

186. Quibus prænotatis, B. Virginem Mariam spiritualem hominum matrem esse sequenti assertione patebit.

Assertio : *B. Virgo Maria jure hominum mater appellatur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra;* legitur enim (*Joan.*, xix, 26) : « Dixit (Jesus) matri suæ; Mulier, ecce Filius tuus. Deinde » dicit discipulo : Ecce *Mater tua.* » Porro his verbis non tantum Christus providere voluit, ut discipulus quem diligebat a matre amantissima in filium reciperetur, ipsaque mater alterius filii curæ committeretur, sed etiam spiritualem Beatissimæ Virginis erga homines maternitatem solemniter declaravit; juxta enim optimos Scripturæ interpretes, omnium hominum vices gerebat S. Joannes, id est, in illius persona omnes maternæ dilectioni Mariæ commendati fuimus. « In Joanne, ait S. Bernardinus Sen. (serm. 55, a. 1, c. 3), intelligimus omnes ani-

mas electorum, quorum B. Virgo per dilectionem facta est mater. »

Prob. 2. *Traditione.* Omnes SS. Patres Mariam exaltant tanquam matrem nostram, et gloriantur esse ejus filii. — S. Aug. (*de Virg.*, c. 6, n. 6) scribit : « Illa Spiritu *mater est membrorum* ejus (Salvatoris), quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur. » — S. Anselm. (*in deprec. ad Virg.*, orat. 51) : « O beata fiducia ! o tutum refugium, mater Dei est *mater mea!*... Qua igitur certitudine debemus sperare, quorum salus de boni fratris et piæ matris pendet arbitrio ? » — S. Bonaventura (*in speculo*, lect. 4) : « Maria est etiam *mater omnium fidelium universalis*... Benedictus frater, per quem Maria est *mater nostra* : et benedicta mater, per quam Christus est frater noster. »

Quibus consonat sensus universalis — sive Pontificum Romanorum, qui Mariam sæpius matrem nostram vocant, et indulgentias concedunt recitantibus preces in quibus Maria pluries dicitur mater nostra, sicut in ista oratione : *O Domina mea! O mater mea!* — sive Episcoporum et concionatorum, illud etiam ubique prædicantium ; — sive Theologorum idem docentium ; — sive tandem fidelium, quorum pietas ex opposita doctrina grave scandalum pateretur.

Prob. 3. *Ratione theologica.* Etenim B. Virgo Maria est mater Christi : porro rationi omnino consonum est, ut quæ caput edidit, membra quoque pariat cum capite cohærentia, vitamque spiritualem ipsius capitis vitæ conformem eisdem impertiatur. Ergo. — Insuper illa vera est mater quæ causat vitam omniaque maternitatis munera implet : atqui hujusmodi est B. Virgo Maria respectu hominum ; quippe quæ non tantum ipsis vitam supernaturalem multiplici ratione conferat, ut patet ex dictis, sed etiam eosdem diligat, alat, sublevet et defendat. Ergo. — Demum Maria Patris paternitati naturali participat, cum pro vero Filio habeat Verbum divinum æterni Patris Filium. Ergo valde congruum est, ut paternitati Patris erga homines participet, atque ideo eorum mater efficiatur.

Ex quibus patet B. Mariam non esse matrem nisi Christianorum et in ordine spirituali. Enimvero Mariæ filii non sumus,

nisi prout ad Christum pertinemus : sed soli fideles ad Christum pertinent. Infideles igitur remote tantum et radicaliter ad maternitatem Mariæ spectant, quatenus scilicet per baptismum fieri possunt filii Dei (cfr. P. Petitalot, *coronula Mariæ*, c. 4, a. 2).

ARTICULUS III.

De cultu Mariæ exhibendo.

187. Cultus notio sat innotescit ex alibi dictis. Quæstio est in præsenti utrum B. Virgo Maria cultu religioso, et quidem speciali, præ cæteris Sanctis, de quibus infra, honoranda sit. Pro cujus solutione sit sequens

188. Assertio : *B. Maria aliquo cultu religioso, et quidem speciali, præ cæteris sanctis, colenda est.*

Constat prima pars, nempe *cultum aliquem religiosum B. Virgini Mariæ persolvendum esse*, ex omnibus argumentis infra adducendis, ubi de cultu Sanctorum ; sed insuper confirmatur

1. *Auctoritate SS. Patrum.* — Nimis constat hac de re SS. Patrum consensus ut in afferendis eorum testimoniis insudemus ; pro omnibus sit S. Bernardus dicens (Serm. *de Nat. B. V.*, seu *de Virg. Deip. II. vel aquæductu*, n. 7) : « Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus *Mariam hanc veneremur.* »

2. *Praxi Ecclesiæ.* — In omni ævo Ecclesia Beatam Mariam cultu suo prosecuta est ; hinc honores publici illi præstiti ; hinc Ecclesiæ sub ipsius nomine Deo dicatæ, publicæ orationes quibus illam deprecatur. Hinc B. Mariæ cultum summopere exaltant SS. Patres tum sermonibus, tum exemplis suis ; fideles autem Mariæ auxilium invocare amant, et sub illius præsidium fidenter confugiunt. Videri potest quam antiquus, quam universalis fuerit in Galliis Mariæ cultus, in eximio opere cui titulus : *Notre Dame de France.*

3. *Rat. th.* — Ex dictis B. Virgo Maria excellentiam supernaturalem et eximiam possidet, Deo gratissima est, nobis innumera beneficia contulit et confert, nostræ saluti cooperata

est et pro nobis gravissimos experta est dolores ; ergo religioso cultu colenda est.

Secunda pars, id est, B. Mariam *cultu speciali præ cæteris sanctis* colendam esse, aperte defluit ex hoc quod B. Virgo eximiam et peculiarem excellentiam sibi vindicat — 1. ratione *dignitatis*, fuit enim filia prælecta Patris æterni, templum Spiritus S. et mater Verbi divini vere et proprie dicta : porro sub hoc respectu nulla alia creatura ei æquiparari et comparari valet ; — 2. ratione *sanctitatis* ; summa ac pene immensa fuit in Maria gratiæ perfectio et intensitas, quinimo probabiliter creditur B. Mariam consecutam fuisse plures gradus gratiæ et caritatis, quam omnes justi ac Angeli, etiam collective sumpti ; — 3. ratione *gloriæ ;* nulli dubium est B. Mariam esse hominum Angelorumque Reginam, et ejus imperio omnia famulari. Jam vero hæc omnia, quæ ex antea dictis manifesta sunt, invicte demonstrant peculiarem excellentiam B. Virginis, et proinde præ cæteris sanctis specialem cultum ei esse debitum.

Cultus iste B. Virgini debitus nequit esse cultus *latriæ*, qui soli Deo redditur ; nec simplex cultus Sanctis exhibitus, qui cultus *duliæ* nuncupatur, cum præ cæteris omnibus speciali honore colenda sit B. Virgo, et ideo cultus B. Virgini reddendus dicitur cultus *hyperduliæ*, id est, supra cultum duliæ. Utrum vero sit differentia proprie dicta et specifica inter cultum duliæ et hyperduliæ, ob dignitatem Matris, quæ aliquem ordinem dicit ad unionem hypostaticam, controvertitur, et præsentis loci non est illam enodare quæstionem.

189. Quæritur 1. *An et qualis sit necessitas cultum exhibendi B. Virgini Mariæ?*

Resp. 1. *Semotis iis, quæ ab Ecclesia præcipiuntur in honorem B. Mariæ, nulla est directa obligatio cultum ei exhibendi.* — Constat

1. *Conc. Trid.*, quod (sess. 25, *de Invocat. sanct.*) declarat « bonum atque utile esse (Sanctos) suppliciter invocare, » nihil addens tum de necessitate illius cultus, tum specialiter de cultu B. Virgini debito ; ergo.

2. *Ratione.* Si præter præceptum ecclesiasticum daretur aliquod præceptum cultum exhibendi B. Virgini, illud præ-

ceptum foret naturale aut divinum : atqui neutrum dici potest. Non est præceptum divinum, siquidem nec in Scriptura nec in Traditione legitur. Non est præceptum naturale; nam jus naturale prohibet equidem ne contemptum habeamus quod est venerabile, sed non præcipit ut illud cultu positivo prosequamur; ergo.

Dicitur : — 1. *Semotis, quæ ab Ecclesia præcipiuntur*, ut patet. Sic omnibus præcipitur sanctificatio diei Assumptionis B. Virginis; sic pariter, juxta communem sententiam, datur præceptum memoriter sciendi salutationem angelicam; sic Ecclesiæ ministri multoties tenentur, tum in recitatione Breviarii, tum in celebratione Missæ, suis precibus B. Mariam colere. — 2. *Directa obligatio*, quia forsan datur indirecta obligatio ob statutum a Deo gratiæ ordinem.

Resp. 2. *Qui scienter denegat omnem cultum B. Virgini, in statu salutis valde periculoso versatur.* — Quod quidem ita evinci potest : Ille in statu salutis valde periculoso versatur, qui scienter non obtemperat ordini divinæ Providentiæ, rationi agendi Ecclesiæ, doctrinæ ac praxi Sanctorum : atqui talis est is qui scienter omnem cultum B. Virgini denegat.

1. *Non obtemperat ordini divinæ providentiæ* : vidimus enim B. Virginem a Deo constitutam fuisse mediatricem et redemptricem generis humani, ipsi concreditas fuisse gratias quæ singulis hominibus conceduntur : porro huic ordini providentiæ certe non obedit qui Mariam non deprecatur eique cultum reddere negligit.

2. *Non sequitur Ecclesiæ rationem agendi;* in eo siquidem consistit Ecclesiæ ratio agendi, ut in omnibus circumstantiis ad Mariam recurrat, ut nihil a Deo expostulet nisi implorato Mariæ auxilio, ut sub illius præsidium semper confugiat; atqui ita profecto non agit ille de quo loquimur; ergo.

3. *Doctrinæ et praxi Sanctorum non obsequitur*; cujuslibet ævi Sancti prædicant ore et exemplo B. Mariam esse refugium peccatorum, auxilium christianorum, matrem misericordiæ, vitam, dulcedinem et spem nostram, in ipsa collocandam esse omnem fiduciam nostram, et nullum sine ea salvari, et alia hujusmodi innumera; ergo.

190. Quæritur 2. *Quibus actibus persolvendus sit cultus Beatissimæ Virgini Mariæ debitus?*

Resp. Cultus B. Virgini Mariæ exhibendus tria sibi vult, nempe : — 1. honorem et reverentiam; — 2. gratitudinis, amoris et fiduciæ sensus; — 3. tanti omnium virtutum exemplaris sedulam imitationem. De his tribus pauca subjungere juvat.

I. *De honore et reverentia B. Virgini debitis.* — Quod quidem B. Virgo Maria speciali honore et reverentia prosequenda sit, satis patet ex antea dictis. Qualis autem sit hic honor, qualis hæc reverentia, exponendum est, et statim apparebit quam insulse Protestantes Ecclesiam criminentur, quasi adoraret B. Virginem et SS. Trinitati cultu suo æqualem faceret.

Porro fide certum est, inquit Suarez, B. Virginem non posse adorari, si adoratio sumatur in stricto sensu, id est, pro cultu *latriæ*; hæc enim soli Deo debetur propter excellentiam infinitam et increatam, quam Virgini attribuere idololatria esset; et hoc sensu SS. Epiphanius et Damascenus damnant ut hæreticos Collyridianos, qui Virginem latria colebant, et dixit S. Ambrosius (lib. 3, *de Spir. S.*, c. 12) adorationem Christi propriam non esse cum ejus matre communicandam (Suar., in 3, p. 36, disp. 32, sect. 3). Hæc intelligant Protestantes et sciant hæreticalem esse praxim B. Mariam adoratione latriæ colendi.

Si vero adoratio sumatur in eo sensu latiori, prout scilicet venerationem significat alteri exhibitam propter supernaturalem ejus excellentiam, B. Virginem sic adorare æquissimum est, ob ejus singularem et eximiam excellentiam supra omnes creaturas. Attamen hac voce *adoratio*, ob æquivocationem, quando de Maria agitur, abstinere opportunum est (Vide Suar., *loc. cit.*).

II. *De gratitudine, amore et fiducia B. Virgini exhibendis.* — 1. *De gratitudine.* Difficile concipitur quanta gratitudo B. Virgini debeatur; etenim animi gratitudo proportionem dicere debet cum laboribus, pœnis, cruciatibus, quæ pro nobis tolerata sunt; æquipollere insuper debet bonis et gratiis accep-

tis. Jam vero quis enumerare, aut etiam suspicari poterit pœnas, ærumnas, dolores, cruciatus et alia quæ B. Maria pro hominum salute perpessa est a primo conceptionis instanti usque ad ipsius mortem; hæc supra paululum exposuimus, et potius interna et sedula meditatione perpenduntur quam verbis exprimuntur. Quoad beneficia quæ a B. Virgine accepimus, ista pariter difficillime intelliguntur : sunt *generalia* seu omnibus communia; sic B. Maria omnium saluti cooperata est, homines a servitute diaboli eripuit et Dei filios constituit, innumeras etiam gratias ipsis contulit, et de illa a fortiori quam de Jeremia dicendum est : « Hæc est quæ multum orat » pro populo » (II *Mach.*, xv, 14). Sunt insuper *particularia* ; unusquisque in memoriam suam revocet, si possit, omnia beneficia quæ a B. Virgine accepit, sive corporalia sive spiritualia, temporalia vel æterna, in ordine naturali vel supernaturali. Unde S. Bernard. (serm. 4, *in Assumpt.*, n. 8) ait : « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. » Ex quibus sat percipitur quanta cum gratitudine B. Virginem honorare teneamur.

2. *De amore.* Nemo nescit matres secundum carnem ardentissimo amore filios suos prosequi, et sæpe sæpius eos præsertim qui cum majoribus doloribus ac cruciatibus geniti fuerunt. Porro, ex dictis, filii B. Mariæ sumus, ab ea spiritualiter geniti sumus, dum Christus in cruce penderet, et ipsius amantissimum cor gladio acutissimo transfigeretur; exinde Christus in ara crucis B. Virgini ostendendo discipulum dicit : « *Ecce filius tuus*, » et ideo B. Virgo homines singulari dilectione prosequitur : « Benignissima es, inquit S. Pet. Dam. (serm. 1, *de Nat. B. V.*), et amas nos amore invincibili. » Jam vero sic nos amantem quis non redamaret? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus hanc Mariam veneremur, juxta monita S. Bernardi. « Quis te non diliget, o Maria, exclamat S. Bonav. (*Stim.*, p. 3, c. 19), reparatricem omnium, amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle..., omnibus es affabilis? Ave ergo, domina mea, mater mea, imo cor meum, anima mea. Parce mihi, domina, si me

amare te dicam : Si ego non sum dignus te amare, tu non es indigna amari a me. »

3. *De fiducia.* — Ut vera sit fiducia, duo requiruntur in eo cui fidimus, scilicet : potentia qua possit nobis succurrere, et voluntas qua velit : porro hæc duo in Maria perfecte reperiuntur : de illius potentia nemo dubitat, nec etiam de illius voluntate dubium movere licet; Maria enim est advocata nostra, mediatrix nostra ac mater. « Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas, ait D. Bern. (*sup. Sign. magn.*, n. 2) ? Nihil austerum in ea, nihil terribile ; tota suavis est, omnibus afferens lac et lanam. » Dicamus ergo Mariæ fiducialiter : « Tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et » libera nos de morte » (*Esth.*, xv, 3). Hæc autem fiducia nostra in B. Virgine debet esse *universalis*, id est, pro omni genere bonorum ; *perpetua*, id est, in omni loco ac tempore ; *intima*, id est, ex corde et amore procedens, sicut filius solet in matre benignissima et amantissima confidere. Hanc fiduciam nos edocet Ecclesia, quæ in omni tempore et necessitate ad Mariam fidenter recurrit.

III. *De imitatione Beatissimæ Virginis Mariæ.* — Imitatio est signum reverentiæ, existimationis, fiduciæ et amoris ; quod proinde procul dubio B. Mariæ debetur. Scimus insuper B. Virginem sanctissimam fuisse inter omnes sanctos ; ergo salutem nostram tutius operari non possumus, quam ejus vestigia insequendo. Unde S. Ambrosius (l. 2, *de Virg.*, n. 15) merito scribit : « Talis fuit Maria ut ejus unius vita sit omnium disciplina. »

191. Quæritur 3. *An et quatenus devotio erga B. Virginem sit signum perseverantiæ et prædestinationis?*

Resp. 1. Devotio *perfecta* erga B. Virginem est signum perseverantiæ et prædestinationis ; majus autem vel minus, prout perfectior vel minus perfecta dabitur devotio. — Constat

1. *Auctoritate* tum SS. Patrum, tum theologorum, qui unanimi ore dicunt devotionem erga B. Virginem esse chartam libertatis, permagnum prædestinationis signum, pignus vitæ æternæ; addunt Mariæ fidelem servum perire non posse, æternam damnationem auditurum non esse ; asserunt istam

devotionem a Deo non concedi nisi illis quos salvare intendit, et alia multa id genus, quæ assertionem nostram superabunde demonstrant; ergo (Vide S. Lig., *in Salve Regina*).

2. *Ratione theologica.* Omnes utique sciunt illam perseverantiam finalem esse speciale donum, nec a nobis promereri posse; at data devotione erga B. Virginem, facilius sperari potest; ad hoc enim sufficit ut B. Virgo possit et velit illud pro servis suis obtinere; porro hæc duo certa videntur : — 1. *Potest*, ut fatentur omnes; S. Anselmus : « Tantummodo velis salutem nostram, et vere nequaquam salvi esse non poterimus » (*De excel. Virg.*, c. 12, et *Tract. de concep. B. V.*). — 2. *Vult.* Incredibile quidem foret ab amantissimo corde Virginis deseri illum qui in totius vitæ decursu eam honoravit et glorificavit, et Mariæ servum in æternum cum diabolo cruciari; hoc non sustinet fidelium pietas erga B. Virginem.

Resp. 2. Devotio *imperfecta* in B. Virginem, quæ consistit in cultu illius cum intentione conversionis in Deum, et vitæ christianæ in futurum servandæ, aut saltem veræ pœnitentiæ in articulo mortis, est prædestinationis signum, in eo sensu quod ista devotio in se contineat veram spem conversionis ad Deum, ac proinde haud leve pignus vitæ æternæ. — Hoc etiam patet

1. *Experientia.* — Constat enim innumeris factis quam plurimos salvatos fuisse propter quasdam preces B. Virgini factas, vel ob quædam pia exercitia in honorem illius B. Virginis peracta, v. g., ob imaginem ejus pie servatam, ob eleemosynas propter Virginem elargitas.

2. *Auctoritate* — prædicatorum, qui in concionibus suis prædictam assertionem declarant; — confessariorum, qui eamdem doctrinam fidelibus eorum curæ commissis eo vividius commendant, quod practice sciunt quam utilis sit peccatoribus præfata devotio; — fidelium omnium, qui in ista intima persuasione sunt.

3. *Rat. th.* — Omnes qui norunt quam suave sit cor Mariæ, quam ad misericordiam pronum, quam erga peccatores clemens, quam ex omni parte benignum, facile credunt illud cor misericordiæ peccatoribus opitulari, illis præcipue qui

erga ipsum devoti fuerint, et illud honorare ac glorificare satagerint.

192. Corollarium. *Ergo clerici totis viribus et aliis persuadere, et ipsi servare debent devotionem erga B. Virginem.*

1. *Debent aliis persuadere* clerici devotionem erga B. Virginem, tum quia hæc devotio Deo grata est et innumeris miraculis comprobata; tum quia illi multum favet Ecclesia, imo illam totis viribus promovet; tum quia ista devotio est pro justis perseverantiæ pignus, pro peccatoribus aptissimum medium ut a diaboli potestate liberentur, pro omnibus autem magnum prædestinationis signum; tum quia demum hæc cultus Mariæ propagatio est ipsis clericis perutilis; si enim B. Maria nunquam deseruit eos qui ad ipsam confugerunt, quomodo derelinquere posset hos clericos vel sacerdotes qui nihil negligunt, ut Mariæ amorem aliorum cordibus inserant ? Sic Mariæ devotionem aliis suggerere est propriam salutem assecurare.

2. *Debent clerici hanc Mariæ devotionem in cordibus suis sedulissime servare*; etenim præter communia, ipsis specialia sunt motiva, scilicet : animarum sanctificatio, quam maxime promovebunt propria devotione erga Mariam, et illam in corda fidelium infundendo. — Præterea si major est sacerdotum dignitas, majus est et onus : ipsi Deo reddent rationem tum de animabus eorum curæ demandatis, tum de innumeris acceptis gratiis, tum de eminente dignitate sacerdotali. Jam vero cum tam grave sit ruinæ periculum, B. Mariæ auxilio maxime indigent, et ideo illius devotioni toto corde incumbere debent. — Demum in amore B. Virginis invenient sacerdotes in laboribus requiem, in ærumnis solatium, in æstu temperiem, et tandem in hora mortis spem et pignus vitæ æternæ, ut egregie testatur S. Bern. (*de laud. B. Mariæ*, hom. 2, *supra Missus est*, n. 17), cujus eximia verba refert Brev. Rom. die 2 Oct. Nativ. B. Virginis.

APPENDIX III.

DE CULTU SANCTORUM, RELIQUIARUM ET SACRARUM IMAGINUM.

De his tribus in totidem paragraphis seorsim agendum.

§ I. De cultu Sanctorum.

193. Hic nobis res est non tantum cum veteribus hæreticis, quales fuerunt Eunomius, Vigilantius et alii, sed etiam cum Protestantibus idololatriæ et superstitionis catholicos arguentibus eo quod Sanctos in cœlo regnantes colant, in necessitatibus suis invocent et pro ipsis apud Deum intercedere confidant.

Contra quos docendum mandavit synodus Tridentina « Sanctos una cum Christo reguantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere. » — Hanc doctrinam de intercessione, veneratione et invocatione Sanctorum adversus prædictos hostes propugnandam suscipimus.

I. *De intercessione Sanctorum.*

194. Errores. Non una est Protestantium sententia circa intercessionem Sanctorum; Lutherani nempe, etsi negent Sanctos pro nobis in particulari orare, ideoque eorum invocationem illicitam dicant, fatentur tamen eosdem pro Ecclesia in genere intercedere. Calvinistæ vero omnem Sanctorum intercessionem rejiciunt. — Contra quos igitur sequens statuenda est

195. Assertio. *Sancti una cum Christo in cœlis regnantes*

non solum pro hominibus generatim, sed etiam pro singulis intercedunt.

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* In veteri Testamento (II *Mach.*, xv, 12) de Onia affirmatur ipsum « orare pro omni populo Judæorum », et ipse Onias de Jeremia dicit : « Hic est fra- » trum amator et populi Israel : hic est qui multum orat pro » populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei » (*Ibid.*, 14). — In Apocalypsi vero S. Joannis (v, 8) legitur : « Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes » singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, » quæ sunt *orationes Sanctorum.* » Quibus verbis vel significatur Beatos in cœlo regnantes offerre Deo orationes Christianorum in terris viventium, et hæc oblatio fit per veram Sanctorum intercessionem; vel designantur ipsæ orationes, quas Sancti in cœlo fundunt, et has orationes non pro se, sed pro hominibus viatoribus Deo offerunt. — Constat demum nos debere jam in hac vita orare pro invicem, et, teste S. Jacobo (v, 16), « multum valet deprecatio justi assidua »; unde ipse B. Paulus orationibus fidelium frequenter se commendat (cf. *Rom.*, xv, 30) : ergo a fortiori pro viventibus intercedunt Sancti. Hinc S. Hieronym. (*contra Vigilantium*, n. 8) scribebat : « Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solliciti, pro aliis orant, quanto magis post coronas, victorias et triumphos! »

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres unanimi ore docent Sanctos pro hominibus intercedere; sic Origenes (*contra Celsum*, l. 8) hæc de Angelis et animabus sanctis scribit : « Adjuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suas illorum precibus adjungunt preces, simul cum eis postulant. » S. Cyprianus (Epist. 57 *ad Cornel.*) dicit : « Memores nostri invicem simus..., utrobique pro nobis semper oremus... ; et si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. » S. Basilius (Orat. 20 *in* 40 *martyres*) de hic sic loquitur : « Hi sunt qui nostram tenentes regionem quasi quædam turres contra adversariorum incursum refugium

exhibent; » inferius eosdem nominat « communes custodes generis humani, orationis adjutores, legatos potentissimos. »

Suffragantur acta Martyrum et imprimis S. Ignatii; hæc quippe eum exhibent velut « rursus superorantem » amicis suis, « adstantem Domino in multa confidentia et ineffabili gloria. » Hæc est etiam conclusio actorum martyrum Scillitanorum : « Consummati sunt Christi martyres... et intercedunt pro nobis ad Dominum Jesum Christum. »

Accedunt concilia : in conc. Chalcedonensi hæc de Flaviano pronuntiantur ab episcopis : « Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis orat. » Concilium vero Nicæn. II hæc habet : « Cum timore omnia agamus, *postulantes intercessiones immaculatæ Deiparæ*, item *Sanctorum Angelorum omniumque Sanctorum.* » Jam novimus doctrinam conc. Tridentini dicentis « *sanctos una cum Christo regnantes orationes pro nobis offerre.* »

Nec demum prætermittenda est praxis Ecclesiæ, quæ vult ut quisque locus suum peculiarem patronum habeat, moremque assignandi patronos non tantum singulis christianis, sed etiam institutis et associationibus valde commendat.

Prob. 3. *Ratione*; eatenus dici posset sanctos in cœlo regnantes pro hominibus in particulari non orare, quatenus ipsis deesset aut voluntas nos juvandi, aut potestas, aut nostrarum miseriarum cognitio, vel ita Christo mediatori injuria fieret : porro non deest *voluntas*, quia majori caritate illic quam hic sunt præditi, et de sua sorte securi, sunt de nostra solliciti, ut ait S. Cyprianus (l. *de Mortal.*); nec *potestas;* sunt enim potentiores post coronas et triumphos, Deoque magis conjuncti et grati; nec miseriarum nostrarum *cognitio*; nam unde sciunt Angeli conversionem peccatorum, de qua gaudent (*Luc.*, xv), inde sancti eadem beatitudine donati miserias nostras norunt; neque tandem ideo fit *injuria Christo mediatori*, quia mediatio primaria, principalis et perfecta Christi stare potest cum mediatoribus secundariis, inferioribus et subordinatis. Cæterum si, fatentibus ipsis Novatoribus, absque injuria Christi mediatoris justi in terra viventes pro aliis intercedere possint, quo pacto illi injuriosa Sanctorum intercessio?

196. Scholium. Inquirunt nonnulli utrum orationes Sanctorum pro nobis semper exaudiantur. Jamvero Sancti, monente S. Thoma (*Supplem.*, q. 72, a. 2), dupliciter pro nobis orant : uno modo oratione *expressa*, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant ; alio modo oratione *interpretativa*, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu Dei existentia non solum eis cedunt ad gloriam, sed etiam nobis suffragia et orationes quædam sunt. Quo notato, dicendum est — 1. orationes interpretativas Sanctorum, licet ex se ad impetrandum quod petunt efficaces sint, posse tamen impediri ne effectum suum sortiantur ob defectum ex parte nostra ; — 2. orationes Sanctorum expressas semper audiri, quia suis votis nihil petunt aut volunt nisi quod Deus vult ; quod autem Deus vult, semper impletur, nisi agatur de voluntate antecedente, quæ non semper impletur.

II. *De veneratione Sanctorum.*

197. Jam dictum fuit cultum religiosum esse vel *latriæ*, vel *hyperduliæ*, vel simplicis *duliæ*. Quæstio est igitur utrum sanctis in cœlo regnantibus licite et pie exhibeatur ille cultus, quem a cultu latriæ essentialiter diversum et cultu hyperduliæ saltem inferiorem, *duliæ* simpliciter dicimus. Negant hæretici supra jam recensiti, affirmant vero catholici. — Cum quibus sit sequens

198. Assertio : *Licitus est et pius Sanctorum in cœlis regnantium cultus.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, ubi legitur non paucos homines, maxima pietate præstantes, religiosum cultum Angelis exhibuisse ; eadem est autem ratio pro Beatis quam pro Angelis. Sic Abraham (*Gen.*, xviii, 2) et Loth (*Gen.*, xix, 1) ante Angelos venerabundi procubuerunt ; sic Josue (v, 15) Angelum principem exercitus Domini *adoravit* pronus in terram... Hunc vero cultum fuisse religiosum patet, cum ex religione et pietate erga Deum fuerit profectus. — Præterea in sacris litteris multa inveniuntur exempla cultus religiosi, quibusdam viris eximiæ sanctitatis his in terris quandoque exhibiti (Cfr. III *Reg.*, xviii, 7 ; IV *Reg.*, ii, 15, et iv, 37). — Huc demum spectant

quæ leguntur (*Eccli.*, XLIV) : « Laudemus viros gloriosos et » parentes nostros in generatione sua, » etc. ; agitur namque de veneratione non tantum ob excellentiam civilem exhibenda, sed religiosa : unde prædicta verba sanctis novi fœderis in liturgia accommodantur.

PROB. 2. *Traditione.* Ex SS. Patribus, unum et alterum allegasse sufficiat : S. Augustinus (lib. 20, *cont. Faustum*, c. 21) ait : Populus christianus memorias martyrum *religiosa* solemnitate concelebrat. » S. Hieronymus (*ad Riparium*, epist. 36, alias 53) : « *Honoramus servos*, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait : « Qui vos suscipit, me suscipit. »

Consonat Ecclesiæ praxis, qua constat — 1. in omnibus Ecclesiæ temporibus instituta fuisse festa *in honorem Sanctorum* ; sic in Constitutionibus Apostolicis præcipitur ut fideles vacent in diebus S. Stephano et martyribus dicatis ; — 2. basilicas in honore Sanctorum ædificatas fuisse ; sic Patres Ephesini convenerunt in Sanctissimam Ecclesiam quæ dicitur Mariæ, et concilium Chalcedonense in Ecclesia S. Euphemiæ fuit celebratum.

PROB. 3. *Rat. th.* — 1. Licite et pie cultus religiosus exhibetur sanctis in terra degentibus, ut concedunt adversarii ; ergo et in cælis regnantibus. Patet consequens ; undenam enim disparitas ? Quin imo major est Sanctorum in cælis excellentia ; jam extra viam sunt, Deum ardentius amant, clarius vident, donis insignioribus cumulantur. — 2. Tam licet cultu Sanctos prosequi ob eorum dotes supernaturales, quam licet propter politicas aut naturales dotes, reges, principes, magistratus, virosque scientia et probitate insignes honorare ; atqui id licitum esse nemo dubitat : ergo.

199. Scholium. — I. Ad præcavendas adversariorum objectiones, hæc sedulo notanda sunt : 1. Ecclesia *solum Deum cultu latriæ honorat*, Sanctos vero nonnisi cultu duliæ veneratur. « Quis enim, inquit S. Hieronymus Vigilantium confutans, quis enim, o insanum caput ! aliquando martyres adoravit ? Quis hominem putavit Deum ? » Et S. Augustinus loco citato : « Colimus Martyres eo cultu dilectionis et societatis,

quo in hac vita coluntur sancti homines Dei... At illo cultu qui græce *Latreia* dicitur, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum dicimus, nisi unum Deum. » — 2. Omnis actus externus *ex se* indifferens est et tam ad latriæ quam duliæ cultum referri potest; non tam igitur attendendum ad ritum externum, quam *ad intentionem agentis*; sic quando de Abraham dicitur quod adoraverit filios Heth, ipsis eumdem cultum quam Angelis, quam Deo exhibere noluit. Jam vero, agnita Ecclesiæ voluntate de solo Deo cultu latriæ honorando, prorsus irreprehensibilis evadit cultus quem Sanctis reddit.

II. Si autem quæratur quo cultu colantur Sancti, utrum absoluto an relativo, dicetur illos coli absoluto cultu, non relativo; ille siquidem est absolutus non relativus, qui alicui exhibetur, propter excellentiam sibi inexistentem : atqui Sancti coluntur propter gratiam et gloriam sibi inexistentes; ergo. Nec refert quod Sancti colantur propter Deum; nam verum quidem est, quod Deus sit motivum cultus Sanctis exhibiti, ob gratias quas illis concessit; sed Deus non est hujus cultus objectum immediatum, nec terminus directus.

III. *De invocatione Sanctorum.*

200. Cum intercessione et cultu Sanctorum intime connectitur eorum invocatio, qua nempe ab ipsis petendo ut oratione sua Dei beneficia nobis obtineant, maximum venerationis obsequium iisdem persolvimus. Hanc tamen invocationem ut absonam et inutilem, imo ut illicitam et impiam rejiciunt hæretici. — Contra quos catholicam doctrinam sequens vindicabit

201. Assertio : *Licita est et utilis Sanctorum in cœlis invocatio.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua — 1. *invocatio justorum in terra viventium sæpissime commendatur*; sic Deus ipse amicos Job (xlii, 8) ita alloquitur : « Job servus meus orabit pro » vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stul» titia; » item (*Gen.*, xx, 7) Deus Abimelech regem ad Abraham mittit, dicens : « *Orabit pro te* et vives, » statimque additur : « Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech

» et uxorem. » Apostoli ipsi, ut patet ex dictis supra, hunc morem habuerunt, ut se commendarent orationibus eorum, ad quos scribebant, eamque mutuam orationem fidelibus proponerent.

2. *Plurima exempla occurrunt invocationis Angelorum et justorum mortuorum*; Jacob benedicens filiis suis (*Genes.*, XLVIII, 16) dicit : « Angelus qui eripuit me de cunctis malis, » benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, » nomina quoque patrum meorum, Abraham et Isaac. » Moyses vero (*Exod.*, XXXII, 13) sic orat : « *Recordare*, Domine, » *Abraham, Isaac et Israel, servorum tuorum.* » In Apocalypsi (I, 4) S. Joannes septem Asiæ ecclesiis his verbis salutem dicit : « Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui » venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni » ejus sunt. » Ergo.

PROB. 2. *Traditione.* SS. Patres sive doctrina, sive agendi ratione catholicam doctrinam de invocatione Sanctorum profitentur; sic S. Basilius (orat. *in* 40 *martyres*) dicit : « Qui aliqua premitur angustia, *ad hos confugiat*; qui rursum lætatur, hos oret, ille ut malis liberetur, hic ut duret in rebus lætis. » S. Gregorius Naz., sub finem orationis in S. Athanasium, ipsum invocat his verbis : « Tu autem e supernis nos propitius respice, et populum hunc sanctum dirige et nos in pace fove, » etc. — Eamdem hanc doctrinam exhibent omnes liturgiæ, etiam antiquissimæ, quales sunt liturgia Hierosolymitana, Romana, Æthiopica, liturgia S. Basilii, S. Chrysostomi, S. Marci, uti videre est apud Knoll (*De Deo consummatore*, § 794). — Huc demum recurrunt concilia supra citata, imprimisque Tridentinum, quod in decreto de invocatione Sanctorum docet « bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere : illos vero, qui negant, sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare

cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. »

Prob. 3. *Ratione theol.* Probata semel catholica doctrina de sanctorum intercessione, sponte fluit eorum invocationem licitam atque utilem esse. Juvat tamen declarare cum Angelico Doctore quomodo hæc sanctorum intercessio atque invocatio divinæ providentiæ ordini perfecte respondeat; hæc nempe habet S. Thomas (*Supplem.*, q. 72, a. 2) : » Iste ordo est divinitus institutus in rebus, secundum Dionysium (Cap. 5 *Eccles. Hierarch.*), ut per media ultima reducantur in Deum. Unde cum Sancti, qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinæ legis ordo requirit, ut nos qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per Sanctos medios reducamur : quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas in nos suum effectum infundit. Et quia reditus noster ad Deum respondere debet processui bonitatum ipsius in nos, sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus Sanctis. Et inde est, quod eos intercessores pro nobis constituimus et quasi mediatores, dum ab eis petimus, quod pro nobis orent. »

Plura objiciuntur : — 1. Invocatio Sanctorum inutilis est ex parte Dei, qui nos paterne diligens satis per se prospicit infirmitatibus nostris absque aliena intercessione. — Resp. Equidem Deus prospicit infirmitatibus nostris, ita ut nihil necessarium nobis desit; sed, cum ad nihil amplius teneatur, iis necessariis stare potest, dum Sancti ampliora pro nobis postulant. — 2. Mala est hæc invocatio, quia aliquam de Dei bonitate diffidentiam supponit. — Resp. Non supponit diffidentiam de Dei bonitate, sed de nostra miseria et orationis nostræ frigiditate. — 3. Ethnicam superstitionem sapit Sanctos singulos pro singulis morbis aut beneficiis rogare. — Resp. Non exclusive rogamus talem Sanctum pro tali necessitate vel infirmitate; sed, cum Spiritus dividat dona singulis prout vult, credere licet talem gratiam huic Sancto specialiter concessam fuisse. — 4. Infructuosa est; nihil enim jam a Deo impetrare vel mereri

valent. — Resp. *dist.* Sancti nihil possunt impetrare ex meritis præsentibus et propriis, *conc.;* ex meritis Christi, et propriis meritis antecedentibus, seu potius ratione amicitiæ qua cum Deo copulantur, *nego.*

202. Quæritur 1. *Quomodo Sancti orationes nostras cognoscant?*

Resp. 1. Sancti in cœlis orationes nostras cognoscunt divina revelatione. Ita communiter theologi post S. Thomam (*Supplem.*, q. 72, a. 1).

Non consentiunt tamen theologi de propria ratione, qua preces nostræ Angelis innotescunt. Quidam enim censent Sanctos cognoscere has preces in Verbo *formaliter,* id est, ipsa formali visione Verbi, ideoque statim ab initio suæ beatitudinis; sed inde videtur sequi quod cognoscerent etiam diem judicii, quem tamen nullus Sanctorum scit. — Alii vero opinantur Sanctos cognoscere preces nostras in Verbo *causaliter,* id est, per species a Verbo impressas, vi tamen status seu visionis beatificæ; ex quo sequitur has orationes nostras Sanctis innotescere successive et cum ad eos funduntur; quod quidem innuere videtur S. Thomas (*de Verit.*, q. 8, a. 4, ad 2), quando dicit quod petitiones, quas ad sanctos dirigimus, Deo manifestante, cognoscant.

Cæterum, quanquam non accurate cognosceremus modum, quo Sancti preces nostras cognoscunt, satis nobis est certo constare hanc illorum notitiam.

203. Quæritur 2. *Utrum non tantum licitum et utile, sed etiam necessarium sit ad salutem Sanctos invocare?*

Resp. Concilium Tridentinum ea de re disserens (sess. 25) non meminit præcepti, sed solum decernit bonum et utile esse invocare Sanctos, eosque impie sentire qui negant esse invocandos. Attamen ut salutis suæ negligens merito haberetur qui ex incuria tam pium et laudabilem usum non observaret, tum quia non servaret ordinem quem Deus instituit, ex jam dictis; tum quia tanta est indigentia nostra, tales et tantæ miseriæ nostræ, ut ipsa lex naturalis exigere videatur prædictam Sanctorum invocationem. Si autem ex contemptu hoc faceret, gravi certe culpa non vacaret.

204. Corollarium. *De Sanctorum communione.* Ex dictis tum in præsenti appendice, tum in aliis locis, patet miram existere unionem inter varia unius ejusdemque Ecclesiæ membra. Sancti nempe in cœlis regnantes a nobis honorem, venerationem, religiosumque cultum recipiunt, et pro nobis Christum exorant multasque gratias obtinent. — Item pro animabus in purgatorio detentis preces pariter fundunt, atque idem præstant fideles adhuc in terris degentes, qui simul pro illis animabus pia opera Deo offerunt; e sua parte illæ animæ Sanctos venerantur, pro nobis probabiliter Deum in purgatorio deprecantur, et illud officium certo præstabunt, quando gloria in cœlo coronabuntur. — Demum fideles adhuc viatores precibus suis ac piis operibus sese mutuo adjuvant, juxta illud Apostoli : *Fratres, orate pro invicem* (*Jac.*, v, 16), et ita fit illa mirabilis Sanctorum communio, quæ in symbolo exprimitur his verbis : *Credo Sanctorum communionem.* Sic etiam corporis cujus caput est Christus, sumus membra, quæ de se invicem sollicita esse debent, sicut ait Apostolus : « In uno Spiritu » omnes nos *in unum corpus* baptizati sumus... Et si quid pa» titur unum membrum, *compatiuntur omnia membra*, sive » gloriatur unum membrum, *congaudent omnia membra* » (I *Cor.*, XII, 26).

Hanc autem vivam et efficacem Sanctorum communionem, quæ toto cœlo distat a communione frigida ac sterili Protestantium, ita describit Catechismus Rom (p. 1, c. 10, n° 25) : « Quæcumque pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et, ut illis prosint, caritate, quæ non quærit quæ sua sunt, efficitur... Quare Christus eam nobis orandi formam præscripsit, ut diceremus : *Panem nostrum*, non *meum*, ac reliqua ejus generis, non nobis tantum, sed omnium saluti et commodis prospicientes. — Consonat S. Thomas (Opusc. 6 *de Symbol. Apost.*), ubi explicans nonum articulum ita se habet : « Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. Et quia omnes fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur, juxta Apostolum (*Rom.*, XII) : « Singuli autem alter alterius membra. » Unde et inter alia credenda,

quæ tradiderunt Apostoli, est quod communio bonorum sit in Ecclesia; et hoc est quod dicitur *Communio Sanctorum*. Inter vero alia membra Ecclesiæ principale membrum est Christus, quia est caput. « Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. » Bonum ergo Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris, et hæc communicatio fit per sacramenta Ecclesiæ, in quibus operatur virtus passionis Christi... Sciendum est etiam, quod non solum virtus passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum vitæ Christi, et quidquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in caritate existentibus, quia omnes unum sunt... Et inde est quod qui in caritate vivit, particeps est omnis boni quod fit in toto mundo. »

Ex quibus inferre licet non omnes in terra viatores hujusce communionis actu participes esse; ea quippe privantur non tantum qui non sunt membra Ecclesiæ caputque Christum non habent, quales sunt infideles, hæretici, schismatici et excommunicati, sed etiam peccatores, qui per caritatem Deo non uniuntur. Ecclesia tamen nihil non molitur ut vitam supernaturalem recuperent hæc mortua membra. Soli ergo justi prædicta bona adæquate participant; quippe qui sacramentorum, sacrificiorum, orationum publicarum et privatarum, omniumque cæterorum bonorum operum, quæ a vivis Ecclesiæ membris efficiuntur, pro majori vel minori dispositione, plus minusve consortes reddantur (Knoll, § 812).

§ II. De reliquiarum cultu.

205. Cultus nomine hic intelligitur illa reverentia, quæ ex pio venerationis sensu exhibetur cineribus, ossibus Sanctorum, necnon vestibus aliisque rebus quæ ad Sanctos spectarunt, quæque idonea sunt ad illorum memoriam excitandam. Adversus reliquiarum venerationem quarto sæculo scripsit Vigilantius, cujus errorem, sæculo XVI, renovarunt Protestantes.

Doctrinam Ecclesiæ circa reliquiarum cultum his verbis exponit Tridentinum Concilium (sess. 25) : « Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva fuerunt membra Christi et templum Spiritus S., ab ipso

ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse (episcopi doceant), per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse (mandat S. synodus), prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. » Hoc decretum viro catholico plane sufficit; attamen sit sequens

206. Assertio : *Sanctorum reliquiæ pie a fidelibus honorantur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua haud raro commendantur sacræ reliquiæ. Sic (IV *Reg.*, II, 14) pallium Eliæ aquas Jordanis divisit; — (*Ibid.*, XIII, 21) cadaver Elisæi vitam mortuo restituit; — (*Matth.*, IX, 20) mulier tetigit fimbriam vestimenti Christi et sanata est; — (*Act.*, V, 15) umbra Petri infirmitates depulit; — (*Ibid.*, XIX, 12) super languidos deferebantur a corpore Pauli sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. Ergo pie honorari possunt Sanctorum reliquiæ.

Prob. 2. *Traditione*, atque imprimis praxi Ecclesiæ. — Quatuor monumentorum classes fidem Ecclesiæ stabilientes distinguit P. Perrone. — Prima classis complectitur christianorum sollicitudinem in Sanctorum reliquiis colligendis, ut constat ex actis S. Ignatii in quibus hæc leguntur : « Sola enim asperiora sanctorum ossium derelicta sunt, quæ in Antiochiam reportata sunt, et in capsa reposita, sicut thesaurus inappretiabilis, ob martyris gratiam, Ecclesiæ relictus. » Hæc christianorum pia sollicitudo innotescit ex cura quam habuere pagani, ne martyrum corpora in fidelium potestatem devenirent. — Secunda classis complectitur monumenta erecta super reliquiis Sanctorum, cujusmodi erant cubicula, martyria, memoriæ, altaria. Inter hæc monumenta præcipuam celebritatem ac venerationem semper obtinuerunt quæ Romæ erecta sunt in honorem BB. Apostolorum Petri et Pauli. Ossa S. Polycarpi « gemmis pretiosissimis clariora (ut legitur in Ecclesiæ Smyrnensis epistola) et quovis auro pretiosiora sepulta sunt ubi

decebat. » Refert Eusebius (*Hist.* lib. 7, cap. 19, alias 15) Cathedram, in qua sederat S. Jacobus, a fratribus Ecclesiæ Hierosolymitanæ magna haberi reverentia. — Tertia classis exhibet studium primorum christianorum, atque Ecclesiæ universæ, in secernendis martyrum cineribus a cæterorum fidelium exuviis. — Quarta demum classis comprehendit obsequia quibus primi christiani Sanctorum reliquias prosequebantur. Hæc autem erant præcipue sacrificia, quæ in eorum memoriam Deo offerebantur super illorum sepulcris.

Confirmant SS. Patres. — S. Basilius (*in Ps.* CXV, n. 4) ait : « Si mors cuipiam irrogatur pro nomine Christi, pretiosissimæ sunt reliquiæ Sanctorum ejus. » — S. Hieronymus (*Contra Vigilantium*) : « Si non sunt honorandæ reliquiæ martyrum..., omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi sunt, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt... O portentum in ultimas terras deportandum ! » — S. Aug. (Epist. 212) Quintilliano commendans Gallam et Simpliciolam, ait : « Portant secum reliquias beatissimi et gloriosissimi martyris Stephani, quæ non ignorat sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* — 1. Corpora Sanctorum fuerunt templa Spiritus S., organa sanctarum animarum, instrumenta virtutum ; ergo pium est illa aliquo cultu religioso colere. — 2. Cum magno honore servantur exuviæ heroum, regum ac virorum celebrium ; cum magno amore custodiuntur res quæ ad patrem carissimum, vel amantissimum amicum pertinuerunt ; ergo Sanctorum reliquias religiose asservare licet.

207. Scholium. Dicendum videtur cultum reliquiis præstitum esse cultum *relativum*, qui tamen, etsi inferior cultu ipsis Sanctis persoluto, analogice et reductive ad eamdem speciem pertinet. Ille igitur cultus proprie nec hyperduliæ est nec duliæ, quæ soli naturæ intelligenti exhibetur, sed pro varietate reliquiarum cultus duliæ aut hyperduliæ *secundum quid* dicendus est (Cf. Jungmann, *de Verbo Incarn.*, p. 2, c. 2, a. 3).

§ III. De cultu sanctarum imaginum.

208. Primus imagines Domini Sanctorumque abjecit, anno 483, Xenaïas quidam; hunc æmulatus est Giezeid, Saracenorum princeps, sed illos omnes vicit Leo Isauricus, Orientis imperator. Anno 730 publico edicto jussit omnes imagines e templo submoveri, eorumque usum aboleri, et multos ipsarum defensores martyrio exstinxit; unde *Iconoclasta* fuit appellatus. Patris hæresim defendit Constantinus Copronymus, ejus filius. Hodiernis temporibus plures sunt inter Protestantes, qui eas retinentes ad templorum ornatum et ad historiam, omnem earum venerationem abjiciunt; et ideo dicuntur *Iconomachi*.

209. Assertio : *Sanctorum imagines a fidelibus pie honorantur.*

Est de fide. Conc. Nicænum II ait (*act.* 7) : « Definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas ; » et (*act.* 5) : « Nos venerandas imagines suscepimus. Nos ita non affectos anathemati devovimus. Qui venerabiles imagines non complectuntur, anathema ; Iconoclastis anathema. »

Prob. 1. *Scriptura sacra.* — Ipsemet Deus plures imagines atque figuras effingi imperavit; videlicet (*Exod.*, xxv, 18) : duos Cherubim ad arcæ latera ; et (*Num.*, xxi, 8) serpentem æneum, qui, docente Christo, ejus figura et imago fuit. — Neque tantum imaginum usus, sed et veneratio commendatur; nam arca erat symbolum præsentiæ Dei, et coram arca se provolverunt Josue et senes Israel (*Jos.*, vii, 5).

Prob. 2. *Traditione*; Eusebius (*hist.*, lib. 7, c. 19 alias 14) narrat mulierem quæ a sanguinis profluvio per Christum liberata est, statuam æneam in honorem Christi erexisse, quam christiani singulari cultu venerabantur. Tertullianus (lib. *de Pudicitia*, cap. 7) mentionem facit moris tunc communis Christum sub pastoris habitu, ovem amissam reportantis, depingendi. — S. Gregorius Nyss. (in oratione *de S. Theodoro martyre*) dicit pictorem depinxisse B. Theodori facta fortia, cruciatus, tyrannorum formas. — S. Hieronymus (in cap. 4 Jonæ) testatur « in ipsis cucurbitis vasculorum solitas esse Aposto-

lorum imagines adumbrari. » S. Paulinus et Sulpicius Severus suas basilicas picturis exornaverunt, ut legitur apud Paulinum (epist. 12, *ad Severum*).

Accedunt *monumenta*. In catacumbis reperiuntur imagines columbæ ac piscis, Christi sub pastoris habitu ovem deperditam reportantis, Virginis Deiparæ Filium ablactantis, SS. Petri et Pauli, et alia multa, ut videre est in opere D. Perret (*Les catacombes de Rome*).

Idem demum *theoretice* docent SS. Patres ; audiatur solummodo S. Basilius, qui ad Julianum apostatam (epist. 360, alias 205) ait : « Characteres imaginum ipsorum (Apostolorum et Martyrum) honoro et osculor eximie, cum hæ traditæ sint ab Apostolis, nec sint prohibitæ, imo in omnibus ecclesiis nostris depictæ sint. »

Prob. 3. *Rat. th.* — Omnium populorum consensu receptum est ut imago rei aliquo honore dignæ honoretur ; sic cultu civili honoramus imagines regum, quia honor imagini delatus redundat in eum quem repræsentat, sicut injuria illata imagini refunditur in ejus prototypum : atqui Christus et Sancti religioso cultu digni sunt ; ergo et eorum imagines.

210. Scholium. Concilium Tridentinum (*sess.* 25) doctrinam Ecclesiæ de cultu imaginum exponens dicit « imagines Christi, Deiparæ virginis, aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas ac retinendas ; eisque debitum honorem et reverentiam impertiendam. Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit imaginibus figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis suis spem suam collocabant ; sed quoniam honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur : id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi decretis contra imaginum impugnatores est sancitum. »

Ex his vero sequitur nullum imaginibus cultum absolutum tribui, sed relativum ; ratio est quia juxta citata verba « honor

qui eis exhibetur, refertur ad prototypa. » Et vero nil prorsus est in imaginibus, quod cultus absoluti objectum aut terminus esse possit : non materia ex qua constant, cum hæc materia nullam mereatur subjectionem ; non virtus aliqua ipsis inexistens, quum nullam esse definivit Tridentinum; non tandem repræsentatio prototyporum, cum hæc repræsentatio nihil sacrum habeat, sed sola sit artificialis fictio; ergo nihil est in imaginibus, quod cultus absoluti objectum aut terminus esse possit.

TRACTATUS

DE GRATIA

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE GRATIA

Ex Concilio Tridentino. (*Sess.* 6.)

DECRETUM CONCILII TRIDENTINI DE JUSTIFICATIONE.

CAPUT I. De naturæ et legis ad justificandos homines imbecillitate.

Primum declarat sancta Synodus, ad justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam, oportere ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, et, ut Apostolus inquit, natura filii iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati, et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.

CAPUT II. De dispensatione et mysterio adventus Christi.

Quo factum est ut cœlestis Pater, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Christum Jesum, Filium suum, et ante Legem, et Legis tempore, multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit; ut et Judæos, qui sub Lege erant, redi-

meret; et gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Caput III. Qui per Christum justificantur.

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant : ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur; cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, et remissionem peccatorum.

Caput IV. Insinuatur descriptio justificationis impii, et modus ejus in statu gratiæ.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Caput V. De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, et unde sit.

Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum prævenïente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus

meritis, vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur : ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate posssit. Unde in sacris Litteris, cum dicitur : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur.

Caput VI. Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt : ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est : Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. Et, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, timor Domini expellit peccatum. Et, Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare quæcumque mandavi vobis. Denique, Præparate corda vestra Domino.

CAPUT VII. Quid sit justificatio impii et quæ ejus causæ.

Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei et Christi ac vita æterna : efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat, signans, et ungens Spiritu promissionis sancto; qui est pignus hæreditatis nostræ : meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus; qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit : instrumentalis item, sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio : demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo; neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam et otiosam esse; et, in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per caritatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi sacra-

mentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem; quam sine spe et caritate fides præstare non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque veram et Christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam et immaculatam, jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeant vitam æternam.

Caput VIII. Quomodo intelligatur impium per fidem et gratis justificari.

Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire : gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.

Caput IX. Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum : nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum est; cum apud hæreticos et schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, et magna contra Ecclesiam catholicam contentione prædicetur vana hæc et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est oportere eos qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari,

nisi eum qui certo credat se absolutum et justificatum esse; atque hac sola fide absolutionem et justificationem perfici : quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet : sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Caput X. De acceptæ justificationis incremento.

Sic ergo justificati, et amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem : hoc est, mortificando membra carnis suæ et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur, sicut scriptum est : Qui justus est justificetur adhuc. Et iterum : Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus : Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum.

Caput XI. De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.

Nemo autem, quantumvis justificatus liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet : nemo temeraria illa et Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus : quod utique cum divino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mor-

tali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis, et verax : Dimitte nobis debita nostra. Quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste et pie viventes, proficere possint per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Ita nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur. Nam et Christus ipse, ut inquit Apostolus, cum esset Filius Dei, didicit ex eis quæ passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Propterea Apostolus ipse monet justificatos, dicens : Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans : sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Item princeps Apostolorum Petrus : Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Unde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri : atque etiam eos qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam; cum scriptum sit : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem; et de Moyse dicat Apostolus, quod respiciebat in remunerationem.

CAPUT XII. Prædestinationis temerariam præsumptionem cavendam esse.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum : quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat; nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit.

CAPUT XIII. De perseverantiæ munere.

Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit : quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseverenter stet, et eum qui cadit restituere : nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. Verumtamem qui se existimant stare, videant ne cadant; et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate : formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti : Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

CAPUT XIV. De lapsis, et eorum reparatione.

Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo, per Pœnitentiæ sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint : hic enim justificationis modus est lapsis reparatio : quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ

tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt. Unde docendum est christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem ; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia ; non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali ; quæ, ut sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptum est : Memor esto unde exciderís : Age pœnitentiam, et prima opera fac. Et iterum : Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Et rursus : Pœnitentiam agite ; et : Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Caput XV. Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.

Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo : quæ a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes qui lethalia committunt peccata ; a quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.

CAPUT XVI. De fructu justificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.

Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservarint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et : Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa ; et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a justo Judice sibi reddendam : non solum autem sibi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus; cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat : quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent : nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur : cum Christus, Salvator noster, dicat : Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur ; neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei : quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur; illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit promittat Christus eum non esse sua mercede

cariturum; et Apostolus testetur id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis : absit tamen ut christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, judicare : quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei : qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua.

Post hanc catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit; placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

CANONES DE JUSTIFICATIONE.

Can. 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.

Can. 2. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium, sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit; anathema sit.

Can. 3. Si quis dixerit, sine prævenientе Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.

Can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti

atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.

Can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit; aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.

Can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

Can. 7. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

Can. 8. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.

Can. 9. Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit.

Can. 10. Si quis dixerit, homines, sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.

Can. 11. Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

Can. 12. Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

Can. 13. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse ut credat certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

Can. 14. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum : et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.

Can. 15. Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

Can. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

Can. 17. Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, ut pote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

Can. 18. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

Can. 19. Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

Can. 20. Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

Can. 21. Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

Can. 22. Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

Can. 23. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat numquam vere fuisse justificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.

Can. 24. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, neque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.

Can. 25. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

Can. 26. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.

Can. 27. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.

Can. 28. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse christianum; anathema sit.

Can. 29. Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide, amissam justitiam recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino et ejus Apostolis edocta, huc usque professa est, servavit et docuit; anathema sit.

Can. 30. Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ tem-

poralis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit.

Can. 31. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

Can. 32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

Can. 33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de justificatione, a sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri, derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Ut tuto pede incedamus, paucis præmonere juvat — 1. quænam sint præsentis Tractatus objectum et utilitas; — 2. quid nomine gratiæ veniat; — 3. quis sit generalis conspectus catholicæ doctrinæ de gratia Christi, et quo ordine exponenda sit.

I. *Tractatus objectum et utilitas.*

1. — **I. Objectum.** Christus Jesus, per sacrificium in ara crucis oblatum, pro peccatis hominum perfectissime satisfecit ordinemque supernaturalem, ex quo humanum genus ob Adæ prævaricationem exciderat, instauravit. Homines igitur lapsos non tantum ad finem suum supernaturalem, visionem scilicet intuitivam, erexit, sed etiam media promeruit ac præparavit, quibus ad sanctitatem et æternam beatitudinem pertingere possint, gratiam nempe, quæ velut præcipuus meritorum Christi Domini effectus merito habetur. De hac quidem disserendi haud unus jam nobis locus fuit, ut videre est tum in Tractatu *de SS. Trinitate*, ubi de missione invisibili divinarum personarum (Cf. n. 62-66); tum in Tractatu *de Deo Creatore*, ubi de notione status supernaturalis, Angelorumque et hominum elevatione (Cf. n. 3, 44-48, 128-134); tum in Tractatu *de Deo Redemptore*, ubi de sanctitate Christi hominis, ejusque Beatissimæ matris Virginis Mariæ (Cf. n. 68-76, 162). At doctrinæ ordo postulat, ut ea quæ in citatis locis vix attigimus, data opera specialique discursu nunc evolvantur. En ergo præsentis de Gratia Tractatus objectum, atque ideo præstantia.

2. — **II. Utilitas.** Quanti sit momenti doctrinæ catholicæ de gratia expositio quisque facile intelligit, modo advertat — 1. illud dogma cum cæteris christianæ fidei veritatibus tam intime connecti, ut qui recte de eo non sentit, alia fidei capita servare nequeat; — 2. plurima et gravissima consectaria

circa vitam christianam practice instituendam et recte ducendam ex eadem doctrina promanare; — 3. Ecclesiam maxima cura quovis tempore invigilasse, ut ea quæ ad gratiam spectant, recte fidelibus exponerentur ac sollicite contra hæreticorum cavillationes defenderentur. Hæc sedulo recogitent clerici, qui haud raro præsentem materiam ægre admodum adeunt.

II. *Gratiæ in genere notio.*

3. — I. Gratiæ definitio. — Quoad *nomen*, *gratia*, græce χαρις, multiplici acceptione apud auctores sacros usurpari solet, nempe sumitur — 1. pro *elegantia* tum oris, tum sermonis; sic dicitur (*Prov.*, XXXI, 30) : « Fallax *gratia* et vana est pulchri» tudo » ; — 2. pro *favore* vel *benevolentia*, qua quis alteri est gratus aut acceptus : « Invenisti *gratiam* apud Deum, » ait Arch. Gabriel ad Virginem Mariam; — 3. pro *gratitudine* seu animi officio, quo ei nos obnoxios profitemur, qui de nobis sit bene meritus. In hunc sensum David dixit : « Ego reddam » *gratiam*, eo quod fecistis verbum istud ; » — 4. pro *omni dono gratis* alteri collato, et hæc quidem acceptio maxime ad nostrum institutum facit.

Notandum vero est gratiam sic intellectam, secundum quamdam latam vocis significationem, comprehendere non tantum bona naturæ indebita, sed etiam omnia dona naturalia, quæ videlicet intra naturæ limites continentur, qualia sunt creatio, et dona naturæ debita. Attamen, juxta usum Scripturæ et Patrum, nomine gratiæ simpliciter sumptæ veniunt dona naturæ indebita seu supernaturalia ; et hæc est gratia, de qua in præsenti tractatu sermonem habemus.

Jam vero quoad *rem*, gratia ita definiri potest : « *Donum supernaturale creaturæ rationali gratis a Deo concessum, aliquo modo pertinens ad vitam æternam.* »

Dicitur — 1. *Donum*, quæ quidem vox significat gratiam revocandam esse ad effectum dilectionis divinæ erga hominem.

Dicitur — 2. *Supernaturale*, ut a gratia secernantur bona ordinis mere naturalis. Hac igitur voce a gratia excluditur omne debitum sive *naturæ*, siv *personæ* (Cfr. Tract. *de Deo*

Creatore, n. 3), non vero debitum naturæ jam elevatæ et personæ ex et cum gratia agentis, ex quo homo ex operibus in gratia factis habet jus ad gratiam aliam et visionem beatificam; quæ idcirco secundum S. Augustinum gratia *ex gratia* vel *pro gratia* vocantur. Imo ad gratiam quadamtenus pertinent hujusmodi dona, quæ, licet creaturam non elevent ultra naturæ ordinem, ex nullis principiis naturæ consequuntur aut exiguntur, et idcirco *præternaturalia* nuncupantur.

Dicitur — 3. *Creaturæ intellectuali a Deo concessum;* quibus verbis indicatur, sive subjectum gratiæ, Angelus videlicet et homo; sive causa principalis efficiens talis doni, de qua dicitur (*Ps.* LXXXIII, 12) : « *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* »

Dicitur — 4. *Aliquo modo pertinens ad vitam æternam;* sic exprimitur causa finalis gratiæ, quæ, ait Suarez, « esse debet ex providentia supernaturali, ac subinde propter spiritualem finem vel recipientis vel aliorum. » Illud vero fieri potest duplici modo, vel *ab intrinseco et per se*, si agatur de donis, quæ ex natura sua ordinem dicunt ad æternam gloriam, qualia sunt gratia sanctificans, habitus et actus supernaturales; vel *extrinsece* tantum et *quasi per accidens*, si agatur de donis, quæ non per se et ex natura sua, sed ex divina ordinatione ad vitam æternam referuntur, quales sunt motiones internæ ad exercitium bonorum operum naturalium.

4. — II. Gratiæ divisio. Gratia universim sumpta, multifariam dividitur; præcipuæ vero ejus partitiones sunt :

1. In gratiam *Dei* et gratiam *Christi*. — Gratia *Dei* ea est, quæ a Deo procedit independenter ab interventu meritorum Christi; gratia vero *Christi* addit gratiæ Dei respectum ad Christum tanquam ad causam meritoriam. Unde ab ea entitative non differt, nec alium habet auctorem principalem.

Existentiam gratiæ, quæ non sit gratia Christi, affirmant Thomistæ; negant vero Scotistæ, quippe qui asserentes, Adamo non peccante, Verbum fuisse incarnatum, consequenter aiunt omnem gratiam, sive Angelis, sive protoparentibus ante lapsum a Deo concessam, nonnisi ob Christi merita decretam et datam fuisse. Quidquid sit de hac controversia, saltem tenendum est, et revera ab omnibus admittitur gratiam Angelis vel homini

innocenti concessam non ex meritis Christi *Redemptoris* ortum habuisse. Unde manet semper aliquod discrimen inter gratiam utriusque status.

2. In gratiam *externam* et *internam*. Gratia *externa* est illa quæ hominem intrinsece non afficit, sed tantum extrinsece, v. g., prædicatio evangelii, lex divina, Christi exemplum, cæteraque supernaturali Dei providentia ad nostram salutem ordinata. — Gratia vero *interna* ea est quæ hominem intrinsece afficit, sive inhærendo, qualis est gratia sanctificans, sive salutariter movendo, uti gratia actualis.

3. In gratiam *gratis datam* et *gratum facientem*. Gratia quæ *gratis data* nuncupatur, alicui conceditur principaliter ad aliorum salutem, vel certe non magis ad salutem propriam quam alienam procurandam, ut, v. g., donum prophetiæ, sermo sapientiæ, et cætera quæ Apostolus commemorat (I *Cor.*, XII); unde hæc gratia gratis data non conceditur per modum habitus animæ inhærentis, eamque coram Deo sanctificantis. — Gratia *gratum faciens* ea dicitur, quæ ad salutem propriam accipientis per se et proxime ordinatur, licet per accidens ad aliorum salutem quandoque conferatur, dum nempe alii opera nostra videntes, glorificant Patrem nostrum, qui in cœlis est.

4. In gratiam *actualem* et *habitualem*. Gratia *actualis* est auxilium quoddam supernaturale et transiens, quo vel intellectus illustratur, vel movetur et adjuvatur voluntas eo fine ut eliciantur actus, quibus sanctitas vel ejus augmentum obtineatur. — Gratia *habitualis* est qualitas supernaturalis homini permanenter et intrinsece inhærens, ipsumque formaliter sanctificans. Huic habituali gratiæ annectuntur virtutes infusæ et dona Spiritus sancti.

III. *Doctrinæ catholicæ de gratiâ Christi conspectus generalis dicendorumque ordo.*

5. — I. Doctrinæ catholicæ de gratia conspectus. Antequam doctrinæ catholicæ expositionem et probationem aggrediamur, opportune exhibendam judicamus brevem illius doctrinæ synopsim, ut quasi uno intuitu conspiciatur, quid sit

tenendum ac demonstrandum in totius tractatus decursu. Hæc autem tota versatur circa præsentem naturæ reparatæ statum, hominemque respicit, vel adhuc peccatorem, vel justificatum.

1. *De statu hominis peccatoris.* Per Adæ peccatum fuit debilitatum hominis liberum arbitrium; attamen non fuit amissum aut exstinctum; sed homo habet veram libertatem peccandi aut non peccandi; imo quædam opera bona ordinis naturalis sine gratia facere potest. — Homo lapsus nullum opus supernaturale sine gratia facere potest, nec ideo propriis viribus sese præparare ad justificationem. — Deus omni peccatori confert gratuita auxilia supernaturalia, seu gratias, quibus, si bene utatur, possit justificationem adipisci. — Peccator se disponit ad justificationem per actus supernaturales, quos elicit auxiliante gratia, sed libere.

2. *De statu hominis justificati.* Cum homo ad justificationem, auxiliante gratia, sese disposuerit, misericors Dominus, intuitu meritorum Christi, eum gratuito abluit et sanctificat. — Justitia supernaturalis non consistit in sola imputatione justitiæ Christi, vel in sola remissione peccatorum, sed in gratia et caritate, quæ in cordibus nostris per Spiritum S. diffunditur. — Hæc gratia animæ inhæret, et hominem intus renovat, ipsum constituit Dei amicum et cœli hæredem. — Justitia illa supernaturalis non est inamissibilis, nec æqualis in omnibus justis, sed bonis operibus augeri potest. — Homo justificatus debet legis præscripta adimplere, et potest bonis operibus suis, cum gratia factis, mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et, si tamen in gratia decesserit, ipsius vitæ æternæ consecutionem, ac etiam gloriæ augmentum.

6. — **II. Ordo dicendorum.** Ex modo dictis, gratia hominibus dispensatur vel per auxilia et subsidia, quibus ad justificationem se disponunt, in justitia et sanctitate perseverant ac bonis operibus vitam æternam merentur; vel per modum habitus intrinsece animæ inhærentis, in justificatione nimirum, qua ex filiis iræ, per divinæ naturæ consortium, in adoptionem filiorum Dei assumpti, actus vitæ æternæ meritorios eliciendi capaces efficiuntur; et hæc est divisio præcipua gratiæ, de qua supra jam actum fuit, in gratiam *actualem* et *habitualem*. Ita-

que ad totam hanc materiam ordinatim evolvendam, duæ partes erunt : prior de gratia *actuali*, posterior de gratia *habituali*.

PARS I.

DE GRATIA ACTUALI.

7. Gratiæ actualis partitiones. — Gratia actualis, ex dictis, ea est quæ per modum motionis transeuntis confertur; id autem multiplici ratione concipi potest; indeque multiplex distinguitur gratia actualis. Dividitur nimirum

1. In *medicinalem* et *elevantem*. Prior, inquit Perrone (*de Gratia*, p. 1, c. 1), hominem lapsum sanat ab infirmitate, quam per amissionem doni integritatis contraxit, eique præbet vires ab bene agendum, ad superandas tentationes atque ad malum declinandum. Posterior dat potestatem efficiendi actus supernaturales, id est, qui ordinem habent ad vitam æternam. Ex quo patet gratiam medicinalem esse quidem donum supernaturale *quoad modum*, non vero *intrinsece* et *quoad entitatem;* aliter dicendum est de gratia elevante. Utrum vero in præsenti ordine detur gratia, quæ sit tantum medicinalis et non elevans, non omnino constat, ut patebit ex dicendis.

2. In *operantem* et *cooperantem*. Gratia *operans* ea dicitur, per quam Deus salutares motus in nobis excitat illustrando intellectum et movendo voluntatem; unde vocatur etiam *excitans*, quia hominem quasi sopitum excitat, et *prævenien*s, eo quod omnem nostram deliberationem liberique arbitrii consensum prævenit. *Cooperans* vero ea est, per quam Deus efficit, ut gratiæ excitanti deliberate consentiamus; vocatur etiam *adjuvans*, quatenus nos adjuvat ad faciendum id ad quod excitati sumus a Deo; et *subsequens*, prout subsequitur voluntatis motum, quem gratia prævenien*s* operata est.

3. In *sufficieniem* et *efficaeem*. *Sufficiens* est illa, quæ dat

posse operari; *efficax* vero, quæ cum operatione conjungitur. Rursus gratia sufficiens duplex distinguitur, *proxime* scilicet et *remote* sufficiens. Proxime sufficiens ea est quæ completam et expeditam certum opus salutare peragendi potentiam affert, quin ulla necessaria sit actio prævia ad plenum obtinendum auxilium, adeo ut immediate possit homo præfatum opus peragere. Gratia autem remote sufficiens ea est, quæ, mediante tantum præviaque actione impetratoria aut dispositiva, cui obtinendæ par est, plenum homini obtinet auxilium, quo certum opus salutare statim efficere valeat; aliis verbis, gratia remote sufficiens medium suppeditat, quo gratia proxime sufficiens ad determinatum quoddam opus salutare obtineri tandem possit. Unde gratia remote sufficiens sub uno respectu, est sub alio respectu proxime sufficiens; est sufficiens remote respectu ipsius operis peragendi; proxime vero sufficiens relative ad medium, puta orationem, quo obtinebitur plenum auxilium ut perficiatur opus.

Ex præallatis divisionibus præcipuæ sunt in Tractatu *de Gratia* duæ posteriores, ideoque de his potissimum infra agetur.

8. Quibus prænotatis, in triplici capite disseremus — 1. de necessitate; — 2. de natura; — 3. de distributione gratiæ actualis.

CAPUT I.

DE GRATIÆ ACTUALIS NECESSITATE.

9. Ut Ecclesiæ doctrina in præsenti materia bene intelligatur, ab initio duplex in homine actuum genus distingui debet pro duplici ordine naturali vel supernaturali, in quo considerari potest; scilicet inter actus, qui ab homine eliciuntur, alii ipsi conveniunt in ordine naturali, quibus satisfacit legi naturali et in finem naturalem tendit, et dicuntur *ethice* vel *moraliter boni*; alii vero conveniunt homini in ordine supernaturali,

quibus tendit ad finem supernaturalem, et vocantur *salutares*, utpote ad salutem conducentes.

Jam vero quæritur — 1. utrum homo in præsenti statu aliquod opus ethice bonum absque gratia efficere possit; — 2. an saltem quadam gratia indigeat ad nonnulla opera ordinis mere naturalis; — 3. an præsertim ad actus ordinis supernaturalis gratia ei necessaria sit. Hanc igitur maximi momenti quæstionem in triplici articulo solvemus. Unde

ARTICULUS I.

An homo lapsus absque gratia aliquod opus ethice bonum efficere possit?

10. Errores. — Novatores XVI sæculi, cum existimaverint justitiam originalem necnon dona ei annexa ad essentiam humanæ naturæ spectare, logica illatione ducti asseruerunt hominem per peccatum intrinsece corruptum fuisse, ideoque cujusvis boni naturalis incapacem esse, nec alia facultate instructum nisi ad peccandum. Ex quibus ulterius inferunt ipsum *nondum renatum* in omnibus suis operibus peccare, atque nihil ab eo prodire quod non sit damnabile.

Eamdem fere doctrinam propugnarunt Baius et Jansenistæ; hi enim, mutuato Novatorum principio de statu primi hominis, statuerunt — 1. hominem lapsum sine gratiæ auxilio nullum omnino bonum morale efficere posse; — 2. fidem primam esse gratiam homini a Deo concessam, nullamque prorsus gratiam ante fidem dari; — 3. omnia igitur infidelium opera totidem esse peccata, atque philosophorum virtutes vitia esse æterna damnatione digna.

Demum non desunt theologi, qui, quamvis admittant hominem etiam in præsenti statu naturæ lapsæ quandoque bene agere posse absque gratia sanctificante, imo absque gratia fidei, putant tamen naturam humanam ita per peccatum infirmam evasisse, ut nullum opus bonum absque alicujus gratiæ actualis auxilio efficere possit. Ita card. Norisius et alii scholæ Augustiniensis. Eamdem fere sententiam tenuit Vasquez, sed rem aliter explicando; asserit quippe dari quidem posse actus

bonos naturalis ordinis sine ulla gratia speciali in voluntate, non tamen sine quodam auxilio *in intellectu*, quo moveatur ad habendam cogitationem congruam actus boni peragendi.

Contra hos errores sequentes assertiones statuimus :

11. Assertio 1ª : *Homo lapsus, absque gratia sanctificante, bonum opus naturale efficere potest, nec proinde omnia peccatorum opera sunt peccata.*

Est de fide, dicente concilio Tridentino (sess. 6, can. 7) : « Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, *vera esse peccata*... anathema sit. » Probatur vero

1. *Scriptura Sacra,* in qua Deus hortatur peccatores ad orationem, ad actus pœnitentiæ aliaque bona opera; sic (III *Reg.*, VIII, 38) legitur : « Si quis cognoverit *plagam cordis* » *sui* et *expanderit manus suas* in domo hac, *tu exaudies in* » *cœlo;* » item (*Ezech.*, XVIII, 30) : « *Convertimini et agite pœ-* » *nitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris;* » et (*Dan.*, IV, 2) : « *Peccata tua eleemosynis redime.* » Atqui Deus non hortatur ad peccatum. Ergo.

2. *Traditione.* SS. Patres unanimi consensu profitentur bona opera peccatoribus peragi posse. Audiantur præ cæteris Origenes (Hom. 5 *in Isai.*, n. 2) dicens : « Etsi peccatores estis, orate Dominum. *Peccatores exaudit Deus* ; » et S. Augustinus, qui (Tract. 44 *in Joan.*, n. 1) in illa verba cæci nati : « *Scimus,* » *quia peccatores Deus non audit,* » sic se habet : « Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens diceret : « Do- » mine, propitius esto mihi peccatori ; » et ista confessio meruit justificationem, quo modo iste cæcus illuminationem. »

Idem confirmatur *auctoritate summorum Pontificum*, qui damnarunt sequentes propositiones Baii : « Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est » (n. 35); — « In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati » (n. 40).

3. *Ratione theol;* nam opera, quæ disponunt ad justificationem, non sunt peccata : atqui in adultis peccatoribus gratiam

sanctificantem præcedunt opera, quibus ad justificationem disponuntur, quales sunt actus fidei, spei, timoris, doloris, de quibus dicemus, ubi de justificatione. Ergo absque gratia sanctificante dari possunt opera bona. — Imo hujusmodi opera non tantum naturali honestate bona sunt, verum etiam supernaturali; quippe quæ ad justificationem non disponerent, nisi ejusdem ordinis essent ac forma ad quam disponunt. Ergo.

12. Assertio 2ª : *Sine fide christiana, homo lapsus aliquod bonum ordinis naturalis facere potest.*

Explic. Hic agitur de opere ab infideli patrato, de opere, inquam, in se et in circumstantiis suis bono, v. g., de eleemosyna, quæ fit debitis in circumstantiis ob illius rectitudinem naturalem, videlicet ad pauperis sublevationem, sine ulla ulteriori relatione ad idolum; porro actus iste dicitur bonus non quidem bonitate supernaturali et ad salutem utili, sed bonitate naturali, quia in Deum, ut naturæ auctorem, totius rectitudinis et bonitatis fontem, proprio pondere refunditur.

Prob. 1. *Scriptura Sacra;* legitur enim (*Rom.*, II, 14) : « Cum *gentes*, quæ legem non habent, *naturaliter* ea quæ » legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi » sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, » testimonium reddente illis conscientia ipsorum. » In illo textu manifeste agitur de bonis operibus : atqui illa opera ab infidelibus fuerunt peracta; nam per gentes illas intelligendi sunt vel infideles in infidelitate adhuc constituti, vel infideles jam ad fidem christianam conversi : porro posterius dici nequit; etenim dici non potest gentes ad Christum conversas legem non habere, ipsas sibi esse legem, agere tantum juxta testimonium quod illis reddit conscientia ipsorum. — Insuper sequens Baii propositio a SS. Pontificibus fuit damnata (n. 22) : « Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli (*Rom.*, II, 14) : « *Gentes quæ legem non habent...*, » intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. » Ergo saltem Pelagianis non sunt adscribendi, qui textum illum de gentilibus intelligunt.

Prob. 2. *Traditione.* Etenim SS. Patres aperte docent paganos, judæos et hæreticos absque fide et Evangelio Christi habere posse caritatem humanam, et aliqua facere sapienter et

sancte. Sic S. Hieronymus (in c. 1 *Epist. ad Galatas*, § *Quum autem*) ait : « Multi *absque fide et evangelio Christi*, vel sapienter faciunt aliqua, vel *sancte*, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant. « — S. Augustinus (serm. 349, *de temp.*, c. 1, 2, alias serm. 52) : « Caritas alia est divina, alia humana : *alia humana licita*, alia illicita...; liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere uxores, diligere amicos vestros...; sed videtis illam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, judæorum et hæreticorum. »

Confirmatur damnatione sequentis Baii propositionis : « Omnia infidelium opera et philosophorum virtutes sunt vitia. » — Alexander VIII, anno 1690, hanc pariter damnavit : « Necesse est infidelem in omni opere peccare. »

Prob. 3. *Rat. th.* — 1. Ex morum principiis, illa actio bona est, cujus objectum, circumstantiæ et finis sunt bona; atqui tales esse possunt quædam infidelium actiones; de possibilitate bonitatis ex parte objecti et circumstantiarum libenter nobiscum conveniunt adversarii : de sola proinde bonitate finis agendum est : porro finis iste bonus facile admitti potest, si nempe supponantur infideles qui agant ob misericordiam vel rectitudinem naturalem, quæ illis actibus inest; nam si finis agentis in illo casu malus esset, id foret, vel quia infidelis ex infidelitate semper ageret, vel quia actus ad Deum non refunderetur : atqui neutrum dici potest. Infidelis non semper agit ex infidelitate, sicut justus ex caritate quandoque non operatur; sicut igitur justus peccata venialia quandoque efficit, ita infidelis aliquoties bona opera facere valet. Actus autem naturaliter bonus refunditur in Deum proprio pondere, quia Deus est fons omnis rectitudinis ac bonitatis. — 2. Ex opposita doctrina absurdæ deducuntur consecutiones, scilicet : gentilem naturali pietate parentes colentem, misericordiæ motu eleemosynam largientem, et alia similia facientem, peccare et deteriorem fieri; et ideo nunquam liceret ista consulere etiam ad majus malum vitandum; numquam enim licitum est aliquem ad minimum etiam malum directe inducere; porro hæc sane repugnant; ergo.

13. Assertio 3ª : *Homo lapsus propriis viribus, et sine ulla gratia, opus aliquod bonum ordinis naturalis facere potest.*

PROB. 1. *Scriptura Sacra,* textu nempe Apostoli (*Rom.*, II, 14), in quo dicitur opera aliqua infidelium bona fieri *naturaliter*, testimonio conscientiæ : hæc namque verba indicare videntur infideles opera illa perficere posse solis viribus naturæ et absque ullo gratiæ auxilio ; ergo.

PROB. 2. *Traditione.* Ex SS. Patribus audire juvabit S. Chrysostomum et S. Augustinum. Primus (Hom. 2, *in epist. ad Eph.*, n. 3) ait : « Indidit Deus naturæ nostræ quoddam amatorium, ut alter alterum invicem diligamus : *omne animal,* inquit Eccl. (XIII, 19), *diligit simile sibi*; sic et omnis homo *proximum sibi ;* vides quod *virtutum semina habemus a natura.* » — S. Augustinus (Lib. *de Correptione et gratia*, c. 11, 31) dicit : « Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem *parum* est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. » Si parum potest, ergo *aliquid* potest.

Suffragantur SS. Pontifices, qui sequentes damnarunt propositiones — 1. Baii : « Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet » (n. 27); — « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit » (n. 37); — 2. Quesnelli : « Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia salvatoris » (n. 38). « Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum ; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonnm » (n. 39). Quamvis illæ propositiones damnatæ fuerint in sensu Baii et Quesnelli, id est, in sensu necessitatis gratiæ sanctificantis, attamen ex earum damnatione non spernendum deducitur argumentum in favorem nostræ assertionis, ut patet.

PROB. 3. *Ratione.* Si enim homo absque gratiæ auxilio nullum opus bonum efficere posset, id esset, vel quia actus moraliter undequaque bonus libero arbitrio gratia destituto per se impossibilis foret, vel quia ob extrinseca impedimenta adeo difficilis esset, ut ad vincendam difficultatem gratiæ auxilium semper et in omni casu necessarium esset. Porro neutrum dici

potest; nam ex una parte talis actus est in substantia naturalis, et aliunde experientia constat sæpissime nullam occurrere difficultatem in exercendo aliquo actu virtutis, v. g., misericordiæ, reverentiæ. Ergo.

Nec aliter sentit D. Thomas; ait enim (1. 2, q. 109, art. 2): « Quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ, *per virtutem suæ naturæ*, aliquod bonum particulare agere, non tamen totum bonum suum connaturale, ita quod in nullo deficiat, sicut homo infirmus potest per seipsum habere aliquem motum, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ: ergo homo sine gratia potest aliqua bona opera naturalia facere. »

14. Scholium. Quæ hactenus dicta fuere, satis ostendunt hominem lapsum sine gratia aliquod opus ethice bonum efficere posse. Si vero quæratur an dentur bona opera, quæ sine ullo gratiæ adjutorio fiant, non concordant theologi.

Nonnulli, licet fateantur hominem solis naturæ viribus quædam opera naturaliter bona operari posse, putant tamen Deum semper etiam gentilibus præsto esse gratia sua eaque supernaturali, qua ipsorum opera bona eleventur ad ordinem supernaturalem, ita ut quodvis opus honestum, in præsenti providentiæ ordine, sit opus bonum supernaturale.

Sed communior theologorum sententia tenet dari quædam opera bona quæ sine gratia efficiuntur. Ratio est — 1. quia Concilium Tridentinum (sess. 6, can. 1) clare supponit fieri quædam opera per humanæ naturæ vigorem sine ulla necessitate gratiæ, eaque bona esse. En verba Concilii: « Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires... fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram Deo, anathema sit. » Sane ridiculum esset concilium docere opera per solas naturæ vires facta non sufficere ad justificationem, si nulla darentur hujusmodi opera. — 2. Si absque gratiæ auxilio nullum opus bonum naturalis ordinis daretur, id esset, ut volunt adversarii, ob legem positivam providentiæ supernaturalis, qua Deus elevans naturam ratio-

nalem ad finem supernaturalem, statuisset nullum virtutis moralis actum ab homine producendum esse, quin voluntas ejus auxilio intrinsece supernaturali præveniretur. Sed hujusce legis existentia minime constat; ex variis enim testimoniis Scripturæ, Conciliorum et Patrum, quæ in medium ab adversariis afferuntur, nisi cum aliqua restrictione intelligantur, concludendum esset non modo nullum actum bonum fieri, sed nec etiam fieri posse sine gratia : quod sane non admittunt fautores alterius opinionis.

ARTICULUS II.

An et quatenus gratia homini lapso necessaria sit ad nonnulla opera ordinis naturalis peragenda?

15. Hic nobis res est non tantum cum Pelagianis, Semi-pelagianis et hodierni naturalismi sectatoribus, quorum placita in sequenti articulo exponemus, sed etiam cum nonnullis theologis catholicis, qui legis naturalis observantiam, omniumque tentationum, etiam gravium, victoriam, ex motivo honestatis naturalis, libero arbitrio absque gratia tribuerunt.

§ I. De necessitate gratiæ ad legis naturalis observantiam.

16. Prænotanda. I. Præcepta legis naturalis, alia sunt *faciliora*, alia vero *difficiliora*, qualiá sunt, v. g., actus *pœnitentiæ*, qui sit perfecta peccati detestatio, actus *dilectionis inimicorum*, actus *continentiæ*. — Insuper duplici modo observari possunt, scilicet *quoad substantiam* et *quoad modum*; quoad *substantiam*, quando actus, qui præcipitur, totus quidem fit, sed ita ut nihil præter suam bonitatem moralem habeat; quoad *modum*, si actus, qui præcipitur, fit ex caritate et modo salutis meritorio. — Tandem lex naturalis considerari potest vel prout obligat ad actus naturales tantum, vel prout obligat etiam ad actus supernaturales, si nempe a Deo præcipiantur : legis enim naturalis præceptum est creaturam in omnibus Creatori suo obedire.

17. — II. Jam vero certum est. — **1.** Hominem sine gratia adimplere posse præcepta saltem faciliorá legis naturalis; se-

cus dicendum foret nullum opus bonum sine gratia fieri posse; quod falsum esse jam probavimus.

Certum est — 2. Nullum præceptum legis naturalis impleri posse modo ad salutem utili sine gratia supernaturali, quæ, ut infra probabitur, ad quemvis actum salutarem necessaria est.

Certum est — 3. Legem naturalem sine gratia observari non posse, prout de facto obligat ad actus supernaturales, v. g., *fidei*, *spei*, *caritatis*. Ratio eadem est ac supra, et fusius evolvetur in sequenti articulo.

18. Superest itaque quæstio utrum gratia necessaria sit ad servandam totam legem mere naturalem *quoad substantiam operis*. Pro cujus solutione sit sequens

Assertio : *In præsenti statu naturæ lapsæ, non potest homo absque gratia omnia legis naturalis præcepta quoad substantiam servare.*

PROB. 1. *Scriptura Sacra.* Etenim (*Sap.*, VIII, 21) legitur : « Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, *nisi* » *Deus det...*, adii Dominum, et deprecatus sum » : porro sive ille textus de temperantia in genere, sive de continentia in particulari, uti communiter sumitur, intelligatur, manifestum est dari præcepta, quæ, non nisi adjuvante Deo, observari possunt. — Item (*Jac.*, III, 8) : « Linguam nullus hominum » domare potest. » Attamen lex naturalis linguæ cohibitionem præcipit. — Tandem B. Paulus in epistola ad Romanos non obscure docet fomitem peccati seu concupiscentiam omnibus communem maxime obstare, ne legem naturalem adimplere possimus : unde ait (VII, 23) : « Video aliam legem in mem- » bris meis repugnantem legi mentis meæ. » Quibus mox subjungit : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore » mortis hujus? » Ac tandem sibi respondens subdit : « *Gra-* » *tia Dei* per Jesum Christum Dominum nostrum. » Porro ex his verbis manifeste apparet legem naturalem sine gratia impleri non posse. Ergo.

PROB. 2. *Ex S. Augustino*, qui (*Conf.*, lib. 10, c. 29, n. 40), post relata Sapientiæ verba : *ut scivi...*, his verbis Deum deprecatur : « Continentiam jubes; *da quod jubes*, et jube quod vis; » — et (c. 37, n. 60) : « Imperas nobis et in hoc genere

(linguæ) continentiam : *da quod jubes*, et jube quod vis. » Ergo ex S. Aug. sine gratia impleri nequeunt omnia præcepta legis naturalis.

Prob. 3. *Ratione*. Nam, si absque gratia lex naturalis servari posset, saltem ab aliquibus servata fuisset : atqui nemo gratia Dei non adjutus totam legem naturalem unquam servavit. — Accedit quod voluntas hominis ita per peccatum depravata fuit, ut, nisi sanetur, ex se præstare non possit opus præstantissimum, quale est totam legem naturalem servare.

Ex his merito infertur ipsum hominem justum, gratia habituali jam ornatum, speciali gratia actuali indigere ad diu et semper observandam totam legem naturalem.

Quod vero attinet ad genus impotentiæ, qua laborat homo in implenda lege naturali, necnon propriam indolem gratiæ ipsi ad hunc finem necessariæ, infra videbitur quid ea de re opinentur theologi.

§ II. De necessitate gratiæ ad tentationes vincendas.

19. Prænotanda. — I. Tentatio est motivum humanum a bono faciendo avertens, vel ad malum quod hic et nunc vitandum esset, incitans. — Tentatio est gravis vel levis. Tentatio *levis* ea est quæ vel ex parte intellectus parvam habet suasionem, vel ex parte appetitus debilem inclinationem, vel ad momentum seu brevissimo tempore durat, quamvis alioquin vehemens videatur. Tentatio vero *gravis* est illa, quæ pertinaciter, moleste ac multo tempore suadet, etiamsi pro singulis temporibus non sit admodum vehemens. — Insuper triplici modo tentatio vinci potest, scilicet : — *peccaminose*, nempe alteri cedendo tentationi, ut si quis avaritiam vincit ex vana gloria; — *meritorie et salubriter*, seu ex motivo supernaturali; — *naturaliter* et modo ad salutem sterili, id est, propter motivum honestatis naturalis.

20. — II. Porro certum est — 1. tentationes leves sine ulla gratia vinci posse; nam, ex dictis, homo sine gratia aliqua præcepta implere potest; ergo et quasdam tentationes superare. Adde quod Scriptura, Patres et Concilia non dicunt hominem sine Dei gratia semper et omnibus etiam levissimis

tentationibus succumbere, sed quod homo sine gratia Dei non possit in genere resistere tentationibus, id est, ita se gerere quin pluribus succumbat etiam levibus.

Certum est — 2. Dei gratiam minime concurrere ad illam victoriam, qua homo tentationem unam superat, alteri cedendo; Deus enim neminem ad peccandum adjuvat.

Certum est — 3. hominem, sine gratia supernaturali, non posse tentationem aliquam, etiam levem, salubriter et fructuose ad vitam æternam superare. Ratio ex dicendis infra patebit.

21. Igitur quæstio est utrum homo absque gratia tentationes graves vincere possit, victoria non salutari, sed sufficienti ad peccatum vitandum; pro qua sit sequens

Assertio : *Homo lapsus, sine gratia, graves tentationes vincere nequit, etiam victoria sterili ad salutem.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra,* scilicet tum ex textu Sap. (VIII, 21) : « Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, *nisi* » *Deus det*, » tum ex aliis locis, in quibus orationis necessitas indicatur; sic (*Matth.*, XXVI, 41) legitur : « Vigilate et *orate*, » *ut non intretis in tentationem*; » et (*Ps.* XVII, 30) : » *In te eripiar a tentatione.* »

Prob. 2. *Traditione.* S. Cœlestinus papa (in sua *ad Gallos* epistola, c. 6) ait : « Nemo etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adjutorium. » Jam vero, si ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias requiritur quotidianum Dei adjutorium, manifestum est hominem non posse sine gratia vincere graves tentationes. — S. Augustinus (lib. *de Perfectione justitiæ*, cap. ult.) dicit anathematizandam esse doctrinam asserentem non esse necessarium Dei adjutorium ad non peccandum : atqui, si homo posset propriis viribus omnes superare tentationes, posset etiam omne peccatum vitare, quia quod inducit in peccatum est ipsa tentatio. Ergo.

Insuper damnata fuit a synodo Diospolytano sequens Pelagii propositio : « Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio. »

PROB. 3. *Ratione.* Ex dictis, homo lapsus non potest omnia præcepta legis naturalis observare propriis viribus; ergo nec omnibus tentationibus resistere. — Et vero homo nonnisi ex præmeditatione rationis aliquid agere potest præter inclinationem habitus. Atqui ratio non potest semper esse in tali præmeditatione; ergo non potest contingere, ut diu permaneat, quin operetur secundum convenientiam voluntatis deordinatæ, nisi cito a Deo per gratiam ad debitum ordinem reparetur.

22. Corollarium. Ex jam dictis legitime eruitur hominem lapsum, sine gratia actuali, omnia peccata mortalia vitare non posse. Imo ad diu vitanda hujusce modi peccata contra graves tentationes, præter gratiam actualem, requiritur gratia habitualis, qua voluntas ad suum finem ultimum firmiter et habitualiter convertatur. — De peccatis vero venialibus speciatim agemus in sequenti articulo.

§ III. De necessitate gratiæ ad naturalem Dei dilectionem.

23. Prænotanda. Duplex est Dei amor : *naturalis* unus, quo Deus diligitur, prout naturaliter cognoscitur, scilicet ut creaturarum et *naturæ* auctor ; *supernaturalis* alter, quo Deus, amatur, ut *gratiæ* auctor. — Ille autem duplex amor potest esse *effectivus*, vel *affectivus; effectivus*, si conjunctam habeat externam et realem mandatorum executionem; *affectivus* tantum, quando consideratur abstractione facta ab hac mandatorum executione. — Tandem amor affectivus potest esse *perfectus* vel *imperfectus; perfectus*, si Deus sic diligitur, ut omnibus omnino rebus anteponatur; *imperfectus*, si Deus non sic diligitur, ut omnibus rebus creatis anteponatur.

24. — II. Quibus enucleatis, certum est — 1. hominem sine gratia Deum amore *supernaturali* diligere non posse; ratio evidens est.

Certum est — 2. hominem lapsum sine aliqua gratia Deum amore *naturali effectivo*, saltem *ad longum tempus*, vel cum urget *gravis tentatio*, diligere non posse; nam probavimus supra hominem sibi derelictum non posse totam legem naturalem diu servare, aut gravem tentationem vincere.

Certum est — 3. hominem, in statu præsenti, absque ulla

gratia Deum ut auctorem naturæ amore *affectivo imperfecto*, amare posse; nam, cum bonum naturæ, ex dictis supra, non sit per peccatum penitus exstinctum, potest homo propriis viribus facere aliquod bonum morale facile, qualis est ille amor imperfectus Dei per lumen naturale cogniti. — Insuper voluntas naturaliter amare potest quod ut amabile intellectus naturaliter cognoscere potest : atqui intellectus naturaliter cognoscere potest Deum esse, tum summum bonum propter se amabile, tum nostrum summum bonum; ergo voluntas potest solis naturæ viribus Deum amare, tum amore benevolentiæ, id est, quia Deus in se bonus est, tum amore castæ et laudabilis concupiscentiæ, id est, quia Deus nobis bonus est (Suarez, *de Gr.*, lib. 1, c. 29).

25. Itaque quæstio nunc est de amore Dei *naturali affectivo et perfecto*, an scilicet in præsenti statu homo sine gratia ita Deum diligere possit. Porro duplex datur sententia, una affirmans, quam sequuntur Molina et alii plures; altera negans, quam post D. Thomam tenent Bellarminus et Suarez. Huic sententiæ posteriori, utpote communiori et veriori et nos subscribimus. Sit itaque sequens

26. Assertio : *In præsenti statu, homo non potest absque gratia Deum ut auctorem naturæ diligere amore affectivo perfecto.*

Prob. 1. *Auctoritate;* nam — 1. S. Augustinus (Epist. 107) dicit : « Liberum arbitrium *ad diligendum Deum* primi peccati granditate perdidimus; » et (serm. 15) : « Deus non amatur *nisi de Deo*. » Porro, in his et aliis similibus locis, S. Doctor non tantum de amore supernaturali, sed etiam de amore naturali loqui intendit, si quidem Pelagiani, contra quos agit, simpliciter asserebant Deum posse diligi sine gratia. — 2. Concil. Araus. hæc habet contra Pelagianos : « Credere debemus, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea diligere Deum, sicut oportet, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ prævenerit. » Jam vero nemo non videt Concilium impotentiam Deum amandi non ex supernaturalitate actus, bene vero ex infirmitate naturæ per peccatum repetere. Nec obstant verba « *sicut oportet* »; nam qui Deum

ut auctorem naturæ amore sincero super omnia diligit, illum diligit sicut oportet in hoc ordine. — 3. S. Thomas (1. 2, q. 109, art. 3) suam sententiam ea de re sic exponit : « Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturæ corruptæ *indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.* » Nec dicatur Angelicum Doctorem loqui de amore Dei *effectivo*; ex toto enim contextu evidens est ipsum loqui de actu simplici voluntatis, quo quis Deum super omnia diligit, abstrahens ab observatione mandatorum, de quibus in artic. seq. tractabit.

Prob. 2. *Ratione.* Voluntas non potest per vires suas naturales efficaciter velle, quod præstare per easdem vires est sibi impossibile; atqui, ex dictis, homo lapsus non potest sine gratia omnia præcepta naturalia adimplere; ergo nec etiam illud potest efficaciter velle, ac proinde sine gratia Deum amore affectivo super omnia diligere nequit (Suarez, *de Grat. act.*, c. 34, n. 17). — Confirmatur ex eo quod natura infirma propriis viribus in actionem perfectissimam, qualis est dilectio Dei super omnia, prodire nequeat, nisi prius sanetur. Ergo.

27. Scholium. Priusquam huic quæstioni de necessitate gratiæ ad opera ordinis mere naturalis finem imponamus, nonnullas observationes subjicere juvat tum circa genus impotentiæ, qua laborat homo lapsus ad efficienda prædicta ordinis naturalis opera, tum circa speciem gratiæ, cujus necessitatem probavimus, tum denique circa modum, quo homo in statu naturæ puræ eadem opera præstitisset.

I. Duplex impotentia distingui debet, *physica* et *moralis*. Impotentia *physica* consistit in physica seu entitativa improportione et ineptitudine facultatis ad aliquem actum, v. g., homo est physice impotens ad volandum. Impotentia *moralis* consistit in eo quod facultas aliqua, physice capax alicujus actus, impedimentis tamen ordinis moralis, quæ ad intellectum et voluntatem spectant, præpediatur, quominus actum ponat. Jam vero theologi communissime docent impotentiam servandi legem naturalem, aut vincendi graves tentationes, vel etiam

Deum ut auctorem naturæ amore perfecto diligendi, non esse *physicam*, sed *moralem* tantum : ratio est quia hujusmodi opera, utpote naturalia, cum viribus naturæ proportionem habere debent, ac proinde impotentia ea præstandi nunquam talis esse potest, ut libertatem auferat. Si vero quæratur quænam sit causa hujus moralis impotentiæ, respondere fas est illam remote quidem ex peccato originali, proxime vero ex privatione donorum justitiæ originalis oriri.

II. Quoad gratiam homini lapso necessariam ad opera supradicta modo supra explicato præstanda, omnes conveniunt ex rei natura et per se non requiri auxilium *entitative* supernaturale, seu, ut aiunt, *gratiam elevantem*, sed sufficere auxilium, quod in se ordinis naturalis sit, quamvis in præsenti statu supernaturale sit *quoad modum;* illud vero auxilium, quod nuncupari solet gratia *medicinalis*, vel *naturam sanans*, consisteret in illustratione intellectus et voluntatis motione, quæ ita homini obvenirent, ut talis cogitatio vel affectio in tali occasione fieri non posset per communem cursum causarum secundarum naturalium, vel per humanam industriam; ac proinde tale adjutorium haberet veram rationem gratiæ, præsertim si detur in ordine ad finem supernaturalem, sicut nunc datur.

Sed controvertitur inter theologos an præfatum auxilium, quod ex rei natura sane sufficeret, de facto sufficiat. Negant nonnulli, ex eo quod existiment dari legem Dei positivam per Scripturas, Concilia et Patres manifestatam, vi cujus requiritur gratia entitative supernaturalis. At communior sententia affirmat et contendit sæpius quidem fidelibus et justis conferri in supradictis casibus auxilia entitative supernaturalia, sed nulla ratione probari posse hujusmodi auxilia necessaria esse ob positivum Dei decretum (Cf. Suarez, *De gratia*, l. 1, cap. 27).

III. Superest ut inquiramus quomodo, in statu naturæ puræ, opera supradicta ab homine præstari potuissent. Fatentur theologi hominem, in statu naturæ puræ, non potuisse suis viribus totam legem naturalem servare, graves tentationes diu superare, nec etiam Deum amore naturali saltem effectivo diligere, ac proinde consentaneum fuisse divinæ sapientiæ et bonitati, ut hominibus conferrentur in hoc statu auxilia, qui-

bus possent hæc omnia præstare, atque ita ad suum finem naturalem pervenire. — Imo communiter admittitur hujusmodi auxilia homini debita fuisse, nec proinde supernaturalia dici posse sive *entitative*, sive *quoad modum*. — Si vero quæratur cur auxilia, quæ nunc ad eosdem effectus conferuntur, gratiæ nomen sibi vindicent, illud facile explicatur tum ex eo quod specialem doni indebiti rationem habeant, cum homo per peccatum illis positive indignus factus est; tum ex eo quod extrinsece ordinantur ad finem supernaturalem, removendo nempe obstacula ad hunc finem consequendum; tum denique ex eo quod, in præsenti ordine, loco hujusmodi auxiliorum naturalium justis et fidelibus plerumque conceduntur dona stricte supernaturalia.

ARTICULUS III.

An et quatenus gratia homini necessaria sit ad opera ordinis supernaturalis?

28. Exponuntur errores. — I. Primus est Pelagianorum, a Pelagio sic dictorum. Pelagius autem fuit patria Anglus, professione monachus, ingenio fortissimus et acutissimus. Præcipui ejus discipuli fuere Cœlestius et Julianus, Eclanæ in Campania episcopus. Porro, juxta Pelagium, Adæ peccatum, uti jam dictum fuit in Tractatu *de Deo creatore*, ipsi soli nocuit, non autem ejus posteris, nisi ratione pravi exempli: unde non datur peccatum originale, hominesque in eodem statu nunc existunt ac conditus fuit Adam. Ex his vero logice defluebat hominem solis liberi arbitrii viribus, secluso quocumque indebito auxilio, etiam nunc mandata universa servare, tentationes omnes superare, omniaque peccata declinare, imo vitam æternam promereri posse; ac proinde gratiam, si forte ei conferatur, non dari ut possit simpliciter, sed ut facilius possit.

Cum tamen catholici ab hac doctrina abhorrescerent, et gratiæ necessitatem proclamarent, dixerunt Pelagiani: — Gratiam esse necessariam; sed nomine gratiæ intelligebant naturam et liberum arbitrium. — Pressi, aliquam gratiam agno-

verunt, legem scilicit atque doctrinam Christi. — Iterum compulsi, adjecerunt Christi exemplum et imitationem. — Mox professi sunt remissionem peccatorum. — Eo tandem usque venerunt, ut agnoscerent interiorem illustrationis gratiam.

Hæc inter theologos satis constant: cujus autem generis esset hæc gratia, controvertitur. Probabilius est Pelagianos admisisse aliquam voluntatis gratiam; illa autem gratia non erat pro initio operum bonorum, dabatur juxta merita, nec erat necessaria ad agendum, sed utilis tantum.

II. Pelagianis affines sunt Semi-pelagiani, sic vocati, quia, erroribus Pelagii partim rejectis et partim retentis, ejus hæresim quasi dimidiarunt. Dicti sunt etiam *Massilienses*, eo quod Massiliæ frequentiores essent. Hoc autem erat ipsorum principium circa gratiæ necessitatem: stare non potest hominis libertas cum gratiæ gratuitæ et prævenientis necessitate ad omnem actum salutarem; non enim datur libertas, ubi reperitur gratiæ necessitas. Hoc posito, distinguebant fidem ab initio fidei; distinguebant pariter bonum opus ab initio boni operis. Per *initium fidei* intelligebant pium illum affectum, quo quis nondum credit, sed tamen ad ea credenda, quæ saluti necessaria sunt, inclinatur; per *initium* vero *boni operis*, intelligebant bonam illam affectionem voluntatis, qua homo nondum quidem perficit bonum opus, sed tamen illud perficere desiderat; porro agnoscebant necessitatem gratiæ, tum ad fidem perfectam, id est, ad verum actum fidei, tum ad bona opera facienda et exsequenda; sed necessitatem gratiæ rejiciebant tum ad initium fidei, tum ad inchoationem boni operis.

Præterea ex isto primo errore deducere pronum erat Semi-pelagianis gratiam *ex merito dari*, quatenus bona voluntas, quæ illam præcedit, eamdem meretur; ideoque hominem in bonis operibus ipsaque justitia solis naturæ viribus perseverare posse, prout scilicet voluntatem credendi necnon boni operis, per quam fidem et gratiam ad bonum opus perficiendum meretur, semper retinere ac conservare potest.

III. Demum Pelagianorum et Semi-pelagianorum theoriam alia forma proponunt hodierni Naturalistæ, qui, hoc innixi

principio, quod humana ratio habenda sit ut unicus ac supremus veri et falsi, boni et mali arbiter, in ordine intellectuali nullam revelationem, nullum mysterium, nullam fidem, nullam obligationem sese Ecclesiæ judicio submittendi admittunt; nec verentur clamitare prophetias et miracula in sacris litteris exposita et narrata, esse poetarum commenta, sacrosancta divinæ fidei nostræ mysteria esse philosophicarum investigationum summam, in divinis utriusque Testamenti libris mytica contineri inventa, et ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, horribile dictu ! mythicam esse fictionem; in ordine vero morali nullum agnoscunt peccatum originale, nullam redemptionem, nullam legem positivam divinam, nullam in Ecclesia auctoritatem præcipientem.

29. His præmissis, ut catholica doctrina stabiliatur contra Pelagianos et Semi-pelagianos, tria nobis probanda sunt, gratiam nempe homini necessariam esse — 1. ad omnes et singulos actus supernaturales; — 2. ad initium fidei et bonorum operum; — 3. ad perseverandum usque ad finem in accepta justitia.

§ I. De necessitate gratiæ ad actus supernaturales.

30. Opus *supernaturale* illud est, quod ad salutem, quam Deus hominibus ut finem proposuit, intrinsecam proportionem medii habet, et ad eam assequendam conducit. Hoc autem duplici modo concipi potest, prout nempe prædictum opus ad justificationem adipiscendam disponit, vel, ea jam adepta, gloriæ meritorium est. Agitur præsertim in hac quæstione de actibus primi generis, veramque doctrinam sequens contra Pelagianos declarabit

31. Assertio : *Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis.*

Est de fide, utpote ab Ecclesia definita. Sic enim se habet conc. Arausicanum II (can. 7) : « Si quis per naturæ vigorem *bonum aliquod*, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere... posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus S..., hæretico fallitur spiritu. »

— Concilium vero Tridentium (sess. 6, can. 3) hæc pronuntiat : « Si quis dixerit *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione* atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, *ut ei justificationis gratia* conferatur, anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua — 1. *omnimoda hominis per se inspecti impotentia in ordine supernaturali* repetitis verbis declaratur : huc nempe spectant textus, qui hominem exhibent ut *filium iræ* (*Eph.*, II, 13), tantaque incapacitate laborantem quoad consecutionem finis supernaturalis et ea quibus eadem annexa est, ut sit quasi *cæcus*, *mortuus*, *mancipium*, atque debeat per gratiam *liberari*, *illuminari*, imo *vivificari*, *regenerari* et *creari* ad eum finem obtinendum (Cfr. II *Cor.*, v, 14; *Eph.*, v, 8; *Rom.*, VI, 17; *Joan.*, III, 4, I *Pet.*, I, 23; *Jacobi*, I, 18; *Eph.*, II, 5). — 2. *Omnis operum sufficientia in Deum refunditur*; sic (*Joan.*, XV, 5) legitur : « Sine » me nihil potestis facere; » quæ verba sic interpretatur (Tract. 81, in Joan.) D. Augustinus : « Sine me, actu per gratiæ influxum faciente ut faciatis, nihil, sive multum, sive parum, ex iis quæ ad vitæ æternæ fructus pertinent, potestis operari. » — 3. *Singuli speciatim actus salutares Deo adjutori tribuuntur* : « Non sumus sufficientes, scribit Apostolus (II *Cor.*, » III, 5), cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed suffi- » cientia nostra ex Deo est; » item (*Philip.*, II, 13) : « Deus est » qui operatur in vobis velle et perficere, » et (I *Cor.*, XII, 3) : « Nemo potest dicere Dominus Jesus, *nisi in Spiritu Sancto* » (Cfr. Cercia, *de Gratia Christi*, 2. p., sect. 2, lect. 2).

Prob. 2. *Traditione;* hæc autem constat — 1. *ex unanimi consensu SS. Patrum*, qui sive post, sive ante exortam hæresim Pelagianam vixerint, manifeste docuerunt absolutam gratiæ necessitatem ad omnes et singulos actus salutares. Omnes norunt hanc fuisse præsertim S. Augustini sententiam, ipsamque a pluribus Pontificibus propositam esse tanquam publicum fontem, unde doctrina Ecclesiæ de gratia haurienda foret; — 2. *ex innumeris propemodum conciliis*, quæ contra Pelagianos habita fuere; numerantur quippe viginti quatuor, præter Ephesinum œcumenicum, atque Tridentinum, quibus eadem

hæresis novo ac solemni judicio profligata fuit; — 3. *ex praxi Ecclesiæ* hanc orandi formulam adhibentis : « Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatis a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Omne opus supernaturale rationem habet ad vitam æternam; ergo aliquam cum illa proportionem habeat necesse est; media enim ejusdem sunt generis ac finis : porro vita æterna vires naturæ superat; ergo et opus supernaturale, aliqua saltem ex sui parte, vires naturæ superare debet; ergo impossibile est sine gratia opus supernaturale.

Idem insuper confirmari potest ex analogia, quæ hominem inter et arborem fructiferam ab agricola ad fructus perfectioris generis producendos destinatam deprehenditur; arbor nempe fructus quidem juxta speciem suam producere valet; nunquam vero speciei nobilioris fructus producet, nisi agricola novum ramum ei inserat : ita homo ad finem supernaturalem a Deo evectus, etsi aliquid boni in ordine naturali et operari possit, novo ac supernaturali influxu indiget, ut idoneus efficiatur ad opera vitæ æternæ proportionata.

Cæterum, quamvis gratia homini ad supernaturaliter agendum necessaria sit, ipse tamen opera supernaturalia pro sua voluntate elicere potest, quia gratia semper illi adest; hæc quidem omnino gratuita est, Deusque liberrime homines ad statum supernaturalem ordinavit; posita vero illa ordinatione, gratias suas hominibus constanter largitur, nec unquam denegat; unde semper est in hominis potestate bonum supernaturale peragendi facultas.

32. Corollarium. Ex his omnibus facili negotio infertur — 1. impotentiam hominis ad actus supernaturales efficiendos esse non tantum moralem, sed physicam; natura quippe sine gratia nullam proportionem habet cum effectu supernaturali; — 2. gratiam non simpliciter medicinalem et sanantem, sed elevantem, ac proinde non tantum quoad modum, vel ex extrinseca ordinatione, verum etiam *entitative* et quoad *substantiam* supernaturalem, ad prædicta ordinis supernaturalis

opera necessariam esse; secus enim impotentiam hominis ad efficiendum opus supernaturale minime suppleret.

33. Scholium. Hic inquirere solent theologi utrum in homine justo ad omnes et singulos actus salutares necessaria sit gratia actualis elevans. Ratio dubitandi oritur ex eo quod anima justi per gratiam sanctificantem pluribus habitibus infusis donatur, quibus potentiæ intrinsece elevantur et complentur in ordine ad actus supernaturales.

At communissima theologorum sententia tenet etiam in homine justo necessariam esse gratiam actualem elevantem ad omnes et singulos actus pietatis; probatur vero

1. *Scriptura Sacra*, præsertimque illa similitudine ex vite et palmitibus ducta (*Joan.*, xv, 1-5), qua primo intuitu appareret justum hominem, præter gratiam habitualem, qua Christo unitur, jugi influxu actualis gratiæ indigere. Cæterum verba quæ adhibentur ad adstruendam gratiæ necessitatem, nullam distinctionem inter justos et peccatores faciunt.

2. *Auctoritate SS. Patrum*, et imprimis S. Augustini dicentis (Lib. *de nat. et grat.*, c. 26) : « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. » Idem asserit Concil. Trid., quod (sess. 6, c. 16) docet Christum tanquam caput in membra et tanquam vitem in palmites jugiter virtutem influere, quæ ipsorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur.

3. *Ratione*, et quidem duplici, juxta D. Thomam; una scilicet generali, « propter hoc quod nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ; » altera vero speciali, nempe « propter conditionem status humanæ naturæ : quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio, quantum ad carnem, per quam servit legi peccati...; remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam quid oremus, sicut oportet, nescimus » (S. Thomas, 1. 2, q. 109, a. 9).

§ II. De necessitate gratiæ ad fidei et salutis initium.

34. Ex jam dictis in exordio hujusce articuli, compertum nobis est quid per fidei atque salutis initium intelligendum sit. Jam vero, etsi argumenta in præcedenti quæstione adducta, non tantum contra Pelagianos, sed etiam contra Semi-pelagianos vim demonstrativam habeant, haud inutile erit peculiari discussione hanc posteriorem hæresim refellere. Sit ergo sequens

Assertio : *Sine Spiritus Sancti illuminatione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere ipsum fidei initium, nec cujuslibet operis salutaris desiderium.*

Est de fide, tum ob supra adducta fidei documenta, tum etiam ob plurimos concilii Arausicani II ab Ecclesia specialiter approbati canones, inter quos quintum recitare nos juvat : « Si quis sicut augmentum, ita etiam *initium fidei ipsumque credulitatis affectum*... non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Textibus in præcedenti quæstione memoratis hæc specialia addi possunt testimonia : Christus ipse (*Joan.*, VI, 14) dixit : « Nemo potest venire ad me, nisi » Pater, qui misit me, *traxerit eum.* » Apostolus vero (I *Cor.*, IV, 7) scribit : « Quis te discernit? Quid habes, quod non acce» pisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepe» ris; » et iterum (*Rom.*, XI, 35) : « Quis prior dedit illi, et » retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso » sunt omnia. » Hæc autem et similia omnino falsa esse, data Semi-pelagianorum sententia, nemo non videt. Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* Ex SS. Patribus satis nobis erit appellare S. Cyprianum (l. 3 *ad Quirin.*, c. 4) dicentem : « In nullo gloriandum, quando nostrum *nihil* sit; » S. Ambrosium, qui (lib. *de fuga sæculi*, c. 1, n. 1) ait : « Non in potestate nostra est cor nostrum et *nostræ cogitationes;* » et S. Gregorium Naz. (Orat. 44 *in Pentec.*, n. 11), cujus hæc proferri solent verba : « Qui dedit quod *primum est*, dabit et quod secundum est. »

Confirmatur etiam ex sensu et praxi Ecclesiæ, quæ semper

pro infidelibus orare consuevit, ut Deus fidei lumine eos illustret.

Prob. 3. *Ratione theologica.* Ex jam probatis gratia homini necessaria est ad quodvis opus salutare; porro initium fidei ac salutis desiderium inter opera salutaria annumerari debent, siquidem in fide stat totius justificationis fundamentum et basis, atque ex salutis desiderio pendent bona opera, quibus æterna beatitudo promerenda est. Ergo.

35. Corollarium 1. *Ergo homo ad primam gratiam sese positive præparare nequit.*

Prob. Nomine *præparationis* intelligitur dispositio, qua datur aliqua proportio, seu jus saltem indirectum et imperfectum, ad rem obtinendam; atqui hæc proportio, hoc meritum ad primam gratiam, esse nequit solis naturæ viribus; alioquin homo sese discerneret; unde immerito dixisset Apostolus : « *Quis te discernit ? Quid habes quod non accepisti?* » et falso declaravisset Conc. Trid. (sess. 6, c. 5) « ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur. » Prima itaque gratia non datur juxta hominum merita; nec opera moraliter bona aliquo pacto dici possunt motivum, causa, regula vel conditio, qua Deus confert gratiam, quia « *si gratia ex operibus, jam non est gratia* » (*Rom.*, XI, 16).

Dicitur *positive*, ut non excludatur dispositio negativa, quam homo ex solis naturæ viribus habere potest vel *removendo prohibens*, scilicet peccatum vitando vel ab eo cessando, vel *ponendo* aliquod facilitans exercitium salutarium operum, nempe actus et opera virtutum naturalium, a quibus vel excluduntur habitus vitiosi, vel nascuntur habitus virtutum acquisiti.

36. Corollarium 2. *Ergo nullus est, nec dignior, nec dignus ad primam gratiam recipiendam.*

Prob. Ut aliquis dici possit dignior vel dignus ad gratiam recipiendam, requiritur aliqua proportio inter illius dispositiones et gratiam recipiendam, requiritur in illo aliqua præparatio, saltem congrua, ad gratiam : porro, ex dictis, non

potest homo propriis viribus ullo modo se ad gratiam vere præparare; ergo. Potest tamen aliquis dici minus indignus gratia, in eo scilicet sensu, quod in illo reperiantur minora gratiæ obstacula, v. g., pauciora peccata. Hæc igitur propositio : *Gratia datur dignis*, de prima gratia nunquam intelligenda est, siquidem ante primam gratiam non sunt nisi opera naturalia.

37. Corollarium 3. *Ergo intelligi datur quo sensu exponi debeat vulgatum et vetus axioma : Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

Id nempe sibi vult prædicta formula quod intellexit et declaravit S. Thomas, videlicet facienti quod in se est *ex gratia*, Deum gratiam ulteriorem non denegare. Ratio est quia quovis alio modo exponatur, vel opus naturale erit meritorium de condigno aut de congruo ipsius gratiæ; vel erit Deo motivum, aut regula, aut conditio, ad cujus positionem Deus movebitur ad primam gratiam conferendam, ac proinde dispositio ad illam : quod jam confutatum est.

§ III. De necessitate gratiæ ad finalem perseverantiam.

38. Status quæstionis. Nomine *perseverantiæ* venit duratio seu continuatio in acceptæ fidei et gratiæ sanctificantis statu. — Perseverantia sic definita potest esse imperfecta, vel perfecta; *imperfecta* ea est, quæ usque ad finem vitæ non pervenit, etsi diu duraverit. *Perfecta* vero illa est, per quam usque ad finem vitæ in gratiæ sanctificantis statu persistitur, a quantocumque demum tempore status ille incœperit. Hæc igitur perseverantia non semper initium habet a prima hominis justificatione in baptismo accepta, quam multi amittunt, sed ab illa justificatione, de qua quis deinceps non excidit. — Perservantia perfecta, quæ etiam *finalis* nuncupatur, duplici constituitur elemento : *passivo* uno, quod situm est in opportunitate mortis eo momento, quo quis in statu gratiæ reperitur; *activo* altero, quod consistit in perenni exercitio eorum quæ ad statum gratiæ retinendum augendumque pertinent. — Quibus præmissis, statuitur sequens

39. Assertio. *Finalis electorum perseverantia nonnisi ex di-*

vina misericordia repetenda est, ac proinde magnum Dei donum merito dicitur.

Est de fide. Concilium enim Trid. (sess. 6, can. 16) ait : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit; » et paulo infra (can. 22) : « Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum ea non posse, anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Huc spectant varia loca, in quibus regius vates totam fiduciam perseverandi in solum Dei adjutorium refundit his aut similibus verbis : « Utinam *diri-* » *gantur viæ meæ* ad custodiendas justificationes tuas... *Con-* » *firma me* in verbis tuis.... Viam iniquitatis *amove* a me, et » de lege tua miserere mei » (cxviii, passim). — Nec aliud innuit ipse Christus, quando Patrem orat, ut suos Apostolos servet (*Joan.*, xvii, 11), discipulosve ad orationem hortatur, ne tentationi succumbant (*Matth.*, xxvi, 41; *Marc*, xiv, 38; *Luc.*, xxi, 40). — Idem vero luculentius adhuc Apostolorum doctrina declaratur; legitur enim (*Philip.*, i, 3) : « Confidens hoc » ipsum, quoniam qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet » usque in diem Christi Jesu. » Et (I *Petr.*, v, 10) : « Deus » autem omnis gratiæ qui vocavit nos in æternam suam glo- » riam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confir- » mabit, solidabitque... » Quæ quidem manifeste indicant finalem perseverantiam nonnisi ex peculiari dono Dei expectandam esse : Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres expressis verbis exhibent perseverentiam finalem ut *magnum Dei munus et donum.* Appellare sufficiat S. Augustinum (lib. *de Corrept. et gratia,* c. 6, n. 10) dicentem : « Negare non possumus perseverantiam in bono proficientem usque in finem, *magnum esse donum Dei*; » et S. Prosperum, qui (*in resp.* 7 *ad capitula Gallorum*) dicit : « Dubium non est *donum Dei esse perseverantiam in bonum usque in finem.* » — Adde Ecclesiam in suis precibus finalem perseverantiam a Deo enixe postulare; orat enim Deum, ut fidelibus suis det « *perseverantem in sua veritate famula-*

tum; » ut eos faciat « in sui nominis confessione *perseverare;* » ut det « cunctis qui christiana professione censentur, ea respuere, quæ huic inimica sunt nomini; » et alia hujusmodi.

Prob. 3. *Ratione.* Finalis perseverantia, prout saltem in adultis consideratur, duo importat, exercitium videlicet eorum, quæ ad salutem requiruntur, et opportunitatem mortis eo tempore, quo quis in statu gratiæ versatur : atqui utrumque velut magnum Dei donum haberi debet. — *Primum* quippe obtineri nequit, nisi justo ita perseveranti auxilia gratiæ efficacia præ sufficientibus subministrentur : porro in secunda parte Tractatus ostendemus hominem etiam justificatum mereri non posse de condigno auxilia efficacia, eaque proinde ex gratuita Dei benignitate repetenda esse. — *Secundum* vero tria sibi vult, nempe ut homo finaliter perseverans non prius ex hac vita excesserit quam justificatus fuerit; ut item non moriatur, cum post primam justificationem ex gratiæ statu forsan exciderit; ut denique non differatur ei mors usque ad illud tempus, quo Deus ipsum tentationibus et periculis expositum casurum fore prævidet : hæc autem soli beneplacito divino tribui possunt. Ergo.

Quod attinet ad parvulos, ante usum rationis decedentes, nullum quidem intervenit auxilium efficax gratiæ, cujus sunt incapaces; at nemo non videt ex dono Dei esse, quod non moriantur ante justificationem per baptismum acceptam, et morte prærepti sint antequam gratiam amittere possint. Idem fere dicendum est de perpetuo amentibus.

Ex quibus patet donum perseverantiæ non ejusdem generis esse in omnibus qui salvantur. Sane in quibusdam tota res efficitur per extrinsecam Dei providentiam, quia auxiliorum internorum non sunt capaces; in aliis vero, qui bene operando peccata præcavent, idem perseverantiæ donum auxilia, tum intrinseca, tum extrinseca includit : *intrinseca* sunt illa, quæ intellectui aut voluntati aliisve potentiis internis hominis divinitus infunduntur, ut actus bonos eliciat, et per illos vel affirmativa præcepta impleat, vel peccata contra negativa præcepta voluntarie et per actus positivos evitet, seu tentationes vincat; *extrinseca* vero, quæ vel homini dantur ut peccatum mortale

caveat per carentiam occasionis peccandi, vel saltem pertinent ad specialem providentiam Dei permittentis aut procurantis mortem homini justo, eo tempore quo in gratia existit. Unde (*Sap.*, IV, 11-14) legitur : « Raptus est ne malitia mutaret » intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... Pla- » cita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit edu- » cere illum de medio iniquitatum. »

40. OBJ. 1. Ex Conc. Trid. (sess. 6, cap. 2) : « Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. » Atqui si perseverantia finalis specialis esset gratia, quam Deus cui voluerit concederet vel denegaret, justificatos, quibus gratia illa denegatur, Deus desereret, priusquam ab eis desereretur; ergo. — RESP. *neg. min.* Etsi enim perseverantia sit gratia specialis, non idcirco Deus justum, cui non conceditur, primus deserit, cum omni justo conferat auxilium vere relative sufficiens, ut perseverare valeat; imo ut perseverantiæ actualis donum, quod ex S. Augustino « suppliciter emereri potest » (lib. *de dono persever.*, c. 6, n. 10), impetrare possit; quod si non impetret, hoc fit ob aliquam ex parte justi culpam, sive sit negligentia et tepor in oratione, sive sit præsumptio quædam, ac occulta superbia, propter quam perseverantia a Deo denegatur; ex quo sequitur Deum prius a justo deseri quam justus a Deo, judicio occulto, sed justo, deseratur, juxta illud S. Augustini (lib. *de corrept. et gratia*, cap. 13, n. 42) : « Gratiam Dei suscipiunt (qui non sunt perseveraturi), sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt et deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo et occulto. » Ita Thomas de Charmes.

41. OBJ. 2. Ut quis in accepta justitia usque in finem perseveret, sufficit ut ultimum impleat præceptum; atqui illud implere potest cum auxilio ordinario ; ergo. — RESP. *dist. min.* Potest cum auxilio ordinario implere ultimum præceptum, quatenus præcise *præceptum est*, *conc.* ; quatenus est *ultimum*, *neg. min.* Ultimum siquidem non est, nisi quia mors contingit post ejus fidelem adimpletionem; quod singulari Dei beneficio tribui necesse est, cum in statu gratiæ sanctificantis ex hac vita eripi speciale sit donum Dei. Ita etiam prædictus theologus.

42. Quæritur 1. *An et quatenus homo justus speciali auxilio Dei indigeat ut possit perseverare?*

Resp. 1. Fide constat hominem justificatum absque speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare non posse. Id nimirum sequitur ex textibus Scripturæ supra citatis, qui non tantum perseverantiæ facto, sed etiam potestati perseverandi accommodari possunt. — Confirmat quoque traditio ; namque S. Cyprianus (*in expos. orat. dom.*) super hæc verba : « Sanctificetur nomen tuum, » dicit : « Hæc sanctificatio ut in nobis permaneat, oramus;.... hanc continuis orationibus precem facimus ; hoc diebus et noctibus postulamus, ut sanctificatio, et vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur. » Item Papa Cœlestinus (Epist. *ad episc. Galliæ*) ait « neminem etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adjutorium, perseverantiam bonæ conversationis acceperit. » Demum Concilium Arausicanum II (can. 10) ita decernit : « Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. » — Ratio ipsa idem insinuat, tum quia ad omnes et singulos actus supernaturales gratia necessaria est, ex dictis : quod proinde a fortiori asserendum est de tota serie bonorum operum ab homine justo, ut in sanctitate perseveret, efficiendorum ; tum quia gratia sanctificans non ita sanat ac reparat naturam lapsam, ut auxilio divino non indigeat homo justificatus ad hoc quod immobiliter perseveret in bono ; quippe qui variabilis sit et de malo in bonum et de bono in malum (cfr. S. Thomas, *c. gent.*, l. 3, c. 155).

Resp. 2. Fatentur omnes catholici gratiam hujusmodi eo saltem sensu specialem dicendam esse, quod distinguitur non tantúm ab auxilio generali naturalis concursus, sed etiam ab ipsa gratia habituali, qua homo justus ornatus concipitur. Utrum vero idem auxilium relative ad gratias ordinarias, quæ omnibus justis largiuntur, speciale dici debeat, controvertitur. Affirmant nonnulli, inter quos Suaresius (*de Grat.*, l. 10, c. 2) : quæ quidem sententia plurimis argumentis firmari videtur.

Alii tamen, et quidem communius, etsi non inficientur plus contineri in auxilio necessario ad habendam perseverantiam, quam ad singula opera, negant auxilium ad potestatem perseverandi necessarium, supra dicto sensu speciale esse; ratio est, inquiunt, quia talis auxilii a summa auxiliorum homini justo concessorum distincti necessitas neque ex revelatione, neque ex natura rei demonstrari potest. Ita Cercia (*loc. cit.*, lect. 10; Mazzella, diss. 2, a. 4). Hæc sufficiunt.

43. Quæritur 2. *An et quatenus citra speciale privilegium omnia peccata venialia ab homine justo vitari possint ?*

Resp. 1. De fide est hominem justum cum assuetis gratiæ auxiliis *omnia peccata venialia* per totam vitam vitare non posse. Concilium enim Trident. (sess. 6, can. 27) definit : « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita *peccata omnia, etiam venialia, vitare*, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. » — Id vero dicendum esse tum de tota vita, tum de diuturno tempore erui potest

1. *Ex Scriptura Sacra*; legitur enim (II *Paralip.*, VI, 36) : « Neque est homo *qui non peccet.* » — (*Eccl.*, VII, 21) : « Non » est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. » — (*Jac.*, III, 2) : « *In multis* offendimus *omnes.* » — (I *Joan.*, I, 8) : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos » seducimus, et veritas in nobis non est. » — Christus omnibus præcepit sequentem orationem (*Matth.*, VI, 12) : « Dimitte » nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nos» tris. » Ex quibus apparet omnes homines aliqua generali infirmitate laborare, vi cujus quibusdam semper maculantur peccatis venialibus.

2. *Ex SS. Patribus.* S. Augustinus (lib. *de Natura et Gratia*, cap. 36, n. 42) dicit : « Excepta S. Virgine Maria..., si omnes alios sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato..., una voce clamassent : si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. »

Diximus — 1. *Omnia peccata venialia ;* quod quidem intelligi debet de peccatis venialibus *collective* sumptis, et ex homi-

nis *fragilitate* provenientibus. Si enim peccata venialia seorsim et *distributive* spectentur, certum est ea devitari posse cum ordinariis gratiæ auxiliis; non quippe datur peccatum sine libertate, juxta S. Augustini sententiam (*de Libero arbitr.*, l. 3, c. 18, n. 30) : « Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest ? Peccatur autem : caveri igitur potest. » — Quoad autem peccata venialia, quæ ex *malitia* oriuntur et *deliberata* dici solent, asserunt plures ea ab hominibus eximiæ sanctitatis absque speciali privilegio vitari posse. — Idem a fortiori dicendum est de peccatis mortalibus, quæ proinde, ut vitentur, nonnisi ordinaria gratiæ auxilia requirunt.

Diximus — 2. *Per totam vitam*; quod intelligendum est de temporis spatio sat diuturno. Inde vero sequitur peccata venialia a justo homine, saltem per breve tempus, cum auxiliis ordinariis gratiæ vitari posse; at fatetur Suaresius (*de Gratia*, l. 9, c. 8, n. 29) « hoc tempus non posse omnino definiri. »

Resp. 2. Disputant theologi circa impotentiæ genus, qua, seclusa speciali gratia, justus omnia peccata venialia vitare nequit. — Alii admittunt impotentiam *physicam*, quæ ex defectu virium sufficientium procedit; et ut explicent quomodo cum tali impotentia adsit peccatum, addunt ex illa impotentia non sequi nisi aliquam vagam et indeterminatam peccandi necessitatem, quæ spectat leviora peccata collective sumpta, non vero necessitatem determinatam, quæ in hoc vel illud peccatum veniale incidat. — Alii agnoscunt tantum impotentiam *moralem*, quæ nihil aliud est quam maxima difficultas, ita ut, quamvis homo absolute possit omnia vitare peccata venialia, attamen, ut omnes tentationes superet, omnes inconsultos concupiscentiæ motus reprimat, nulla unquam negligentia torpeat, tanta diligentia requiritur, ut, nisi auxiliis extraordinariis adjuvetur, eam de facto non præstabit. Porro hujusmodi impotentia humanam libertatem minime lædit.

CAPUT II.

DE NATURA GRATIÆ ACTUALIS.

44. Prænotanda. Certum est — 1. gratiam actualem non reponendam esse in *operatione voluntatis Dei omnipotentis*, uti contendebat Quesnellus; patet ex ipsis propositionibus hujusce auctoris a Clemente XI (Const. *Unigenitus*) jampridem damnatis; quas quidem satis est in medium afferre : « Gratia est *operatio manus omnipotentis Dei*, quam nihil impedire potest aut retardare » (10). — « Gratia non est aliud quam *voluntas omnipotentis Dei* jubentis, et facientis quod vult » (11). — « Dei gratia nihil aliud est quam ejus *omnipotens voluntas* : hæc est idea quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis » (19). — « Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt » (20). — « Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est *operatio voluntatis* omnipotentis » (21).

Quod autem his propositionibus pessumdetur gratia sufficiens una cum libertate humana, non est ambigendi locus, ipsaque perlectio demonstrat. Sed et insuper gratia illuminationis evanescit; quælibet enim gratia, si Quesnello fides, a Deo jubente, imperante, omnipotente, non vero a Deo illuminante defluit; nec ante aut extra fidem, ut constat ex aliis propositionibus Quesnelli damnatis, ulla admittitur illuminatio vere salutaris; imo ipsa fides nec est, nec *operatur* sine caritate, quæ *sola actiones christianas facit*, et a voluntate Dei omnipotentis provenit. Ergo.

45. Certum est — 2. gratiam actualem non esse unice neque formaliter *sanctum amorem ejusve inspirationem*. Hæc namque doctrina, in synodo Pistoriensi de gratia excitante tradita, iisdem vitiis laborat ac supra confutatus error, nec minus dogma catholicum labefactat. Unde damnatur a Pio VI in Bulla *Auc-*

torem fidei tanquam « falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans. »

Cæterum huic damnationi consonat ratio : doctrina enim, quam impugnamus, tota nititur in hoc principio Quesnelli, non dari amorem creaturæ rationalis, qui non sit aut vitiosa cupiditas, aut laudabilis seu supernaturalis caritas : atqui hoc principium falsum esse patet ex absurdis quæ inde sequerentur consectariis; hoc siquidem admisso, vitiosus esset tum amor ille quo Deum diligimus ut auctorem naturæ, tum ille etiam amor, quo nosmetipsos invincibili amore prosequimur. Non ita sane sentiebat S. Augustinus, cujus auctoritatem tanti faciunt Jansenistæ, dum sermone 349 scribit : « *Caritas alia est divina, alia humana; est humana licita, alia illicita.* »

Et vero, si gratia excitans et adjuvans non alia esset ac sanctus amor aut ejus inspiratio, non darentur actus vere supernaturales nisi ex motivo caritatis; unicum proinde esset motivum omnium virtutum christianarum, unica superesset virtus, scilicet caritas. Atqui quantum hoc falsum sit et a veritate alienum, nemo non videt, meritoque Ecclesia damnavit illud Baii assertum, supra in medium adductum, *non dari veram legis obedientiam, quæ fit sine caritate.* Ergo.

46. Certum est — 3. gratiam actualem non esse *actionem voluntatis deliberatam.* Hæc sententia, quæ Arnaldo tribuitur, refelli potest — tum *ex concilio Tridentino* definiente liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti : quæ quidem verba manifeste indicant actionem deliberatam voluntatis distingui a gratia, sive excitante sive adjuvante; tum *ratione*; gratiæ enim actualis ea est natura, cui voluntas dissentire possit : atqui nullus supponi potest dissensus gratiæ, si reponatur in actione deliberata creaturæ. Adde hunc esse primarium gratiæ actualis conceptum, ut habeatur tanquam auxilium præparans et disponens voluntatem ad agendum.

47. His prænotatis, vix opus est ut animadvertamus quot quantisque difficultatibus implicetur solvenda quæstio de natura gratiæ actualis. Neque tamen eam omittendam esse duxi-

mus, sed potius majori studio, novoque et accuratiori, ut nobis videtur, ordine illam explanare conati sumus. Si autem quædam nimis obscura vel ardua viderentur, pro libitu cujusque prætermitti poterunt, modo præ oculis habita notione, quam ineunte Tractatu exposuimus, omnibus compertum sit quænam ut certa tenenda sint, quænam vero inter theologos libere agitentur : quæ quidem in fine hujus capitis indicabimus.

Jam vero gratia actualis, pro variis muniis quibus fungitur, considerari potest — 1. prout excitans vel adjuvans dici solet; — 2. prout dividitur in sufficientem et efficacem. — De utraque divisione seorsim agendum est.

ARTICULUS I.

De gratia excitante et adjuvante.

48. Gratia *excitans*, ut jam alibi dictum fuit, ea est per quam Deus salutares motus in nobis excitat illustrando intellectum et movendo voluntatem; *adjuvans* vero illa, per quam Deus efficit ut gratiæ excitanti deliberate consentiamus. Porro quæstio est : — 1. An et quomodo per gratiam excitantem illustretur intellectus et voluntas moveatur; — 2. An et quomodo per eamdem gratiam prædictæ facultates ad supernaturaliter agendum eleventur; — 3. Utrum et qua ratione gratia adjuvans a gratia excitante differat.

§ I. An et quomodo per gratiam excitantem illustretur intellectus et voluntas moveatur?

49. Prænotanda. — I. Duplici modo Deus intellectum illuminare voluntatemque movere potest : *immediate* quidem, cum absque ullo interposito medio externo ipse in intellectum et voluntatem agit; *mediate* vero, cum externa adhibet media quibus naturali quodam nexu excitantur in mente sanctæ cogitationes, et mediantibus sanctis cogitationibus ipsa movetur voluntas.

50. — II. Jam vero, ex omnium confesso gratiæ excitanti adscribendæ sunt illustrationes ac inspirationes mediatæ et ex-

ternæ per quas Deus hominem præparat et disponit ad opera supernaturalia : quod quidem merito colligitur ex miris encomiis, quibus scriptores sacri, et imprimis Psaltes regius, divinam legem prosequuntur, quæ *lucerna est pedibus nostris, animas convertit, sapientiam præstat parvulis*, etc. — Nec alio sensu loquuntur Patres et Doctores, qui verbi divini vim et effectus extollunt. Ipsi Pelagiani, qui naturæ et liberi arbitrii vires sibi sufficere arbitrabantur, Augustini pressi argumentis, legis et doctrinæ necessitatem fateri coacti sunt; nec ideo sine catholicæ doctrinæ dispendio res denegari potest. — Consonat tandem ratio : gratia enim, uti fert axioma theologicum, se naturæ accommodat : atqui ea est naturæ humanæ indoles, ut ad verum cognoscendum excitetur per doctrinam, et ad bonum peragendum per ostensionem boni, hortationes, suasiones, et consilia. Ergo.

51. — III. Imo ab omnibus pariter admittitur dari insuper vi gratiæ actualis *immediatas* intellectus illustrationes, idque constat sive ex multis Psalmorum textibus, quibus Propheta Deum exorat ut ipsum *illuminet, instruat*, et *edoceat* (*Ps.* XII, 4; XVII, 29; CXVIII, *passim*); sive ex his S. Joannis (I Ep. II, 20, 27) : « *Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia...* » *non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus* » *docet vos de omnibus.* » Unctio enim, de qua loquitur S. Joannes, non alia est, juxta interpretes, quam actio Spiritus Sancti mentem nostram suaviter edocentis : atqui hujusmodi actionem internam esse et immediatam dubitari nequit, tum quia ne fingi quidem potest unctio spiritualis exterior, tum quia externæ prædicationi præstare dicitur. Ergo admittendæ sunt illustrationes immediatæ. Legantur etiam quæ scribit Apostolus (II *Cor.*, IV, 6; *Eph.*, I, 16, etc.). — Consonant SS. Patres imprimisque S. Gregorius (Hom. 30 *in Evang.*) dicens : « *Nisi Spiritus Sanctus cordi adsit audientis*, otiosus est sermo docentis; » et S. Cyrillus Alex., qui (*in Joan.*, l. 4, c. 1) scribit : « Cognitionem sui Filii, non sono aut voce, Pater nobis immittet, sed *illustratione mentis.* »

52. Quæstio igitur potissimum versatur circa immediatas inspirationes voluntatis; nec revera defuerunt, qui eas nega-

rent. Communissima tamen sententia aliter docet, et quidem merito, ut patebit sequenti assertione.

Assertio : *Gratia excitans immediato influxu voluntatem movet.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* In Actibus apostolorum (xvi, 14) conversio mulieris cujusdam purpurariæ, cui nomen Lydia, his verbis refertur : « Colens Deum audivit : cujus Dominus » *aperuit cor* intendere his quæ a Paulo dicebantur : » atqui *cor aperire* idem est ac voluntatem interius et immediate movere, cum in his circumstantiarum adjunctis, sermo sit de practica fide et baptismo subsequente : quod quidem de quolibet fidei actu asserendum est, dicente Paulo : « *Corde credi-* » *tur ad justitiam* » (*Rom.*, x, 10). Ergo admittendæ sunt internæ ac immediatæ inspirationes.

Hæc conclusio confirmatur etiam crebris quibus Deum invocat orationibus Regius Propheta, eum appellans *auxilium, virtutem, fortitudinem, susceptorem, adjutorem qui eum præveniebat in benedictionibus dulcedinis*, et *cor ejus dilatabat, ut in viam mandatorum cœlestium curreret.*

Nec desunt quoque Scripturæ Sacræ verba, quæ ostendunt Deum æque directe et immediate voluntatem movere ac intellectum illustrat; imo hanc ab eo in convertendis hominibus agendi rationem ordinarie usurpari, ut ab externis mediatisque illustrationibus et inspirationibus ad internum immediatumque influxum deveniat : citare est imprimis hæc B. Pauli ad Corinthios verba : « *Ego plantavi, Appollo rigavit, Deus* » *autem incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat est ali-* » *quid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus* » (I *Cor.*, iii, 6, 7); quibus sane verbis perspicue declaratur, præter gratiam externam, quæ sub *plantationis* et *irrigationis* metaphora designatur, ministerioque externo tribuitur, aliam dari, quæ a Deo immediate dimanat. Atqui hæc gratia, interprete ipso S. Augustino, non afficit tantum intellectum, sed et voluntatem; nam, ut ait S. Doctor, « *Deus per seipsum incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantum veritatem, verum etiam impertiat caritatem* » (*De Pecc. merit. et Remiss.*, l. 1, cap. 25). Ergo.

Prob. 2. *Traditione.* S. Augustinus (Epist. 107) scribit : « Confiteamur gratia *prævenire* hominum voluntates; » et (*in Enchirid.*) : « Deus hominis voluntatem bonam et *præparat* adjuvandam et *adjuvat* præparatam. » — Nec aliter scribebant Africani præsules ad Papam Zozimum : « *Præparatur* voluntas a Domino, et, ut boni aliquid agant, paternis *inspirationibus* suorum ipse tangit corda fidelium. » Quæ verba confirmans Cœlestinus Papa (*Epist. Cœl.*, c. 8, 9) aiebat : « Deus in cordibus hominum atque in ipso *operatur* arbitrio. » — Tandem nemo nescit Pelagium, a S. Augustino et aliis Africæ præsulibus undique impetitum, verbis saltem interiorem intellectus et voluntatis gratiam admisisse.

Prob. 3. *Ratione.* Utraque facultas, intellectus scilicet et voluntas, omnino impar est actibus supernaturalibus eliciendis. Ergo influxu divino utraque indiget. — Præterea haud minus gravia voluntati peccatum originale vulnera intulit quam intellectui. Ergo utramque curet et sanet Deus ipse penitus necesse est. Ergo (Cf. Suarez, *de Gratia*, l. 3, c. 6, 7).

53. Scholium. Inquirunt etiam auctores, præsertim recentiores, quid sint ex parte hominis tum illuminationes intellectus, tum voluntatis inspirationes, unanimique ore docent eas esse actus illarum facultatum vitales, sed indeliberatos, scilicet physice quidem non autem libere a nobis elicitos sub influxu Spiritus Sancti : ipse nimirum Deus, seu Spiritus Sanctus, eosdem motus in nobis, et quatenus non libere agimus, sine nobis producit speciali assistentia et operatione.

Si vero ulterius quæratur quid illuminationis et inspirationis nomine intelligendum sit, una est quoque catholicorum doctorum sententia supernaturalem intellectus illuminationem merito reputari non tantum quodvis salutare judicium, sive speculativum, sive practicum, sed etiam quamlibet salutarem cogitationem seu simplicem mentis apprehensionem; voluntatis vero inspirationem porrigi ad omnes illos salutares motus, quibus voluntas a vitio retrahitur, et, æstu concupiscentiæ temperato, ad bonum suaviter simul et fortiter inclinetur.

§ II. An et quomodo per gratiam excitantem intellectus et voluntas roborentur et eleventur ad supernaturaliter agendum?

54. Nemini dubium esse potest quin absolute necessarium sit intellectum et voluntatem elevari et roborari per gratiam excitantem. Quum enim non semper donentur habitibus supernaturalibus, si nullatenus per gratiam excitantem elevarentur, omnino impares remanerent ad supernaturaliter agendum, ut facile patet.

Sed quæstio est de modo. Porro de hoc inter se dissentiunt theologi. Scilicet, elevatio facultatum, de qua hic agitur, duplici modo fieri posse concipitur, intrinsece vel extrinsece; *intrinsece*, per quamdam virtutem realem et supernaturalem transeunter a Deo facultatibus communicatam; *extrinsece* autem per specialem Dei assistentiam cum facultatibus immediate operantis, magistri instar qui pueri scribendi nescii manum tenet, roborat et dirigit. Jam vero, Molinistæ solam elevationem extrinsecam admittunt : Thomistæ autem elevationem intrinsecam propugnant.

I. *Opinio Molinistarum:*

55. Molinistarum opinio duplici assertione constat, nempe : 1° Sola elevatio extrinseca facultatum nostrarum intellectualium sufficere potest ut actus supernaturales elicere valeant, nec ullo modo necessaria est elevatio intrinseca; 2° de facto sola elevatio extrinseca admitti potest et debet.

Et quidem 1° non est necessaria elevatio intrinseca facultatum nostrarum intellectualium, sed extrinseca plane sufficere potest.

Etenim, fatentibus communiter theologis, Deus per seipsum facere potest quidquid facit per causas secundas efficientes, quando non agitur, ut in casu præsenti, de effectu qui a principio vitali creato necessario procedere debeat. Atqui si Thomistæ audiantur, Deus per virtutem creatam facultatibus nostris communicatam illas elevare potest ut supernaturaliter agere valeant. Ergo et per seipsum illas elevare potest, non quidem illas informando, sed cum ipsis concurrendo ad

actus supernaturales eliciendos. Ergo necessaria non est elevatio intrinseca facultatum, sed extrinseca sufficere potest.

Aliunde, si extrinseca elevatio non sufficeret, sed intrinseca requireretur, hoc esset quia cum sola extrinseca elevatione, et absque elevatione intrinseca, actus facultatum nostrarum intellectualium non posset esse vitalis aut supernaturalis. Porro, admissa sola elevatione extrinseca, et absque intrinseca, actus facultatum nostrarum potest simul esse et vitalis et supernaturalis : vitalis quidem, quum immediate procedat a facultate vitali, supernaturalis autem, quum procedat a facultate cum speciali et supernaturali Dei assistentia operante. Ergo sola elevatio extrinseca sufficere potest, nec intrinseca necessaria est.

2° Exinde concludunt Molinistæ de facto solam elevationem extrinsecam admitti posse et debere.

Etenim, inquiunt, quum elevatio intrinseca non sit ex se necessaria, admitti non debet, nisi Scriptura aut traditione constet illam esse admittendam. Atqui nec Scriptura, nec traditione constat. Nullibi enim quæstio est de virtute creata et supernaturali a Thomistis excogitata qua Deus intrinsece facultates nostras transeunter elevaret. Omnia quippe quæ in Sacris Scripturis leguntur, explicari facile possunt, quin hujusmodi admittatur virtus. Imo, in controversiis SS. Patrum cum Pelagianis et Semipelagianis, quamvis quæstio esset de gratia actuali, nunquam occurrit de illa virtute, seu qualitate mentio ulla, ne indirecta quidem. Quare, absque ulla sufficienti ratione admitteretur. Nec prodest dicere magis connaturale esse operationem fieri per principia intrinseca quam extrinseca. Nam quando agitur de facultatibus quæ nondum ad statum supernaturalem permanenter eleventur, non magis connaturale est operationem fieri per principia intrinseca quam extrinseca. Sicut enim nihil exigit potentiam elevari, sic nec exigit determinata elevationis principia.

II. *Systema Thomistarum.*

56. Thomistæ contendunt intellectum et voluntatem nonnisi intrinsece elevari posse, scilicet per qualitatem quamdam fluentem, non tamen vitalem, a Deo immediate inditam, vi

cujus roborantur et ad actum applicantur. Hanc qualitatem seu potius virtutem *fluentem* dicunt, quia parum durare exigit; addunt insuper eam non esse *vitalem*, quia sine concursu potentiæ vitalis a solo Deo provenit. Intriusecus tamen facultatibus inhæret, fitque principium formale cujuslibet actus supernaturalis. Imo, quatenus eas facultates impulsu quodam physico movet et ad actum applicat, est principium *proximum* cujuscumque illustrationis et inspirationis; nec justi ipsi, licet habitibus supernaturalibus instructi, sine prævio intrinseco auxilio supernaturaliter excitari possunt. — Quibus præstatutis, probare nituntur hanc intrinsecam intellectus et voluntatis elevationem per virtutem quamdam transeuntem — 1. necessariam esse; — 2. de facto existere.

Primum vero sic probant : intellectus et voluntas ex sese impares sunt eliciendis actibus supernaturalibus; ergo, ut Deo supernaturaliter illuminanti et inspiranti etiam indeliberate cooperentur, auxilio desuper infuso indigent. Auxilium autem illud intrinsecum sit et prævium omnino necesse est : nam, ut intellectus et voluntas in actum secundum prosiliant, qui vires suas excedit, duo requiruntur : — 1. ut potentiæ proxime constituantur in actu primo; — 2. ut ad actum secundum eliciendum juventur. Jamvero utrumque impossibile est sine intrinseco ac prævio auxilio, quod per modum virtutis aut motionis eis conferatur.

Insuper, admissa adversariorum sententia, jam Deus et creatura se habent ad eumdem effectum ut causæ collaterales, quarum neutra principalis, neutra alteri subordinata; porro, quantum exinde detrahatur cum dignitati, tum efficaciæ causalitatis divinæ, nemo non videt : Deus enim, cum sit causa prima, omnes causas secundas sibi subordinari exigit; nec aliter ad actum deveniri possunt, nisi eas actioni applicet et præmoveat : ergo jure ac merito rejicienda est præfata opinio.

Demum ejusdem ordinis sunt actus supernaturales in via eliciti ac visio Dei intuitiva, uti omnes theologi docent. Ergo, si divina essentia ab intellectu creato videri nequit, sine aliqua participatione saltem transeunte luminis gloriæ, inferendum est necessariam esse potentiarum elevationem per virtutem

obiter illis divinitus infusam, ut supernaturaliter agere valeamus (Cf. S. Thomas, 2. 2, q. 175, art. 2 et 3, ad 2).

Secundum, quod ad *factum* attinet, evincitur a Thomistis

1. *Scriptura Sacra*, verbis nempe Apostoli (II *Cor.*, III, 5) : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, *quasi* » *ex nobis*; sed *sufficientia nostra ex Deo est*; » quæ quidem innuere videntur dari nobis supernaturaliter, etsi indeliberate agentibus, donum intrinsecum, vi cujus impotentia nostra tollatur, et supernaturaliter agendi sufficientia seu potentia conferatur. Nec ea aliter intellexit D. Thomas scribens *nullum anterius principium inveniri posse, quam cogitationem cœlitus descendentem.*

2. *Traditione.* Unanimis est Patrum et Conciliorum sententia Deum per gratiam excitantem *in nobis operari sine nobis*; *in omni opere bono nos non incipere* (Conc. Araus. II); *quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque* (gratia et libero arbitrio) *perfici* : atqui, si non admittatur Deum prævium nobis infundere virtutem aut motionem, hæc sane minus accurate dicta sunt : ergo.

3. *Ratione.* Possibilem esse elevationem intrinsecam, qualem asserunt Thomistæ, in dubium revocari nequit : si autem possibilis est, omnino conveniens est eam a Deo usurpari, quia certe magis accedit ad connaturalem modum operandi ex parte creaturæ : ergo. — Insuper gratia actualis homini tribuitur, ut eliciat suas operationes, estque earum principium coefficiens : atqui principium hujusmodi, nec ut extrinsecum, nec ut ab operationibus quas coefficit indistinctum, concipitur : ergo remanet ut intrinsecum sit et intrinsece elevans facultates.

§ III. An et qua ratione gratia adjuvans ab excitante differat?

57. Status quæstionis. Hæc unanimiter admittunt theologi : — 1. gratia adjuvans nunquam datur sine prævio munere gratiæ excitantis, dum excitans revera conceditur, quin gratia adjuvans cum effectu succedat; — 2. gratia excitans suo munere fungitur, nullo tamen subsequente opere morali; adjuvans autem voluntatis concursum exigit ut effectum suum

sortiatur; — 3. gratiæ excitanti resistere potest voluntas, et ideo in suo conceptu includit tantum quod sit sufficiens; adjuvantis autem hæc est notio ut voluntatis concursum implicet, et ideo sit semper efficax.

Hinc sequitur gratiam adjuvantem ab excitante distingui saltem terminative, seu ratione effectus, et principiative, quatenus non eodem modo se habet ad effectum novoque influxu et operatione ad illum producendum concurrit.

Utrum vero gratia adjuvans, considerata in se et in sua virtute radicali, seu, ut aiunt, uti *principium* actus deliberati *in actu primo*, *entitative* differat ab excitante, acriter controvertitur, Molinistas inter et Thomistas.

I. *Opinio Molinistarum.*

58. Juxta Molinistas, nulla est realis et entitativa distinctio inter gratiam excitantem et adjuvantem, sed gratia adjuvans est ipsa gratia excitans quatenus cum voluntate consentiente operatur ad actum salutarem deliberatum eliciendum. Scilicet, Deus per suam specialem et supernaturalem assistentiam, — 1. extrinsece elevat hominis intellectum ut eliciat actum indeliberatum supernaturalis illuminationis; — 2. voluntatem simul roborat et excitat ut eliciat actum indeliberatum supernaturalis inspirationis. Homo sic illuminatus et excitatus, cum speciali Dei assistentia, jam vim et potestatem habet actum deliberatum et salutarem eliciendi, si velit. En, juxta Molinistas, adæquatum gratiæ excitantis munus. Porro, si homo sic gratia excitante illuminatus et excitatus, huic gratiæ cooperari velit, tunc Deus eadem ipsa gratia, qua illum ad bonum excitavit, illum adjuvat ut revera actum salutarem et deliberatum eliciat, sicque gratia adjuvans non distinguitur realiter a gratia excitante, sed est ipsa gratia excitans, quatenus cum voluntate consentiente operatur ad actum deliberatum eliciendum.

Suam autem sententiam probant Molinistæ

1. *Auctoritate.* Secundum concilium Milevitanum a Summis Pontificibus Innocentio I° et Zosimo approbatum, sic loquitur : « Quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quo per

ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit ». — Unde sic argumentantur Molinistæ : ex Concilio Milevitano, gratia qua adjuvamur ad non peccandum, eadem est ac gratia qua nobis præstatur ut quod faciendum est cognoscamus, et facere diligamus atque valeamus. Porro gratia qua adjuvamur ad non peccandum est gratia adjuvans, et gratia quæ nobis præstatur ut quod faciendum est cognoscamus et facere diligamus atque valeamus, est gratia excitans. Ergo gratia adjuvans eadem est ac gratia excitans.

Insuper ita se habet Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti... neque posse dissentire, si velit, sed mere passive se habere, anathema sit. » Unde sic iterum argumentantur Molinistæ : Ex Concilio Tridentino homo potest dissentire gratiæ excitanti, si velit; sed etiam potest ipsi assentiri et cooperari. Quum autem homo gratiæ excitanti assentitur et cooperatur, et ipsa gratia excitans operatur cum homine, ut se disponat ad justificationem. Sed gratia quæ cum homine sic operatur est ipsamet gratia adjuvans. Ergo gratia adjuvans eadem est entitative ac gratia excitans, nec ab ipsa realiter distinguitur.

2. *Ratione.* Etenim, virtus qua actum quemlibet elicimus, eadem est identice ac virtus qua eumdem actum elicere valemus. Sic in ordine naturali, virtus qua actum cognitionis intellectualis hic et nunc elicimus, eadem identice est ac virtus qua actum cognitionis intellectualis elicere valemus. Sic etiam in ordine supernaturali, virtus fidei qua hic et nunc assentimur veritati revelatæ eadem est ac virtus qua veritati revelatæ assentiri valemus. Item ergo auxilium supernaturale transitorium quo elicimus actum salutarem, idem est identice ac auxilium quo nobis confertur potestas illum actum salutarem eliciendi. Porro, auxilium supernaturale transitorium quo elicimus actum salutarem est gratia adjuvans, auxilium autem quo nobis confertur potestas illum actum eliciendi est gratia

excitans. Ergo gratia adjuvans eadem est identice ac gratia excitans, nec ab ea realiter distinguitur.

II. *Opinio Thomistarum.*

59. Molinistis contradicunt Thomistæ, et asserunt reale discrimen adesse inter utramque gratiam excitantem et adjuvantem. Scilicet, juxta Thomistas, gratia excitans est realis quædam qualitas, seu virtus transiens qua Deus causat in intellectu et voluntate actum indeliberatum tum cognitionis tum inspirationis ad bonum. Sed gratia adjuvans est nova qualitas seu virtus voluntati impressa et causans cum voluntate actum qui cum deliberatione fertur in bonum. Gratiæ ergo excitanti vere et realiter superadditur nova gratia, adjuvans scilicet, qua Deus facit ut homo libere exequatur bonum ad quod excitatus est.

Suam autem sententiam sic probant Thomistæ

1. *Scriptura Sacra.* Legitur enim (*Prov.*, XXI, 1) : « Cor » regis *in manu Domini*; *quocumque voluerit*, *inclinabit* illud. » — Item (*Ezech.*, XXXVI, 27) : « *Faciam* ut in præceptis meis » ambuletis. » Regina Esther (XIV, 12) sic Deum orat : « Do- » mine, rex Deorum et universæ potestatis... *transfer cor* illius » in odium hostis nostri. » Quo conspirant quæ (*Isa.*, XXVI, 12) habentur : « Omnia opera nostra *operatus es* nobis, Domine, » necnon (*Philipp.*, II, 13) : « Deus est qui *operatur* in nobis *et* » *velle et perficere* pro bona voluntate. » Hæc autem fieri nequeunt, nisi gratiæ excitanti qua Deus hominem indeliberate movet ad bonum, superaddatur nova gratia qua Deus hominem moveat et adjuvet in libera volitione et executione boni.

2. *Auctoritate* tum S. Augustini, tum S. Thomæ, quæ tanta est in hac materia. Et quidem S. Augustinus (*de Grat. et lib. arbit.*, c. 16) ait : « Certum est nos facere cum facimus; sed *ille facit ut faciamus*, præbendo vires efficacissimas voluntati. » — Sed Deus non facit ut faciamus nisi quatenus, homini jam excitato et moto indeliberate per gratiam excitantem, novam concedit gratiam, qua homo movetur ut libere velit et exequatur bonum. — S. Thomas etiam pluribus in locis clare docet Deum movere, imo et applicare causas secundas ad agen-

dum; has causas agere in virtute causæ primæ, et esse ipsius instrumentum. Quum ergo Deus jam movit hominem per gratiam excitantem ad actum indeliberatum, illum etiam movere debet ad actum deliberatum per novam gratiam, adjuvantem scilicet, quæ a priori realiter distinguitur, sicut ab actu indeliberato realiter distinguitur actus deliberatus (Cfr. *de Pot.*, q. 3, art. 7, et apud Billuart, *de Gratia*, diss. 5, a, 6).

3. *Ratione.* Homo quippe, posita gratia excitante, nondum habet nisi potentiam ad actum salutarem libere ponendum. Porro, ut transeat de potentia ad actum, nova ipsi requiritur gratia a priore realiter distincta, sicut actus realiter distinguitur a potentia. Revera quidem, voluntas non potest per seipsum sese determinare ad actum liberum, tum quia quod est in mera potentia non potest per seipsum transire in actum, tum quia alioquin Deus non esset causa prima omnium determinationum voluntatis, quod tamen dici nequit. Nec etiam potest voluntas sese determinare ad actum liberum cum sola gratia excitante, quia hæc gratia non dat nisi actum indeliberatum, et potentiam ad actum deliberatum. Ergo, etiam posita gratia excitante, nova requiritur gratia a priore realiter distincta, qua homo moveatur et adjuvetur ad actum salutarem deliberate ponendum. Hæc autem nova gratia est gratia adjuvans. Ergo gratia adjuvans realiter distinguitur a gratia excitante.

ARTICULUS II.

De Gratia sufficienti et efficaci.

60. Status quæstionis. Gratia *sufficiens*, ex antea dictis, dat *posse* agere, sed effectu caret; *efficax* vero cum effectu infallibiliter conjungitur.

Hæc tamen triplici sensu sumi potest, videlicet ratione virtutis, ratione effectus et ratione connexionis cum effectu.

Ratione *virtutis*, efficax dicitur ea gratia, quæ habet insignem virtutem producendi effectum, quem tamen ob quædam impedimenta non producit; sicut communiter dicitur remedium efficax, cui inest sanandi virtus, etsi revera non sanet propter subjecti defectum; quæ quidem significatio ipsi suffi-

cienti gratiæ competit, nec mirum si a SS. Doctoribus ipsa quoque efficax quandoque vocatur : unde mens eorum ex contextu sedulo exploranda est.

Ratione *effectus*, significat gratia efficax vim agendi ut conjunctam suæ actioni, seu est virtus actu efficiens, cui nempe non resistit, sed assentit voluntas; et in hoc sensu spectatur in actu secundo, adeoque efficacia ejus non virtualis tantum, sed et actualis dicitur.

Ratione *connexionis cum effectu*, efficax dicitur gratia quæ talem ad effectum dicit habitudinem, ut applicata agentis voluntati, consensum ejus certo sit obtentura; et in hoc sensu spectatur gratia efficax in actu primo, non quidem simpliciter et sine addito, sed quatenus immediate et infallibiliter conjunctam habet actualem effectionem; unde differt tum a gratia mere sufficienti, tum ab actu consequenti, in quem influit, adeoque concipitur veluti nexus quidam inter posse et agere.

Jam vero dari gratiam efficacem ratione effectus, adeoque ratione connexionis cum effectu, nullus negat qui gratiæ ad perficienda bona opera necessitatem admittit. Sic enim arguere datur : sine gratia supernaturali nullum perfici opus salutare, imo nec initium fidei, nec fidem, nec a fortiori perseverantiam finalem obtineri, catholica fides edocet invictisque probatur argumentis : atqui tamen tum Scriptura Sacra, tum ipsa Ecclesia, testatur dari homines qui fidem supernaturalem tenent, opera bona perficiunt, et perseverantiam finalem consequuntur. Ergo detur gratia necesse est, cui salutares illi effectus adscribantur, quæque proinde vere efficax dicenda sit.

His vero prælibatis tria inquiri possunt, nempe : — 1. An et quo sensu dentur gratiæ sufficientes; — 2. An et quatenus sub influxu gratiæ efficacis voluntas humana libera maneat; — 3. Undenam repetenda sit infallibilis gratiæ efficacis connexio cum effectu.

§ I. An et quo sensu dentur gratiæ sufficientes?

61. Errores. Protestantes asserentes liberum hominis arbitrium extinctum esse per peccatum, gratiam mere sufficientem consequenter negaverunt; sublata enim libertate, alia

dari nequit gratia nisi necessitans ac proinde efficax. Quem quidem novatorum errorem etiam quoad hanc partem renovarunt Baius et Jansenius. — Eorum tamen asseclæ, cum catholici videri vellent, admiserunt dari gratiam sufficientem, quæ homini tribuat potestatem agendi *absolutam*, seseque exerat per desideria inefficacia et velleitates, non vero *relativam ad præsentes circumstantias*, propter oppositam victricem concupiscentiam. Omnes quippe norunt hominem, juxta eos, continuo subjacere influxui duplicis delectationis, cœlestis nempe et terrenæ, seu caritatis et concupiscentiæ, quæ se habent ad voluntatem sicut pondera ad stateram. Gratiam igitur vere insufficientem *sufficientis* nomine decorabant.

62. Assertio : *Datur in statu præsenti naturæ lapsæ et reparatæ, gratia vere, sed pure tamen sufficiens; quæ scilicet perfectam quidem, completam et relativam potentiam confert ad actus bonos efficiendos, caret tamen effectu.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra,* in qua hæc leguntur : « *Vocavi et renuistis* » (*Prov.*, I, 24) ; — « Quid est quod *debui ultra facere* » vineæ meæ, et *non feci?* An quod expectavi ut faceret » uvas, et fecit labruscas » (*Isa.*, V, 4); — « Jerusalem, quo- » ties *volui congregare* filios tuos, quemadmodum gallina con- » gregat pullos suos sub alas, et noluisti » (*Matth.*, XXXIII, 37) ; — « Vos semper Spiritui sancto *resistitis* » (*Act.*, VII, 51); — « Exhortamur ne *in vacuum gratiam* Dei recipiatis » (II *Cor.*, VI, 1). Ex quibus omnibus manifeste apparet plures gratiæ deesse, illi resistere, illam extinguere, eam in vacuum recipere : talis vero gratia non est efficax, sed mere et vere sufficiens. Ergo.

Prob. 2. *Traditione*, quæ invicte constat et innotescit

1. *Ex SS. Patribus ;* hi enim non tantum textus Scripturæ in eodem sensu ac nos interpretantur, sed etiam sententias proferunt haud ambiguas de gratia illa, quæ bonum agendi potentiam expeditam et relativam tribuit, effectum tamen non sortitur. Ita S. Irenæus (l. 4, *de Hær.*, c. 39), S. Joannes Chrysost. (Hom. 18 *in Ep. ad Rom.*, n. 2), S. Hieronymus (*in Ps.* CLX), atque imprimis S. Augustinus qui inter multa alia hæc scribit (l. 1, *ad Simplic.*, q. 2) : « *Nemo credit non*

vocatus, sed non omnis credit vocatus. » Num clarius designari poterat gratia vere sed mere sufficiens?

2. *Conciliis.* Patres concilii Aurausicani II (can. 25) ita se habent : « Hoc secundum catholicam fidem credimus, quod, *accepta per baptismum gratia*, omnes baptizati, *Christo auxiliante* et *cooperante*, quæ ad salutem animæ pertinent *possint et debeant*, si fideliter laborare voluerint, *adimplere.* » Concilium Lateranense (cap. *Firmiter*) expresse docet relapsum in peccatum post susceptionem baptismi, per veram pœnitentiam *posse semper* reparari. Assentit demum Tridentinum, sive cum (sess. 6, c. 11) ad mentem S. Augustini egregie dicit : « Deus namque sua gratia semel justificatos *non deserit*, nisi ab eis prius deseratur, » sive cum (*Ibid.*, c. 15) asserit omnes, qui lethalia peccata committunt, ab eis *cum divinæ gratiæ adjumento abstinere posse.* — Datur igitur gratia, qua omnes saltem baptizati aut semel justificati *possint* ea quæ pertinent ad salutem adimplere, semper reparari per pœnitentiam, mandata divina exequi, a peccato abstinere : hæc autem multi non præstant ; ergo gratiam dari vere, sed mere sufficientem, tenendum est.

3. *SS. Pontificum auctoritate.* Inter quinque propositiones Jansenii a Sancta Sede damnatas, prima sic se habet : « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant ; » ergo, cum contradictoria sit vera, justis volentibus et conantibus non deest gratia, qua præcepta Dei omnia eis possibilia fiant, secundum præsentes quas habent vires : ergo, si justi, ad quos spectat propositio Janseniana, præcepta Dei non observent, illud non provenit ex gratiæ defectu, sed ex eo quod falso supponuntur velle et conari. — Confirmatur conclusio ex secunda propositione ejusdem Jansenii damnata, cujus est hic tenor : « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur ; » ergo resistitur gratiæ ; atqui non datur resistentia sine consensus possibilitate ; ergo sunt gratiæ, quæ dant potestatem faciendi bonum, et cum quibus tamen bonum non semper agitur. — Huc attinent etiam plures Baii et Quesnelli damnatæ proposi-

tiones idem enuntiantes : hanc unam ex Quesnellianis depromere sufficiat, quæ decima tertia est : « Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit. »

Prob. 3. *Rationibus theologicis.* Etenim — 1. Deus juxta Apostolum vult omnes homines salvos fieri, necnon pro omnibus mortuus est Christus, ut probatum manet ex Tractatu de Incarnatione : porro, cum Deus media fini semper aptet, nec supponi possit Christi passio inefficax, divinæ hujus voluntatis Christique passionis necessaria consequentia fuit omnibus dispensari gratias, quibus salvi esse possint, si velint; ergo dantur omnibus gratiæ vere sufficientes ; sed non omnes his gratiis ita cooperantur ut salvi fiant. Ergo dantur gratiæ vere sufficientes quæ mere sufficientes sunt. — 2. Deus, pro statu viæ in quo versamur, attentoque præsertim statu naturæ lapsæ et reparatæ, ita tantum nos gratia sua jure confortat, ut mandata divina implere aut libertatis abusu frangere *possimus*, eaque implendo aut frangendo mereamur vel demereamur aliquando : atqui, nisi hæc gratia sit vere sufficiens in assertionis sensu, jam mandata divina implere non possumus, nec proinde mereri valemus; nisi autem sit quandoque mere sufficiens, nullum unquam erit demeritum ; ergo dari gratias vere sed mere sufficientes statui nostro omnino convenit. — 3. Etvero, si nulla admittatur gratia vere sufficiens, apertissima via sternitur ad animi dejectionem et luctuosam salutis desperationem, quam statim consequitur, in aliis quidem funestum vitæ excidium, in aliis vero summa vitæ licentia morumque perversitas ; si autem gratia non sit mere sufficiens, sed semper efficax, omnes damnati et omnes sancti æque gloriari poterunt se fecisse omne bonum possibile, et vitasse omne malum quod ab ipsis vitari poterat; porro quantum exitiosa sint aut falsa hæc consectaria, nemo statim non videt. Ergo merito admittitur in statu nostro præsenti gratia vere sed mere sufficiens.

Nec objiciatur cum Jansenianis quod plures invenire est Scripturæ Sacræ et SS. Patrum textus, quibus probari possit interiori gratiæ non resisti : his enim probatur tantum dari

gratiam efficacem, et esse in Deo voluntatem absolutam et consequentem, cui non resistitur : quod ultro concedunt theologi catholici; nullatenus autem evincitur non dari in Deo voluntatem antecedentem et conditionatam, quæ per gratias vere, sed mere sufficientes se exerat, cui proinde resistatur. Haud semel quidem in his textibus innui videtur omnem gratiam habere effectum aliquem, et ipsi theologi assentiunt, sed in sensu omnino diverso a Jansenianorum placitis : agitur enim de effectu imperfecto et minus principali, seu immediato, gratiæ ipsius sufficientis; fieri namque, imo concipi non potest, quod Deus illuminet intellectum et voluntatem moveat, quin intellectus illuminetur et cor moveatur; sed præter illum effectum alius datur perfectus et principalis, ad quem præcipue datur et tendit actio Dei intellectum illustrantis et voluntatem moventis, v. g., conversio vel actus meritorius, quem obtinere posset, siquidem ad eum disponat et potentiam conferat; et ideo sufficiens est. Cum vero illum non obtineat, dici non potest simpliciter efficax, sed mere sufficiens est. — Insuper, quando S. Augustinus discrimen ratione efficaciæ statuere videtur inter gratiam status innocentiæ et gratiam status naturæ lapsæ, in eo sensu est intelligendus, quod Adamus, cujus natura erat sana et robusta, indiguerit tantum gratia elevante et movente, dum homo in statu actuali, antequam elevetur et moveatur, indiget primum sanari et roborari. Falso igitur asserunt Janseniani S. Augustinum docuisse Adami gratiam fuisse sufficientem, nobis vero requiri efficacem. — Demum si quandoque SS. Patres asserere videntur aliquem peccasse defectu gratiæ, id intelligendum est de gratiæ proxime sufficientis, non vero remote sufficientis defectu, ut observant Theologi post S. Augustinum, qui illud S. Joannis (VI, 44) : « Nemo potest venire ad me, » explanans ait : « Semel accipe et intellige : nondum traheris, ora ut traharis. »

63. Quæritur 1. *An gratia sufficiens veram beneficii rationem habeat?*

Resp. *Affirmative*, et est de fide contra Jansenistas, qui non tantum gratiæ sufficienti rationem beneficii denegarunt, sed etiam eam nocivam esse profiteri non dubitarunt; tum quia

effectu semper carens inutilis est; tum quia cum illa homo semper peccat, absque ea vero mandata non implens jam non peccaret, adeoque appellari potest *gratia diaboli*, gratia damnantis, de qua enixe Deum sic orare debemus : « *A gratia sufficienti libera nos, Domine.* »

Et sane gratia sufficiens duo in conceptu suo includit, expeditam scilicet bonum peragendi potentiam etiam relative ad præsentes circumstantias, et carentiam boni illius operis ex humanæ voluntatis resistentia. Jam vero *primum* evidenter habet rationem beneficii, posse siquidem agere bonum, placere Deo et vitam æternam consequi, de se recipienti utilissimum est; nec parum (*Joan.*, I, 12) commendatur Dei bonitas, quod dederit hominibus potestatem filios Dei fieri. *Secundum* autem non tollit rationem beneficii; quippe quod materialiter sumptum, seu ut materia idonea beneficientiæ pensandum est secundum se, et non secundum quod ei adjungitur ex mera recipientis libidine et abusu. Ergo dici nequit gratiam sufficientem beneficii non habere rationem.

Neque etiam gratia sufficiens caret ratione beneficii ex parte Dei concedentis. In collatione enim hujus gratiæ Deus duo intendit, nempe : — 1. efficaciter intendit, ut homo sufficientiam et simpliciter posse habeat ad operandum salutariter; — 2. intendit etiam, ut salutaris operatio et salus hominis consequatur, inefficaci quidem intentione, sed vera tamen et seria, cum a gratia efficaci concedenda non abstineat, nisi propter resistentiam hominis sufficienti gratiæ, ut mox videbimus; aliunde hanc seriam Dei voluntatem fundant ejus præcepta, quibus serio declarat se velle ut salutaria opera ponantur, seu id fiat quod præcipit. Atqui *prima* illa intentio est formaliter benevola; *secunda* autem, quamvis per eam Deus homini non faveat, quantum potest, simpliciter tamen adhuc benevolentiam dicit; ergo gratia sufficiens ex Dei erga hominem benevolentia procedit, ac proinde rationem beneficii formaliter continet.

Nec dicatur a Deo concedente gratiam sufficientem prævideri inefficaciam ejus : ac proinde eum non esse formaliter beneficum, cum gratiam conferat sufficientem, quam prævidit

inefficacem. Deus quippe non movetur ab inefficacia prævisa, sed tantum ab ea non retrahitur, seu quod idem est, nullatenus decretum condit de concedenda gratia sufficienti, *quia* prævidet inefficacem, sed *etsi* prævideat inefficacem; nec aliunde tenetur inefficaciam impedire, quæ tota se tenet ex parte humanæ voluntatis resistentis. Hinc et nos merito postulamus gratiam sufficientem non quidem *in sensu composito*, seu quatenus implicat resistentiam voluntatis; sed *in sensu diviso*, seu quatenus ex se veram confert potentiam agendi salutariter et actioni salutari semper prævia est, cum actus deliberatus elici non possit, nisi præsupponatur potentia collata (Cfr. Wirceburgenses).

64. Quæritur 2. *Utrum, data gratia sufficienti, alia requiratur, ut actus salutaris eliciatur?*

Resp. Huc redit controversia Thomistas inter et Molinistas, de qua in præcedenti articulo jam dictum fuit : nonnulla tantum addemus de utraque sententia.

1. *Sententia Molinistarum.* Molinistæ docent gratiam sufficientem completam et expeditam facultatem homini conferre non modo ut possit ponere, sed revera ponat actum salutarem. — Ratio est tum quia immerito prorsus sufficiens diceretur gratia, quæ quidem daret posse operari, sed ultra quam alia necessaria esset, ut actus salutaris eliceretur, tum quia, data hujusmodi gratia, quæ non sufficeret ad actum eliciendum, actus omissio non posset nec deberet voluntati unice imputari.

2. *Sententia Thomistarum.* Juxta Thomistas, gratia sufficiens confert quidem homini facultatem *intrinsecam*, qua bene operari possit; sed ultra eam, ut bene revera operetur homo, aut bene utatur hac facultate, requiritur altera validior, scilicet efficax. Hujusmodi vero gratiæ sufficientis notionem eodem modo probant ac realem distinctionem quam admittunt gratiam inter excitantem et adjuvantem, nempe : actus salutaris, aiunt, est quid distinctum a potentia bene agendi, quid nobilius et perfectius ipsa : ergo sicut per gratiam sufficientem Deus constituitur prima et immediata causa potentiæ bene agendi, ita per novam gratiam, nempe efficacem, constitui debet causa prima et immediata actus salutaris.

Quomodo vero in utraque sententia solvantur adversariorum argumenta legi potest apud Mazzella (disp. 3, a. 2) et Billuart (disp. 5, a. 4).

65. Quæritur 3. *Undenam desumendum sit quod gratia sit mere sufficiens?*

Resp. Quæcumque admittatur sententia de natura gratiæ sufficientis, certo tenendum est non a Deo, sed ab homine repetendam esse causam, cur gratia mere sufficiens maneat inefficax. — 1. Et quidem *non a Deo* : constat omnibus textibus sive Scripturæ, sive Traditionis, quibus probavimus dari gratias vere sufficientes, quæ a Deo promanant veramque habent rationem beneficii ; nec desunt, ut vidimus, rationis theologicæ argumenta, quæ idem adstruunt. — 2. *Sed ab homine* : constat etiam iisdem Scripturæ Traditionisque textibus nec non argumentis theologicis, quatenus evincunt gratias dari mere sufficientes ; quippe quod, etsi hominis resistentia semper non arguatur explicite, attamen implicite significatur, cum ipsi tribuatur carentia effectus.

Non est igitur quod immoremur in demonstranda veritate, quæ ad dogma catholicum pertinet. Quomodo vero res se habeant tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, quantum ad hoc quod gratia non sit proxime sufficiens, vel non efficax, sic exponit S. Thomas (in 1. dist. 40, q. 4, a. 2) : « Hominem carere gratia ex duobus contingit, tum quia ipse non vult recipere, tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est ; sed quod iste careat gratia non est bonum simpliciter ; unde hoc absolute consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparat, quia justum est, et hoc modo volitum a Deo. Patet ergo quod hujus defectus absolute prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret ; sed ex parte Dei non est causa hujus effectus, nisi ex suppositione illius quod est causa ex parte hominis. »

§ II. An et quatenus sub influxu gratiæ efficacis voluntas hominis libera maneat?

68. Errores. Liberam esse humanam voluntatem sub influxu gratiæ negarunt Protestantes et Jansenistæ, qui non aliam nisi necessitantem admiserunt gratiam, sed tamen diversimode. Utrique quidem ex illo principio proficiscebantur, liberum nempe hominis arbitrium ita extinctum esse per peccatum originale, ut necessarium sit hominem per gratiam ad bonum ex omni parte moveri, propter suam omnimodam impotentiam; at dum Protestantes nudam et rigidam necessitatem a Deo humanæ voluntati impositam asserebant, Jansenistæ necessitatem ex delectatione cœlesti victrice provenientem inducebant, hominemque huic necessitati subjectum, ideo nihilominus liberum esse affirmabant, quod non coactione aut violentia, sed delectatione tantum necessitetur. Conferantur quæ jam diximus de eorumdem hæreticorum quoad gratiam sufficientem correlativis placitis. — Contra quos sequens statuitur

67. Assertio : *Homo sub influxu gratiæ efficacis manet liber, seu gratia efficax non est necessitans.*

De fide est contra Protestantes; Concilium siquidem Tridentinum (sess. 6, can. 4) ait : Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti... neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra.* Legitur enim (*Ps.* cxviii, 112) : « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas. » Item (*Ezech.*, xviii, 31) : « Facite vobis cor novum et spiritum no- » vum. » Apostolus quoque (I *Cor.*, iii, 8) scribit : « Unus- » quisque propriam mercedem accipiet secundum suum labo- » rem; Dei enim sumus adjutores, » græce συνεργοι, id est, cooperatores; et iterum (*Ibid.*, xv, 10) : « Gratia ejus in me » vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non » ego autem, sed gratia Dei mecum. » — Ex quibus sic arguitur : Voluntas quæ cum gratia efficaci seipsam movet, flectit, atque determinat, imo agit et operatur, certo libera est ab

omni necessitate : atqui manifeste ita se gerit voluntas humana sub influxu gratiæ, ex præfatis textibus ; ergo.

Prob. 2. *Traditione*, quæ constat.

1. *SS. Patribus*, quos Calvinus sibi adversarios et infensos fatetur, præsertim vero contra Jansenistas ex S. Augustini expressis testimoniis, quippe qui librum scripsit *de Gratia et libero arbitrio* contra eos « qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent liberum arbitrium ; aut quando gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium. » Idem quoque (Epist. 157, n. 5, 10) hæc habet : « Valet liberum arbitrium ad bonum, si divinitus adjuvatur... Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur. » Denique (L. *de Spirit. et litt.*, c. 34, n. 60) : « Consentire, inquit, vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est. »

2. *Conciliis*, imprimis vero Concilio Arausicano II (can. 9) dicente : « Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur ; » necnon Concil. Trid., in quo (sess. 6, c. 5), præter canonem supra relatum, declaratur quod adulti, « per Dei excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando, disponantur. »

3. *Auctoritate SS. Pontificum*, qui has propositiones Baii : « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit ; — sola violentia repugnat libertati, » ideo damnarunt, ut humanam vindicarent libertatem sub gratia efficaci, quam Baius necessitantem inducebat. — Clemens XI sequentem propositionem Quesnelli censura quoque perstrinxit : « Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam *nihil impedire potest nec retardare.* »

Confirmant denique Theologi omnes, qui, etsi concordiam gratiæ cum libero arbitrio arduam quæstionem existiment, eam tamen data opera explanare pertentant.

Prob. 3. *Rationibus theologicis.* — 1. Gratia, quantumvis efficax, naturam non destruit, sed perficit ; ergo non tollit usum libertatis naturalis, sed adjuvat. — 2. Hominem suæ ipsius saluti una cum Deo cooperari vereque ideo promereri

vitam æternam, cum Dei sapientia tum hominis dignitas postulant : atqui, ut sic cooperemur Deo vereque promereamur, gratia efficaci et libertate nobis opus est. Ergo. — 3. Ratio divinæ providentiæ exigit etiam, ut tanquam judex, non vero per absolutam potentiam et dominium Deus terminet causas hominum ex hac vita migrantium : atqui, sublato merito, quod sine gratia efficaci et libertate nullum est, jam Deus nequit esse judex. Ergo. Adde multum excellentiæ vitæ æternæ detrahi, si non sit meriti ac proinde gratiæ efficacis et libertatis præmium (Cf. S. August., l. *de Gratia et libero arbitrio;* Suarez, *de Gratia*, l. 5, c. 3, n. 17).

§ III. Undenam repetenda sit infallibilis connexio gratiæ efficacis cum effectu?

68. Status quæstionis. Consentiunt theologi in admittenda infallibilitate connexionis, quam gratia efficax præ sufficiente habet cum effectu. Admittunt pariter infallibilitatem hujus connexionis, primario repetendam esse ex voluntate et scientia Dei prædefinientis actiones liberas hominis, secundario autem et executive provenire ex habitudine auxilii a Deo concessi ad effectum seu consensum voluntatis certo, licet libere, obtinendum. Sed quænam sit illa voluntas et scientia divina, quænam pariter prædicta habitudo gratiæ a Deo concessæ ad liberum consensum voluntatis infallibiliter obtinendum, magno æstu disputatur, nec una est ea de re sententia : duas præcipuas referemus.

I. *Systema Molinistarum.*

69. Expositio. Totum Molinistarum systema ad explicandam infallibilem connexionem quam habet efficax gratia cum effectu, reponitur in ipsorum famosa theoria præscientiæ divinæ futurorum conditionalium, quam vocant *scientiam mediam;* de qua proinde aliquid breviter præmittendum est.

Deus, inquiunt Molinistæ, non solum certissime cognoscit res possibiles, quatenus possibiles, et res existentes, quatenus existentes, quocumque tempore existant, sed etiam cum infinita certitudine cognoscit futura libera conditionalia, quatenus

futura conditionalia, futura nempe quorum existentia pendet a conditione quæ cum ipsa non habet nexum necessarium. Nec enim quidquam Deum infinite intelligentem præterire potest. Porro, illa futura libera conditionalia Deus certe non cognoscit in ipsorum causis etiam proximis, siquidem cum his causis non habent, utpote libera, connexionem necessariam. Nec etiam Deus illa cognoscit in suis decretis. Decreta enim Dei, in ordine ad hujusmodi futura libera conditionalia, non possent esse nisi decreta subjective absoluta, objective conditionalia, uti revera contendunt Thomistæ. Sed hujusmodi decreta in Deo manifestam implicant contradictionem nec proinde admitti possunt. Quum ergo Deus illa futura libera conditionalia non cognoscat in ipsorum causis, nec etiam in suis decretis, restat ut illa cognoscat in ipsa eorum veritate objectiva, penetrando nempe, ut ait Suarez, sua infinita virtute intelligendi, veritatem quæ in ipsis est, seu concipi potest. Et sane, ut ipse prosequitur Suarez, negari non potest futura libera conditionalia habere in seipsis determinatam veritatem objectivam. Ex duobus enim propositionibus conditionatis contradictoriis, v. g., si Petrus constitueretur in his adjunctis, Petrus peccaret, Petrus non peccaret, una est determinate vera, altera determinate falsa, et licet intellectui finito non constet quodnam ex duobus sit verum, quodnam falsum, intellectui tamen infinito constare debet, quum ex ipsa sua perfectione absoluta, necessario cognoscat omne verum, ut objective se habet. Deus ergo cognoscit futura libera conditionalia in ipsorum veritate objectiva, et quia scientia hæc medium tenet inter scientiam *simplicis intelligentiæ* qua Deus cognoscit mere possibilia, et scientiam *visionis* qua cognoscit existentia, quatenus existentia, recte vocari potest et vocatur scientia *media*.

His ergo præmissis de modo quo Deus futura libera conditionalia cognoscit, quæstionem de infallibili connexione gratiæ efficacis cum suo effectu sic solvunt Molinistæ : Deus certissime cognoscit, inquiunt, quidquid est in se et determinate verum. Porro, antecedenter ad quodlibet Dei decretum, in se et determinate verum est, quod si talis gratia in talibus cir-

cumstantiis huic homini concedatur, hic homo gratiæ libere consentiet, vel non consentiet. Ergo Deus certissime cognoscit quod si talis gratia in talibus circumstantiis huic homini concedatur, hic homo gratiæ libere consentiet vel non consentiet. Jam vero, posita hac Dei prævisione, Deus, in sua justa vel misericordi sapientia, decernit talem gratiam homini concedere, et de facto concedit. Si prævidit hominem huic gratiæ non esse consensurum, quia ipsius prævisio falli non potest, homo revera non consentiet, et gratia erit mere sufficiens. E contra, si prævidit hominem huic gratiæ esse libere consensurum, homo revera consentiet, prævisio enim Dei falli nequit, et gratia erit effieax. Hinc patet, juxta Molinistas, infallibilem connexionem gratiæ efficacis cum effectu oriri ex eo quod Deus, per suam mediam scientiam, prævidit infallibiliter liberam hominis determinationem cum tali gratia, et hanc gratiam concedere voluit, et de facto concedit.

70. Demonstratio. Molinistæ sententiam suam sic probant: Illa, inquiunt, merito admittitur explicatio infallibilis connexionis gratiæ efficacis cum libera hominis determinatione, quæ in tuto ponit et hominis libertatem, et gratiæ efficaciam, et infallibilitatem connexionis gratiæ cum libera hominis determinatione, et quidem eo modo qui sit tum rectæ rationi, tum revelationi et doctrinæ Patrum conformis. Atqui talis est explicatio a Molinistis allata.

Et sane — 1° hujusmodi explicatio optime servat hominis libertatem, siquidem gratia efficax est ex ipsa hominis libera determinatione. — Item 2° optime servat gratiæ efficaciam, nam Deus certo certius cognoscit omnes gratias quas homini concedere potest, et ipsi deesse non possunt gratiæ quibus revera homo, quicumque aliunde sit, libere consentiet — Pariter 3° optime tuetur infallibilitatem connexionis gratiæ cum hominis libera determinatione, fundatur enim in prævisione divina quæ falli nequit, ut jam explicatum et probatum est. Denique — 4° explicatio hæc non solum rectæ rationi conformis est, ut patet ex omnibus hucusque dictis, sed etiam revelationi et doctrinæ Patrum. Longius esset hic afferre et discutere varia testimonia quæ adduci possent. Affirmare sufficiat nul-

lum esse testimonium tum ex Scriptura tum ex traditione ecclesiastica desumptum quod, juxta Molinistas, non possit sufficienter et optime explicari cum exposita sententia, sicut nulla est ratio contraria quæ solvi non possit (Cf. Mazzella, disp. 3, a. 7).

71. Nota. Ab hac Molinistarum sententia qualis exposita fuit, non differt *congruismus* a Suarezio propugnatus. Cum enim, juxta ipsos Congruistas, ab homine pendet ut gratia, quam dicunt *congruam*, hujusmodi sit, cum Molinistis consentiunt in repetenda infallibili connexione gratiæ cum effectu ex libera hominis determinatione per scientiam mediam prævisa. Nec revera dari posse videtur medium inter hanc explicationem et Thomistarum theoriam, de qua dicendum nobis superest. (Cfr. Suarez, *de auxil.*, opus 1, l. 3, c. 14, n. 9).

II. *Systema Thomistarum.*

72. Expositio. Thomistæ, ad explicandam infallibilem connexionem gratiæ efficacis cum effectu, recurrunt tum ad summam Dei potentiam, tum ad ipsius certissimam et infallibilem scientiam, tum ad gratiæ ipsius efficacis intrinsecam naturam. Scilicet, Deus, inquiunt, ab æterno decrevit quidquid faciendum est in tempore. Si ergo decrevit talem hominem, cui gratiam præparat, esse cum hac gratia tale bonum opus facturum, et si revera gratiam hanc huic homini concedit, homo ille infallibiliter cum hac gratia bonum opus efficiet, alioquin jam actum esset de voluntatis divinæ omnipotentia. — Item actum esset de ipsius divinæ scientiæ infallibilitate. Deus quippe, ab æterno decernens hominem, cum gratia quam ipsi præparat, esse tale bonum opus facturum, ex ipso suo decreto cognoscere debet et cognoscit infallibiliter hominem hunc cum hac gratia esse revera bonum opus facturum. Si ergo gratia homini concessa non haberet infallibilem connexionem cum libera hominis determinatione, jam non solum de omnipotentia voluntatis divinæ, sed et de infallibilitate divinæ scientiæ actum prorsus esset. — Tandem ipsa natura intrinseca gratiæ qua Deus decernit ut homo bonum opus efficiat, talis esse debet, et quidem talis est, ut infallibiliter connectatur cum effectu.

Gratia enim, quam Deus, ex suo decreto absoluto et omnem prævisionem consensus voluntatis antecedente, concedit ad bonum opus operandum, est ex se et sua ipsa natura efficax, infallibiliter connexa cum suo effectu. Nihil aliud est quam præmotio physica, et physica præmotio, ut ait Billuart, est influxus quo Deus prævie, active et intrinsece applicat causam secundam ad agendum.

73. **Demonstratio.** Thomistæ hanc sententiam suam probant omnibus argumentis ex quibus constare dicunt reale discrimen esse inter gratiam excitantem et adjuvantem. Ideo quippe præter virtutem, qua facultates nostræ intellectuales ad actus indeliberatos illuminationis et inspirationis eliciendos eleventur, novam ac specialem inducunt motionem, quæ voluntatem ad deliberate agendum applicet, ejusque consensum inferunt, quia aliunde repeti nequit infallibilis connexio gratiæ cum effectu. Vide igitur superius dicta (n. 59).

Quod vero ad præsentem quæstionem attinet, hæc addere sufficiat :

1° Negari non potest Deum ab æterno decernere quidquid faciendum est in tempore. Est enim causa prima, summeque independens, a qua proinde cætera omnia quæ positive fiunt pendere debent.

2° In solis et ex solis suis decretis Deus cognoscere potest liberos actus futuros hominis. Non enim illos cognoscere potest in causis etiam proximis, quum sint liberi, ut ipsi agnoscunt Molinistæ; nec illos cognoscere potest in ipsorum veritate objectiva, antequam fiant, ut Molinistæ contendunt; siquidem, antequam fiant, et antecedenter ad Dei decreta, veritas hæc objectiva nec est, nec concipi potest. Ergo in solis suis et ex solis suis decretis Deus cognoscere potest liberos actus futuros hominis.

3° Ex eo quod Deus ab æterno decernat liberos actus bonos ab homine eliciendos, illosque in suis decretis infallibiliter cognoscat, aperte sequitur gratiam quam homini concedit ut actus illi fiant, esse intrinsece et ex sua natura efficacem, ideoque infallibiliter connexam cum effectu; quippe quæ voluntatem ipsam applicet ad actum. Et salvatur tum excellentia

Dei qui est et esse debet causa omnium prima, tum ipsa hominis libertas, quam, nedum tollat, econtra potius producit præmotio physica. Recte enim ait S. Thomas : « Dicendum quod voluntas divina non solum se extendit ut *aliquid fiat* per rem quam movet, sed ut etiam *eo modo fiat* quo congruit naturæ ipsius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si *moveretur libere* prout competit suæ naturæ » (1ª 2æ, q. 10 art. 4 ad 1). Nec semel hæc dicit S. Thomas, sed pluries repetit et inculcat. Vide etiam Billuart (*de Deo et divinis attributis*, diss. 6, a. 6, et diss. 8, a. 3. ; item *de Gratia*, diss. 5, a. 6).

74. Scholium. Nemo ignorat quanta olim exorta fuerit controversia, Dominicanos inter et Jesuitas, occasione libri Ludovici Molinæ, *de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*. Tanta fuit ut Clemens VIII, instituta congregatione speciali Cardinalium et Consultorum, quæ de Auxiliis dicta est, insigniores ex utraque parte theologos solemniter disputare coram se jusserit. Multum revera disputatum est, tum coram Clemente VIII, tum coram Paulo V, Clementis successore, et nihilominus nullum pronuntiavit judicium Paulus V, sed congregationem solvit, et in rescripto dato, contendentibus concessit postestatem contradictorias propugnandi sententias, ea conditione ut nullus adversarios quibusvis censuris notaret. Quare nobis satis fuit in hocce tractatu controversiam exponere Thomistas inter et Molinistas, ut doctrina theologorum de natura gratiæ actualis sufficienter nosceretur.

75. Conclusio capitis secundi. Completo jam secundo capite, antequam ad tertium accedamus, non abs re erit quasi schema proponere, quo facilius noscatur quid in quæstione de natura gratiæ actualis sit certum, quid autem libere disputatum.

1. Certum est — 1. admittendam esse gratiam actualem prævenientiem et excitantem qua non solum externe, sed et interne illustretur hominis intellectus, qua etiam, saltem ex communi consensu theologorum, non solum mediate, sed et immediate excitetur voluntas.

Certum est — 2. per gratiam actualem aliquo modo elevari et roborari facultates hominis intelllectuales ad eliciendos actus supernaturales.

Certum est — 3. gratiam excitantem ex divina bonitate ordinari ad gratiam adjuvantem, quæ gratiæ excitanti ut sic consideratæ, novum addit beneficium.

Certum est — 4. existere gratias actuales excitantes, quæ vere sufficientes sunt, remanent tamen mere sufficientes, et quidem, ex culpa hominis, et nihilominus retinent veram rationem beneficii.

Certum est — 5. existere etiam gratias actuales vere efficaces, quæ infallibilem habent connexionem cum suo effectu, et quibus tamen illæsa manet hominis libertas.

II. Libere disputatur inter theologos, Thomistas præsertim et Molinistas :

Utrum — 1. per gratiam actualem, facultates hominis intellectuales, eleventur et roborentur *intrinsece* per virtutem seu qualitatem realem et supernaturalem ipsis a Deo transeunter communicatam, vel *extrinsece*, per specialem et supernaturalem Dei assistentiam nobiscum immediate operantis; utrum — 2. gratia adjuvans sit nova gratia ab excitante realiter distincta, vel sit ipsa gratia excitans, quatenus cum voluntate consentiente operatur; utrum — 3. gratia actualis sit sufficiens aut efficax *intrinsece* et ex sua natura, vel *extrinsece*, ex ipsa hominis libera voluntate.

CAPUT III.

DE DISTRIBUTIONE GRATIÆ ACTUALIS.

76. Status quæstionis. — Non agitur impræsentiarum de distributione gratiæ efficacis, cum nemo sit qui contendat eam omnibus dari, sed solum de distributione gratiæ sufficientis. — Præterea nomine gratiæ sufficientis hic non intelligitur ea tantum, per quam proxime et sine ulteriori auxilio homo pos-

sit tentationes superare, bonum supernaturale operari, etc.; certum est enim hanc gratiam proxime sufficientem non semper dari. Sed quæstio est utrum omnibus dentur gratiæ saltem remote sufficientes, quibus, si bene utatur homo, proxime sufficientem obtineat. — Demum hic non quæritur utrum omni tempore et momento, singulis hominibus detur hujusmodi gratia sufficiens. Constat namque gratiam sufficientem, quæ est inspiratio transiens, non perpetuo et indesinenter dari, sed loco et tempore opportuno; quod sufficit, ut homo dicatur habere gratiam sufficientem ad salutem consequendam.

His positis, quæstio moveri potest — 1. de justis; — 2. de peccatoribus; — 3. de infidelibus.

§ I. An justis omnibus dentur gratiæ sufficientes?

77. Quæstio est an omnibus justis, urgente præcepto, dentur gratiæ sufficientes, quæ relative ad præsentes eorum vires et ad actualem eorum concupiscentiam, necessarias ipsis conferant vires ad tentationes vincendas et præcepta implenda. Negative respondent Lutherus, Calvinus, et imprimis Jansenius, qui sequentem propositionem propugnavit : « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. » — Contra quos sit sequens

Assertio : *Justis omnibus, urgente præcepto, dantur gratiæ saltem remote sufficientes.*

Est de fide, utpote definita a concil. Trid. (can. 18, *sess.* 6) : « Si quis dixerit, Dei præcepta *homini etiam justificato et sub gratia constituto*, esse ad observandum impossibilia; anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura sacra.* In veteri Testamento (Ps. xxxiii, 15) legitur : « *Oculi Domini super justos*, et aures ejus in » preces eorum ; » et (*Eccli.*, ii, 13) : « Pius et misericors est » Deus, et *protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* » — In Evangelio Christus ipse ait (*Matth.*, xi, 30) : « Jugum » meum suave et onus meum leve; » additque S. Joannes (I Ep., v, 3) : « Mandata ejus gravia non sunt. » Hæc autem

eatenus vera sunt, quatenus justis præsto est gratia, qua mandata levia fiant, imo possibilia evadant. — Apostolus demum (I *Cor.*, x, 13) scribit : « Fidelis est Deus, qui *non patie-*» *tur vos tentari supra id quod potestis*, sed *faciet etiam cum* » *tentatione proventum*, ut possitis sustinere; » quæ quidem verba sic exponit D. Thomas (in c. x, I *Cor.*, in fine) : « Debetis sperare, quia Deus est fidelis...; non videretur autem esse fidelis, si nos vocaret ad societatem Filii et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ pervenire ad eum possumus; » unde (*Josue*, I, 15) dicit : « Non te deseram, neque derelinquam. »

Prob. 2. *Traditione.* S. Augustinus (lib. *de Natur. et grat.*, cap. 26, n. 29) hæc habet : « Medicus homo, cum sanaverit hominem... dimittit. Ipse autem Deus, cum... justificat impium, cum ad perfectam sanitatem justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur; » porro Deus justum desereret, si gratias saltem sufficientes ei non conferret; ergo. — Concilium vero Arausicanum (*can.* 25) ita statuit : « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » — Accedit auctoritas Romanorum Pontificum, qui supra citatam Jansenii propositionem damnarunt.

Prob. 3. *Ratione theol.*, quia nempe nulla ex parte hominis fingi potest culpa ac causa, cur justis Deus deneget gratiam sufficientem, sine qua præcepta divina adimplere nequeunt; non quidem peccatum originale, quod per baptismum remissum fuit; neque concupiscentia, quæ, cum peccatum non sit, pœnam mereri non potest; nequé demum peccatum aliquod actuale præcedens, quod nonnisi veniale concipitur, atque adeo causa esse nequit cur justi auxilio necessario destituantur.

§ II. An fidelibus peccatoribus dentur gratiæ sufficientes?

78. Status quæstionis. Qui inter fideles, seu christianos, existunt peccatores, duplicis sunt generis. Alii simplices sunt

peccatores, qui, licet actualiter in peccato mortali degant, in illo tamen sibi non placent, et ex eo emergere in votis habent. Alii vero sunt peccatores insignes, et in peccatis diu versati, et qui ideo dicuntur peccatores *obdurati* et *obcæcati*. Ad hos peccatores obduratos certe referendi sunt illi homines, qui, nec judiciis Dei, nec conscientiæ remorsibus, nec pœnarum æternarum metu moventur, erga Deum officia sua negligunt jugiter, et peccata peccatis indesinenter addunt.

Jam vero certum est *peccatoribus obduratis multas gratias subtrahi*; nam in Scrip. S. Deus peccatores qui gratiæ resistunt, indurare dicitur : « Induravit Dominus cor Pharaonis » (*Exod.*, IX, 12). Deus autem non indurat *positive*, impertiendo malitiam, quod sanctitati ejus repugnaret, sed subtrahendo quasdam gratias, quibus intellectus illustraretur et voluntas ad bonum inclinaretur (*Isa.*, V, 5; VI, 9). — Eodem sensu intelligenda sunt hæc verba Christi : « Omni habenti dabitur, et » abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, » auferetur ab eo » (*Matth.*, XXV, 29); ergo constat peccatoribus excæcatis et obduratis multas gratias subtrahi.

Quod quidem intelligendum est de subtractione non tantum gratiarum efficacium, sed etiam multarum gratiarum proxime sufficientium : attamen Deus nunquam penitus deserit peccatores quantumvis obduratos, de quibus agitur in præsenti quæstione; quoad autem simplices peccatores nullus est theologus qui asserat eos gratia sufficienti destitui; cæterum quæ de peccatoribus induratis dicenda sunt, satis ostendent quid de illis sit sentiendum. — His præmonitis, sequens statuitur

79. Assertio : *Omnibus fidelibus, etiam peccatoribus obduratis, dantur gratiæ, saltem remote sufficientes, quibus possint et peccata vitare et a peccatis resipiscere.*

Prob. 1. *Script. Sacra*; legitur enim (*Ezech.*, XXXIII, 2) : « Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua » mala, et vivat; » — item (II *Pet.*, III, 9) : « Nolens aliquos » perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti; » — et (*Rom.*, II, 4) : « An divitias bonitatis ejus... contemnis ? Ignoras quo- » niam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum » autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi

» iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. » Ibi specialiter de obduratis sermo esse videtur, et tamen asseritur gratias sufficientes illis concedi.

Prob. 2. *Traditione.* Conc. Lateran. IV ait : « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest *semper* pœnitentiam reparari. » — Idem vero confirmant SS. Patres, dum dicunt Deum nemini correctionis viam adimere, et nunquam desperandum esse de pœnitentia cujuscumque pessimi, etiamsi in extremum improbitatis pertigerit; hæc enim supponunt omnibus peccatoribus obduratis dari gratias conversionis saltem remote sufficientes. Nonnulla eorum testimonia citare juvat : sic S. Augustinus (lib. 1 *de Retract.*, c. 19, n. 7) ait : « De quocumque pessimo hac in vita constituto non est utique desperandum. » — S. Prosper (*Resp.* 15 *ad Obj. Vincent.*) : « Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate despoliat. » — S. Chrysostomus (*ad Theodor. lapsum*, 1, n. 6) : « Deus nunquam aversatur sinceram pœnitentiam, sed etiamsi quis in extremum improbitatis pertigerit, et hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipsum suscipit et amplexatur. »

Prob. 3. *Rat. theol.* Indurati tenentur præcepta implere; ergo id possunt, quia Deus impossibilia non jubet : porro adest præceptum perpetuum conversionis; ergo possibilis est, saltem remote, hæc conversio. — Insuper desperatio est peccatum pro omnibus; ergo omnes ad Deum sese convertere possunt. — Demum erga omnes peccatores adhiberi debent adhortationes, deprecationes, minæ...; ergo possibilis judicatur eorum conversio.

§ III. An omnibus infidelibus adultis dentur gratiæ sufficientes?

80. Inter infideles alii sunt *negativi*, qui de Christo nihil unquam audierunt; alii *positivi*, qui, audito Evangelio, sese incredulos exhibuerunt. De prioribus quæstio potissimum agitur.

Assertio : *Infidelibus omnibus gratiæ ad salutem remote saltem sufficientes dantur.*

Prob. 1. *Scrip. S.* Legitur (*Joan.*, I, 9) : « Erat lux vera

» (Verbum) quæ illuminat omnem hominem venientem in » hunc mundum. » — Item (I *Tim.*, II, 4) de Deo dicitur quod « omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis » venire. » Quæ verba, ob eorum generalitatem, omnes omnino homines complectuntur, et vera esse nequeunt, nisi omnibus gratiæ saltem remote sufficientes conferantur; alioquin enim nec Verbum illuminaret omnem hominem, nec Deus vellet salutem omnium.

Prob. 2. *Ex SS. Patr.*, qui unanimi ore prædicant Christum pro omnibus venisse et passum esse, gratiam diffusam fuisse in omnes, in judæum, in græcum, in barbarum et in scytham; sic S. Ambrosius (*in Ps.* XVIII, n. 57) ait : « Mysticus ille sol justitiæ *omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est*, et omnibus resurrexit; ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, *generali beneficio* sese fraudat. » — S. Chrysostomus (Hom. 8, alias 7, *in Joan.*, n. 2) : « Gratia *omnibus* diffusa est : non judæum, non græcum, non barbarum, non scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem aversatur; sed omnes similiter admittit. » — Idem docent S. Augustinus (*in Ps.* XVIII, n. 7) et S. Prosper (*de vocat. gentium*, l. 2, c. 14 et 15).

Prob. 3. *Rat. theol.* Ratio a priori est, quod Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, velit voluntate vera et sincera, ex qua defluunt in omnes gratiæ ad salutem sufficientes. Ratio est adhuc quod Christus mortuus sit pro omnibus omnino hominibus, qui in Adamo peccaverunt, uti ostensum fuit in Tract. *de Redemptione*.

Hinc Alexander VIII hanc proscripsit propositionem : « Pagani, judæi, hæretici nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti. »

Obj. Sequens Baii propositio n. 68 damnata fuit : « Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » Atqui si omnibus infidelibus darentur gratiæ sufficientes, quibus ad fidem adduci possint, si illis bene uti voluerint, hæc infidelitas esset voluntaria, saltem in causa,

ac proinde peccatum ; ergo non dantur illis gratiæ sufficientes. — Resp. *neg. min.* Nam ut aliquid sit voluntarium in causa, omnino requiritur, ut aliquo modo cognoscatur ex causa secuturum : porro infideles negativi non possunt prævidere infidelitatem sequi ex transgressione legis naturalis, cum inter utrumque nulla sit connexio necessaria; ergo hæc infidelitas non est voluntaria in causa. Hinc si moriuntur in infidelitate negativa, — 1. excluduntur a beatitudine, tum propter peccatum originale, tum etiam propter peccata actualia ; — 2. suppliciis positivis cruciantur propter peccata actualia et liberam gratiis divinis resistentiam, non autem propter infidelitatem negativam.

81. Scholium 1. *De providentia supernaturali Dei erga infideles.* — Prædictas gratias sufficientes a Deo infidelibus concessas sic communiter explicant theologi : Deus, intuitu meritorum Christi, infidelibus aliquam intellectus illustrationem et piam voluntatis motionem concedit, qua ad servandam legem naturalem excitantur; quod si gratiæ Dei obicem non ponant, sed pro viribus huic intellectus inspirationi voluntatisque motioni obsequantur, peccatumque declinent, pro loco et tempore dabitur eis gratia proxime sufficiens ad fidem; nempe vel revelatio interna, vel prædicatio Evangelii quam comitaretur gratia interna, vel divina Angeli missio, ut vult S. Thomas (quæst. 24, *de veritate*, a. 2, ad 1), vel medium aliquod nobis ignotum, sed cognitum Deo, summe misericordi et optimo, qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire.

Circa naturam vero illius auxilii infidelibus concessi ad legem naturalem implendam, dissentiunt auctores; alii nempe ad gratiam mere *medicinalem*, alii ad gratiam *elevantem* illud revocant. Vide dicta in primo capite (n. 27).

Quidquid sit, tenendum est Deum velle salutem omnium infidelium adultorum, et illis gratias sufficientes conferre, via nobis equidem forsan ignota, sed certa. — Cæterum non desunt theologi, qui asserunt ad vindicandam Dei providentiam satis esse, si fuerint instituta a Deo media omnibus sufficientia, licet ex causis naturalibus, quas Deus tanquam pro-

visor generalis auferrre non tenetur, in quibusdam casibus media illa applicari non possint.

82. Scholium 2. *De infantibus sine baptismo decedentibus.*— Duo imprimis certa sunt, nempe : — 1. Deum sufficienter providisse infantibus, qui in lucem editi, sine baptismo decedunt culpa vel negligentia parentum. Etenim baptismus pro eorum salute est institutus, nec per Deum stat quominus ipsis applicetur; id enim provenit duntaxat ex parte parentum, sive fidelium qui negligentes sunt, sive infidelium qui converti nolunt; — 2. sufficienter, pari ratione, a Deo de remedio salutis provisum fuisse iis infantibus, qui in utero materno, negligentia aut culpa parentum vel aliorum, exstinguuntur; Deus quippe huic negligentiæ vel culpæ obstare non tenetur.

Difficultas ergo tota est de iis infantibus, quibus, sive in lucem editis, sive in utero materno, absque ulla parentum aut aliorum culpa, sed vi naturæ, ob leges physicas a Deo sancitas, morientibus, nulla humana industria et diligentia baptismus applicari potest; utrum scilicet Deus illis sufficienter providerit.

Vasquezius et alii pauci theologi, hac gravissima difficultate pressi, opinati sunt Deum nullo medio sufficienti saluti horum infantium providisse, nec proinde eorum salutem velle. Verum probationes, quibus in Tract. *de Deo creatore* stabilita fuit voluntas Dei salvandi omnes, nimis generales sunt, ut admitti possit hæc sententia. Hanc Dei voluntatem salvandi infantes ex professo docet S. Augustinus (*contra Julianum*, lib. 4, c. 8, n. 42), ubi dicit : « Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est : omnes homines vult salvos fieri? »

Ex adverso, Cajetanus existimavit parvulos illos, propter orationes parentum, vel per aliud remedium posse sine baptismo salvari; Gabriel et alii dicunt posse hoc de divina pietate sperari. Certum est tamen, inquit Suarez, eos de lege non salvari, nec habere aliud remedium, et hanc opinionem Cajetani ex illius operibus expungi voluit Pius V.

Alii vero theologi mediam viam tenent, et communissime docent Deum velle salutem etiam horum infantium,

atque baptismi institutione eorum saluti sufficienter providisse. Etenim hæc tria certa videntur : — Baptismus est medium ex se sufficientissimum, commune, facillimum. — Medium illud, quantum in se est, Deus vult omnibus conferri, et si prævidet aliqua impedimenta occurrentia, illa tanquam provisor generalis, et ob bonum generale, voluntate tantum permissiva et consequenti vult. — Hæc voluntas permissiva et consequens non destruit voluntatem Dei antecedentem; ad hoc enim requireretur ut Deus teneretur prævisa obstacula tollere; atqui non tenetur; nam Deus est provisor generalis, qui singulis rebus ita providere debet, ut nulli benefaciat dispendio alterius. « Provisor universalis, ait S. Thomas (1, q. 22, a. 2, ad 2) permittit quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi. » Porro, his admissis, facile intelligitur quomodo Deus baptismi institutione saluti omnium infantium sufficienter providerit.

Non desunt tamen, quibus hæ solutiones non arrident; ideoque autumant nihil sapientius hac de re dici posse quam quod nos penitus lateat modus, quo eorum infantium saluti providere Deus voluit; unde Bossuetius : « *Dieu s'est réservé la connaissance de ses moyens.* »

PARS II.

DE GRATIA HABITUALI.

83. Gratia habitualis seu sanctificans vulgo definitur : *Supernaturale Dei donum permanenter inhærens animæ, quo homo immediate et formaliter sanctus efficitur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ ejusdemque hæres.* Hujus definitionis sensus et legitimitas ex dicendis innotescent. Triplex vero erit caput : *primum* nempe

de natura gratiæ habitualis; *secundum* de ejus homini peccatori largitione, seu de justificatione peccatoris; *tertium* de ejusdem fructu, seu de merito operum ex gratia factorum.

CAPUT I.

DE NATURA GRATIÆ HABITUALIS.

84. Gratiæ habitualis naturam tria declarabunt, ejus nempe primarius ac veluti genericus conceptus, physica ipsius entitas et demum eximiæ ejusdem prærogativæ. Quæ quidem in tribus articulis exponemus.

ARTICULUS I.

De conceptu generico gratiæ habitualis.

85. Gratia habitualis seu sanctificans, si generice spectetur, velut donum quoddam nobis apparet. Quale vero donum sit, an scilicet donum creatum, animæ intrinsecum et a caritate distinctum, hic quæstio est. Pro cujus solutione triplex igitur erit paragraphus.

§ I. Utrum gratia sanctificans sit donum creatum?

86. Petrus Lombardus, cui nomen est *Magister Sententiarum*, docuerat caritatem non esse aliquid creatum in anima, sed ipsammet Spiritus Sancti personam mentem hominis inhabitantem. Exinde vero quidam censentes gratiam sanctificantem a caritate realiter non distingui, logice deduxerunt eam esse ipsum Spiritum Sanctum, nec proinde donum creatum. Eamdem sententiam tenuisse videtur P. Petavius, qui (l. 8, *de Trin.*, c. 4) hanc propositionem demonstrare nititur : « Spiritus Sancti substantia ipsa donum est, quod ad justos et adoptivos Dei filios efficiendos divinitus infunditur, ut sit formæ cujusdam instar, qua status supernaturalis constat. » Sed commu-

nissime theologi docent gratiam sanctificantem a Spiritu Sancto distingui; cum quibus, sequens sit

87. Assertio : *Gratia habitualis est donum creatum, nec proinde ipsa Spiritus Sancti persona animam formaliter sanctificans.*

PROB. 1. *Scriptura Sacra*, verbis nempe S. Pauli dicentis (*Rom.*, v, 5) : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per » *Spiritum Sanctum*, qui datus est nobis. » Quibus verbis, Spiritus Sanctus a caritate, ideoque a gratia sanctificante, quæ hic caritatis nomine venit, sicut causa ab effectu, distinguitur.

PROB. 2. *Traditione*, nempe — tum *ex SS. Patribus*, pro quibus sint S. Cyrillus (or. l. 4, *in Is.*, or. 4) dicens : « Formatur autem Christus in nobis, Sancto nobis Spiritu divinam quamdam formam induente; » et S. Augustinus, qui (*Conf.*, l. 12, c. 15, n. 20) ait : « Quantum interest inter lumen quod illuminat, et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quæ creat, et istam quæ creata est; inter justitiam justificantem et justitiam quæ justificatione facta est; » — tum *ex concilio Tridentino* definiente causam formalem nostræ justificationis esse « justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ. »

PROB. 3. *Ratione*. Si enim Spiritus Sanctus esse posset causa formalis nostræ justificationis, id præstaret, vel per suam naturam, quam habet communem cum Patre et Filio, vel prout est persona a Patre et Filio distincta : atqui neutrum dici potest. — Non *primum;* alioquin dicendum esset Deum nos justificare justitia qua justus est. — Nec *secundum;* exinde enim sequeretur Spiritum Sanctum terminare animam justi, sicut Verbum terminat naturam humanam ab eo assumptam. Ergo.

88. Scholium. Etsi gratiam habitualem ad rationem doni creati revocemus, non idcirco asserere intendimus eam ex nihilo produci. Id quippe negat S. Thomas (1. 2, q. 113, a. 9), ubi opponit justificationem creationi, ut actionem distinctam, et dicit creationem ex parte modi operandi esse majus opus justificatione, quia creatio fit ex nihilo, non justificatio, licet

ex parte rei productæ justificatio sit majus creatione cœli et terræ. Item (q. *de Virtutibus in communi*, a. 29, ad 3) docet habitus supernaturales, quorum præcipuus est gratia, educi de potentia obedientiali subjecti. — Ratio est quia creari proprium est rei subsistentis : atqui gratia non est res subsistens, sed accidens animæ inhærens, ut mox dicemus; ergo.

Hinc sequitur quod gratia *educatur de potentia obedientiali animæ*. Educi enim est fieri dependenter a subjecto : atqui gratia in suo fieri connaturaliter dependet ab anima; ergo.

§ II. An et quatenus gratia habitualis sit donum animæ intrinsecum?

89. Lutherani et Calvinistæ contendunt gratiam habitualem non esse aliquid inhærens animæ; sed meram imputationem externam justitiæ Christi, cujus intuitu Deus hominem diligit, ejus peccata dissimulat, eumque habet hæredem et filium, quamvis ejus anima peccatis maculata remaneat.

Contra illos probandum venit gratiam sanctificantem habendam esse velut donum — 1. animæ intrinsecum; — 2. permanenter in anima perseverans; 3. per modum habitus animæ inhærens. Quæ tria seorsim stabilienda veniunt : Unde

90. Assertio 1ª : *Gratia sanctificans est donum in anima infusum eique intrinsece inhærens.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 6, c. 11) ait : « Si quis dixerit hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, *atque illi inhæreat*; aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei; anathema sit. »

Prob. 1. *Scrip. Sacra*, in qua hæc leguntur (I *Cor.*, III, 16) : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in » vobis? » — (*Joan.*, XIV, 23) : « Ad eum veniemus, et man- » sionem apud eum faciemus. » — (*Rom.*, VIII, 11) : « Propter » inhabitantem Spiritum ejus in vobis. » — (I *Cor.*, VI, 11) : « Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, » sed justificati estis. » — Ex quibus sic : Illud est animæ inhærens et intrinsecum, quo evenimus templum Dei, habitacu-

lum Spiritus Sancti, quo abluimur, sanctificamur, justificamur; atqui hæc gratia sanctificante fiunt; ergo.

Prob. 2. *Traditione.* SS. Patres unanimi ore profitentur hominem vere et interne justificari gratia Dei. — S. Chrysos. exponens illud (*Ephes.*, 1) : « *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*, » dixit (hom. 1, n. 3) : « Deus non tantum a peccatis liberavit nos, sed nostram instruxit et *ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem*; cupiunt enim Angeli talem aspicere animam. » — S. Ambrosius (lib. *de Mysteriis*, c. 7, n. 34) sic alloquitur baptizatum : « Accepisti vestimenta candida, ut sint indicium quod exueris involucrum peccatorum, *indueris innocentiæ casta velamina.* » — S. Augustinus (*in Enchiridio*, c. 52, n. 14) : « Quemadmodum in Christo vera mors facta est; sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis *vera justificatio.* »

Consonat Catechism. conc. Trid. his verbis : « Est autem gratia, quemadmodum Trid. Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas *in anima inhærens*, ac veluti splendor quidam et lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit. Atque id ex sacris litteris aperte colligitur » (*de Baptism.*, n. 50).

Prob. 3. *Rat. th.* — 1. Per justificationem non solum homo desinit esse malus, sed etiam fit bonus et justus : atqui homo non fit bonus et justus per solam remissionem peccatorum, sicut nec paries fit albus per solam expulsionem nigredinis; ergo gratia sanctificans consistit in aliqua qualitate menti inhærente. — 2. Si gratia sanctificans est ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa, et imputata, parvuli non justificantur per baptismum, cum fidei sint incapaces; ergo vel non justificantur pueri, vel justificatio non consistit in justitia Christi per fidem apprehensa. — 3. Per gratiam habitualem Deo grati sumus, et ab ipso diligimur; atqui amor Dei, cum sit potentissimus et efficacissimus, neque solum affectivus, sed effectivus, bonum non supponit, sed efficit. Ergo fieri non potest, ut

Deus hominem diligat et gratum habeat, quin ipsum bonum efficiat secundum modum, quo ipsum diligit, nempe ipsi conferendo bonum supernaturale, quo fit ipsi gratus et amicus in ordine ad finem supernaturalem (Cf. S. Thomas, 1. 2, q. 110, art. 1).

91. Assertio 2ª : *Gratia sanctificans est in anima permanenti modo, ita ut animæ non substrahatur absque ejus culpa, et antequam per peccatum odiosa fiat.*

Prob. 1. *Script. S.* — (I *Cor.*, III, 16) : « Nescitis quia » *templum Dei estis*, et Spiritus Dei *habitat in vobis.* » — (*Rom.*, VIII, 11) : « Propter *inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* » — (*Joan.*, XIV, 23) : « Ad eum veniemus et mansionem » apud eum faciemus. » — (I *Joan.*, IV, 16) : « Qui *manet in* » *caritate*, in Deo manet et *Deus in eo.* » Porro mansio, inhabitatio, templum, indicant aliquid permanens ; ergo.

Prob. 2. *Rat. theol.* Ex præcedenti thesi, de fide est gratiam sanctificantem esse aliquid animæ inhærens et intrinsecum ; porro quod est inhærens et intrinsecum, est etiam permanens ex natura sua; ergo gratia sanctificans est in anima modo permanenti.

Et vero justitia hominem apud Deum ita justum constituit, ut licet ab operatione actuali desistat, dummodo non peccet graviter, vere justus permaneat; infantes enim et adulti dormientes sane sunt justi, quamvis nihil operentur, imo etiamsi forsan venialiter delinquant : atqui homo non potest ita in justitia perseverare, nisi in ea permaneat forma qua justus efficitur. Ergo.

Rationem demum congruentiæ assignat D. Thomas (1. 2, q. 110, art. 2) dicens : « Non est conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus ; et sic motus quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud (*Sap.*, VIII, 1) : « Et disponit omnia suaviter. »

Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum.

Disputant tamen theologi an assertio ista sit de fide. Dicendum videtur illam non esse de fide catholica, quia sat aperte non definita fuit; esse vero de fide divina, aut saltem inter conclusiones theologicas annumerandam esse, uti ex probationum expositione constat.

92. Assertio 3ª: *Gratia sanctificans est qualitas ad modum habitus animæ inhærens.*

Prob. 1. *Auctoritate catechismi concilii Tridentini*, in quo hæc leguntur jam citata: « Est autem gratia, quemadmodum Trid. Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decrevit, non solum per quam fit peccatorum remissio, sed *divina qualitas in anima inhærens*, ac veluti splendor quidam et lux, quæ animarum nostrarum maculas delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit. » Moxque subjungit: « Quæ (gratia) nos ad omnia christianæ pietatis officia habiles reddit. » — Nec ob aliam rationem gratia sanctificans nuncupari et dici solet *habitualis*.

2. *Ratione theol.* Nam *habitus* nomine designatur qualitas permanens, difficile mobilis, disponens subjectum, ut bene vel male se habeat in suo esse vel operari: atqui gratia sanctificans est quid *permanens*, ut patet ex jam dictis; — est *difficile mobilis*, saltem quantum est *ex se* et ex *suis principiis*; nam *per accidens*, ratione status et subjecti, fieri potest ut facile moveatur; et tandem hominem ad bonum vel malum ex se indifferentem disponit, ut *bene se habeat circa divina*. Ergo.

Nec dicatur negare D. Thomam gratiam esse habitum, quando asserit eam non immediate ordinari ad actum, sed ad quoddam esse spirituale quod in anima facit (*De verit.*, q. 27, art. 2 ad 7). Intelligit enim Angelicus Doctor habitum immediate *operativum*, prout communius usurpatur; sed præter habitus operativos, qui potentias ad bene vel male operandum disponunt, et proprie dicuntur *virtutes* aut *vitia*, prout boni vel mali sunt, alii ipsammet substantiam ad bene

vel male se habendum determinant, et hujusmodi est gratia sanctificans, quæ proinde non est virtus (Cfr. S. Thomas, 1. 2, q. 110, art. 3).

§ III. Utrum gratia habitualis sit donum a caritate distinctum?

93. Opiniones. — Scotistæ, eo quod iidem effectus sive gratiæ sive caritati indiscriminatim tribui solent, nonnisi distinctionem virtualem gratiam habitualem inter et caritatem admittunt. — Thomistæ e contra gratiam a caritate realiter distingui contendunt; cum quibus sit sequens

94. Assertio : *Gratia a caritate probabilius distinguitur.*

Prob. 1. *Scriptura Sacra,* in qua de gratia et caritate, tanquam de duabus rebus distinctis, frequens mentio fit; sic (II *Cor.*, XIII, 13) legitur : « Gratia Domini nostri Jesu Christi » et caritas Dei : » item (*Rom.*, v, 5) : « Caritas Dei diffusa est » in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est » nobis; » per Spiritum autem intelligitur gratia, per quam Spiritus habitat in nobis.

Prob. 2. *Auctoritate concilii Tridentini* definientis (sess. 6, can. 11) hominem non justificari « exclusa gratia et caritate; » quibus verbis aperte innuitur non idem esse gratiam ac caritatem. Similiter (*Ibid.*, c. 7) docet renovationem interioris hominis fieri « per voluntariam susceptionem *gratiæ* et *donorum.* » Quæ duo haud obscure innuunt gratiam et caritatem (*donorum*) non unum atque idem esse.

Prob. 3. *Ratione.* Namque caritas supponit gratiam; ergo ab ea distinguitur. Antecedens sic evincitur : virtus supernaturalis supponit hominem constitutum in esse supernaturali, sicut virtus naturalis supponit esse naturale. Atqui caritas est virtus supernaturalis, et esse supernaturale per gratiam communicatur, ut mox probabitur : ergo caritas realiter distinguitur a gratia.

Confirmatur idem antecedens ex eo quod Deus non minus cumulate naturam in ordine supernaturali tractet quam in ordine naturali; atqui in ordine naturæ dat primo substantialem formam, deinde potentias agendi in natura radicatas; ergo similiter in ordine supernaturali debuit natura ad or-

dinem divinum sublimari per gratiam, et deinde per virtutes operativas (S. Thomas 1. 2, q. 110, a. 3).

95. Corollaria. Ex jam probatis, colligere est — 1. gratiam sanctificantem *non in aliqua animæ potentia* sed *in ipsa ejus essentia*, tanquam in subjecto, residere; sequitur ex modo dictis; nam potentia animæ est proprie subjectum virtutis : atqui gratia non est virtus, sed quid prius virtute, siquidem ab ipsa virtutes dimanant. Ergo habere debet subjectum prius potentiis animæ, quod non potest esse aliud quam essentia animæ (S. Thomas, *loc. cit.*, a. 4).

Confirmatur ex eo quod, nisi dicatur gratiam sanctificantem in ipsa animæ essentia tanquam in subjecto recipi, dicendum foret animæ essentiam minus perfici donis supernaturalibus quam ejus potentias : atqui illud inconveniens esset; ergo debet in ea reponi donum aliquod supernaturale ipsam elevans ad ordinem supernaturalem, ita ut totus homo sit supernaturaliter perfectus et quoad esse et quoad operari; quod quidem non potest esse, nisi gratia sanctificans in ipsa animæ essentia tanquam in subjecto resideat (Cf. Billuart, *de Gratia*, diss. 4, a. 5).

96. Colligere est — 2. gratiam habitualem ab anima ejusque potentiis *realiter distingui*; quod quidem confirmat Suarez ex eo quod fieri non potest, nec intelligi, quod anima in substantia sua elevetur et fiat particeps divinæ naturæ (ut infra probabitur) sine additione alicujus propriæ formæ realiter ab illa distinctæ, per solum modum aliquem illi realiter identificatum. Accedit quod gratia sanctificans habet effectum intrinsecum, realem et positivum, superantem quamcumque animæ exigentiam; ergo cum illa identificari non potest.

97. Colligere est — 3. gratiam sanctificantem *naturæ munus gerere in ordine supernaturali*; nec mirum : sanctificatio enim hominis nova generatio dici solet : sed generatio terminatur ad naturam; ergo in homine justo nova producitur natura, quæ in gratia habituali consistit. Præterea una est hominis sanctificatio, etsi plures qualitates ad eam concurrant; hujusmodi autem qualitates, quæ in variis potentiis creaturæ rationalis subjectantur, non in unam sanctificationem coalescerent, nisi

ab una eadem natura velut ab una radice dimanarent. Ita D. Perriot (*de Gratia*, p. 2, c. 2, a. 2). — Hinc ulterius sequitur virtutes a gratia habituali profluere non tantum moraliter, sed physice, seu saltem modo quodam ad fluxum physicum accedente, quatenus scilicet gratia ita est radix illarum, ut juxta dignitatem status et capacitatem subjecti illas exigat; quod quidem videtur conformius modo loquendi S. Thomæ, qui dicit virtutes a gratia fluere, derivari, oriri, etc.

ARTICULUS II.

De physica entitate gratiæ habitualis.

98. Theologi, duce Angelico Doctore, communiter asserunt gratiam habitualem reponendam esse in participatione quadam non morali tantum, sed etiam physica et formali ipsius naturæ divinæ. « Gratia quæ est accidens, inquit citatus Aquinas (3, q. 2, a. 10, ad 1), est quædam similitudo divinitatis participata in homine; » et (*Ibid.*, q. 3, a. 4, ad 3) : « Assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad aliquam participationem divinæ naturæ, secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius. » Hanc igitur doctrinam, in qua continetur veluti medulla totius ordinis supernaturalis, uberius exponere juvabit, ideoque sequens instituitur

99. Assertio : *Gratia sanctificans est formalis et physica participatio divinæ naturæ.*

Prob. 1. *Scipt. Sacra.* Legitur enim (II *Petr.*, I, 4) : « Per » quem (Christum) maxima et pretiosa nobis promissa dona- » vit, ut per hæc efficiamini *divinæ consortes naturæ.* » Quibus verbis evidenter apparet donum gratiæ consistere in *consortio divinæ naturæ.* — Idem constat omnibus textibus, quibus Scriptura testatur justos per gratiam *generari, nasci, renasci, filios Dei fieri.*

Prob. 2. *Auctoritate SS. Patrum*, pro quibus sint — S. Cyrillus docens « super illam (unitatem discipulorum cum Deo, quæ fit per concordiam voluntatis) esse unitatem illorum cum Deo *per quamdam deitatis conformitatem*, qua, *participatione divinitatis eis communicata, in Deum transeunt atque*

transferuntur, servata suæ naturæ veritate...; » — S. Augustinus, qui ait (Epist. 140, c. 4) : « Manens (Filius) in natura, factus est particeps naturæ nostræ, ut nos manentes in natura nostra, efficeremur *participes naturæ ipsius.* »

Prob. 3. *Ratione theologica.* Nam homo justus, vi gratiæ sanctificantis, radicaliter disponitur ad Deum intuitive videndum, ad ipsum amore beato diligendum et ad omnia propter ipsum facienda. Atqui illud fieri non potest, quin participet physice et formaliter divinam naturam, qua scilicet Deus seipsum intuitive videt, seipsum amore beatifico diligit et omnia extra se propter se facit. Ergo. — Etvero gratia sanctificante homo a Deo donatur, ut actus vitæ æternæ meritorios eliciendi ac proinde divine operandi capax efficiatur : atqui hujusmodi actus et operationes ab homine elici non possunt, nisi naturam divinam realiter et physice participet; operari enim sequitur esse. Ergo gratia sanctificans est participatio realis et physica naturæ divinæ.

100. Corollarium. *De genuina notione gratiæ habitualis.* — Ex doctrina modo probata, inferunt auctores gratiam habitualem definiri posse *communicationem supernaturalem naturæ divinæ factam creaturæ intellectuali, qua quod est substantialiter in Deo, accidentaliter fit in creatura, per similitudinis participationem.* Ita fere S. Thomas (1. 2, q. 110, a. 2, ad 2).

Jam vero in hac definitione tria asseruntur, quæ seorsim explicanda nobis sunt, scilicet : — 1. gratiam esse *participationem naturæ divinæ*; — 2. participationem tamen *non substantialem, sed tantum accidentalem*; — 3. participationem demum, quæ fit *per similitudinem.*

Dicitur — 1. gratiam esse participationem *naturæ divinæ.* Per naturam divinam intelligimus id quod in Deo concipitur ut radix divinarum perfectionum et principium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, omnia extra se propter se faciendi; quod autem gratia sanctificans hanc fontalem et primitivam Dei perfectionem physice imitetur et exprimat, sequitur ex supra dictis; homo quippe justus vi gratiæ habitualis radicaliter disponitur et propendet in Deum intuitive videndum,

in ipsum amore beato diligendum et ad omnia propter ipsum facienda. Insuper gratia est radix virtutum infusarum, quæ sunt divinorum attributorum imagines et participationes. — Si vero quæratur quænam divina perfectio per gratiam physice participetur, plerique theologi, post S. Thomam, respondent gratiam esse participationem divinæ naturæ, qua intellectualis est, gradu indebito cuicumque naturæ creatæ et creabili (Cfr. Mazella, *de gratia*, n. 1007).

Dicitur — 2. participationem divinæ naturæ *non susbstantialem*, sed *accidentalem*; scilicet modus, quo fit prædicta participatio, essentialiter differt tum a communicatione, qua natura divina Verbo et Spiritui Sancto incommunicabili modo participatur, tum ab unione, qua Verbum incarnatum cum humana natura conjungitur. Nam, dum in generatione Verbi et processione Spiritus Sancti, natura divina ita communicatur, ut terminus communicationis sit persona divina; dum per unionem hypostaticam Verbum divinum substantialiter unitur cum natura humana, ita ut terminus unionis sit persona Verbi in natura humana subsistens; e contra per gratiam natura divina nec intrinsece, nec substantialiter justorum naturæ communicatur, sed per modum accidentis alicujus, ita ut creatura recte quidem dici possit *deiformis*, *deifica*, sed nullatenus *Deus*.

Modus ille, quo gratia divinam naturam participat, a SS. Patribus explicari solet ope comparationis, quam frequenter usurpant. Sicut ferrum, inquiunt, in fornacem projectum, ab igne in omnibus suis partibus ita pervaditur, ut mox fiat non quidem *ignis*, sed *igneum*, *igniforme*; similiter anima justi sic a Deo, qui « ignis consumens est, » in omnibus suis medullis penetratur, ut ipsius substantia, etsi non fiat ipse Deus, vere tamen sit *deiformis* ac *deifica*.

Dicitur — 3. participationem, quæ fit *per aliquam similitudinem*. Naturam hujus similitudinis præclare describit cl. Jungman (*de Gratia*, p. 2, a. 1), cujus verba proferre juvat : « Omnes creaturæ, inquit, vestigium quoddam ac repræsentationem continent essentiæ ac perfectionum divinarum, atque anima humana, quum spiritualis sit, intellectu ac voluntate gaudens,

naturaliter aliquam cum Deo similitudinem habet. Sed plane alia atque infinite sublimior est ea similitudo divinæ naturæ, ad quam homo per gratiam sanctificantem nova veluti creatione seu generatione evehitur. Est videlicet veluti deificatio, divinus quidam status, et ad Deum, quantum fieri potest, assimilatio et unio, qua vere divinæ gloriæ perfectionisque participes sumus. Et quamvis consortium illud divinæ naturæ summum mysterium sit, illustrari tamen aliquatenus potest, dummodo in mentem revocetur varios ac valde diversos haberi posse gradus similitudinis. Ita vestigium quod homo in terra relinquit, aliqua ratione remotissima eum nobis ex parte exhibet; repræsentatio quædam ejus habetur, dum coloribus ipsius effigies in tela depingitur; sed multo major similitudo relucet ex speculo nitidissimo, quod perfectissime nobis hominem veluti viventem ob oculos ponit. Simili ratione creaturæ irrationales vestigia quædam perfectionum divinarum præ se ferunt; majorem, etsi remotissimam, similitudinem cum Deo naturaliter habet anima rationalis; at gratia sanctificante ornata et deificata veluti speculum est, ex quo divinitas ipsa relucet. Et quemadmodum purissimi crystalli globus lucet atque resplendet veluti sol, dum solis radii atque lux in eo colliguntur, ita etiam anima gratia ornata divino fulgore resplendet ac deificatur. »

ARTICULUS III.

De eximiis gratiæ habitualis prærogativis.

101. Gratia habitualis plurimas atque præclaras secum affert prærogativas, quibus intrinseca ejus natura mirum in modum illustratur : inter eas tres præsertim eminent, uti constabit sequenti assertione.

Assertio : *In hoc apparent præcipuæ gratiæ habitualis prærogativæ, quod per eam homo fit Deo gratus et ejus amicus, filius Dei adoptivus æternique regni hæres, ac demum Spiritus Sancti habitaculum et templum.*

Prima pars, hominem scilicet per gratiam sanctificantem *Deo gratum* et *ejus amicum fieri*, constat

1. *Scriptura Sacra* dicente (*Sap.*, IV, 10) : « Placens Deo » factus est *dilectus;* » et (*Eph.*, I, 6) : « *Gratificavit* nos in » filio suo. »

2. *Auctoritate conc. Trid.* asserentis « per gratiam nos fieri *amicos Dei et domesticos ejus.* »

3. *Ratione theol.;* nam ad perfectam rationem amicitiæ hominis cum Deo tria requiruntur, nempe : — 1. ut infundatur homini aliquod donum, quod fiat amore divino dignus; — 2. ut illud donum in quadam æqualitate cum Deo hominem constituat, juxta illud S. Hieronymi : « *Amicitia pares aut accipit aut facit;* » — 3. ut ex parte hominis sit redamatio. Porro hæc tria præstat gratia sanctificans ; namque — 1. gratia sanctificans hominem vere justum facit : porro justitia vera est Deo maxime grata, ac proinde talem etiam facit, cui donatur; — 2. gratia sanctificans, cum sit participatio divinæ naturæ, ponit in eo sufficientem similitudinem, qua possit a Deo diligi ut amicus ; — 3. etsi gratia santificans non sit id quo nos diligimus Deum, caritatem tamen exigit et secum trahit, ac proinde redamationem. Ergo.

SECUNDA PARS, id est, per *gratiam sanctificantem hominem filium Dei adoptivum, æternique regni hæredem* effici, pariter constat

1. *Scrip. Sacra,* in qua nihil sane expressius affirmatur : sic legitur (*Rom.*, VIII, 14, 15) : « Accepistis enim spiritum » adoptionis in quo clamamus : Abba (Pater); » — item (I *Joan.*, III, 1, 9) : « *Filii Dei nominamur et sumus*... omnis » qui *natus est ex Deo* peccatum non facit, quoniam semen » ipsius in eo manet. »

2. *Conc. Trid.*, quod docet per gratiam, qua justificamur, a potestate tenebrarum, id est, a peccato nos transferri *in statum adoptionis filiorum Dei, in regnum Filii Dei.*

3. *Ratione theol.* Gratia, ex dictis, est vera participatio naturæ divinæ : porro hujusmodi participatio importat tum veram filiationem adoptionis, tum jus ad hæreditatem cœlestem : *veram* quidem *adoptionis filiationem*, siquidem gratia vocatur *semen Dei*, per quod homo ex Deo renascitur et fit consors divinæ naturæ; — *jus* vero *ad hæreditatem*, juxta illud

S. Pauli (*Rom.*, VIII, 17) : « *Hæredes* quidem *Dei, cohæredes autem Christi.* »

TERTIA PARS, in qua dicitur hominem per *gratiam sanctificantem Spiritus S. habitaculum et templum* fieri, probatur quoque

1. *Scriptura Sacra*, in qua inter sexcenta alia legere est (*Joan.*, XIV, 16) : « Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit » vobis; » — (I *Cor.*, VI, 19) : « An nescitis quoniam membra » vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est, quem » habetis a Deo ; » — (II *Cor.*, VI, 16) : « Vos estis templum » Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in eis; » — (I *Cor.*, III, 16, 17) : « Nescitis quia templum Dei estis et Spi- » ritus Dei habitat in vobis. » — « Templum Dei sanctum est » quod estis vos. » Quid expressius desiderari potest?

2. *Traditione.* Sic se habet S. Basilius : « Hujus (Spiritus Sancti) participes effecti, habemus *Patris* caritatem, et *Filii* gratiam, et *Spiritus* communicationem; » et alibi : « Sicut vis videndi in sano oculo, ita est operatio Spiritus in anima munda... Gratia ab eo manans, *dum Spiritus habitat in dignis* et sua ibi operatur, recte dicitur iis inesse qui *Spiritus* sunt capaces. » Ita etiam S. Cyrillus et alii plurimi.

Consonant theologi, et præsertim D. Thomas (1, q. 43, a. 3) dicens « in dono gratiæ gratum facientis *Spiritum Sanctum haberi* et inhabitare hominem. » Cui suffragatur Suarez, erroneam existimans sententiam eorum, qui dixerunt per dona gratiæ non dari revera personam ipsam divinam, sed solum dona creata.

3. *Ratione theol.;* nam, ex dictis, per gratiam sanctificantem homo justus fit Dei verus amicus : atqui ad perfectionem ejus amicitiæ pertinet, ut Deus ipse uniatur animæ justi; amicitia enim, præsertim, si sit perfecta, tendit ad præsentiam amicorum realem.

Circa vero hujusmodi Spiritus sancti in anima sanctificata inhabitationem, notetur — 1. illam non esse uni personæ propriam, sed tribus communem, licet per appropriationem Spiritui Sancto merito tribuatur. Ita communissime theologi contra Petavium asserentem propriam esse Spiritus Sancti

unionem cum anima sanctificata. Ratio est tum quia legitur apud S. Joannem (XIV, 23) : « Si quis diligit me, ad eum *ve-*» *niemus et apud eum mansionem faciemus;* » tum quia *in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, vel aliqua functio hypostatica.* — Quod vero hæc inhabitatio Spiritui Sancto potius tribuatur, patet ex eo quod speciali ratione manifestat characterem personalem Sancti Spiritûs, prout est *Amor, Donum, sanctitas.*

Notetur — 2. eamdem Spiritus Sancti inhabitationem, sicut et adoptionis filiationem, utpote ex vi intrinseca gratiæ sanctificantis necessario dimanantem, communem fuisse sanctis tum novæ tum veteris legis (Franzelin, *de Deo Trin.*).

Notetur — 3. modum, quo Spiritus Sanctus, ideoque tota Sanctissima Trinitas, animam sanctificantem inhabitare dicitur, valde differre a communi modo, juxta quem Deus unus et trinus, ratione immensitatis, omnibus creaturis inexistit secundum essentiam, potentiam et præsentiam. Si vero quæratur quisnam sit ille modus specialis, quo Deus animam justi per gratiam inhabitat, respondere licet, post S. Thomam, Deum per gratiam manere in anima, ut objectum cognitum et amatum, non quocumque modo, sed *per modum amici*, qui dicitur esse in amante tanquam bonum intime præsens et intra ipsum amantem existens; illamque intimam Dei in homine justo præsentiam cum gratia ita connecti, ut si Deus per essentiam jam non esset animæ præsens, gratia sufficeret ad illam specialem conjunctionem constituendam (Vide dicta in Tractatu *de SS. Trinitate*, n. 64-65).

Exinde intelligitur recte dici Spiritum Sanctum nobis dari, nos illum habere eoque frui posse; hac enim amicitia, qua Deus nobis per gratiam unitur, illum revera habemus ac illo fruimur.

Jam vero, addit Suarez, cum in hac amicitia semper habenda sit ratio majestatis divinæ (est enim amicitia excellentiæ), vi illius Spiritus Sanctus manet in homine tanquam amicus summa reverentia et veneratione colendus, ideoque manet etiam ibi præsens tanquam in templo vivo, quod ipse sibi ornat et præparat per dona creata, ut in illo et ab illo adoretur.

102. Corollarium 1. *Hinc gratia habitualis rationem habet*

doni omni creaturæ, etiam creabili, ex se indebiti, ideoque non tantum quoad modum, et relative, sed etiam entitative et absolute supernaturalis dicenda est. Id namque aperte evincunt textus Scripturæ, quibus asseritur nos per gratiam sanctificantem effici *divinæ consortes naturæ, filios Dei nominari et esse*, vel in *imaginem Dei transformari* (II *Cor.*, III, 18), siquidem hæc omnia ad ordinem prorsus divinum spectant, ideoque nulli creaturæ etiam possibili debita esse possunt. — Nec aliud docent SS. Patres; quippe qui expressis ac repetitis verbis asserunt hominem per gratiam *deificari, deificum* fieri. Audiatur pro omnibus S. Augustinus (in *Ps.* XLIX, n. 2) dicens : « Manifestum est quia homines dixit *deos* ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos; ille enim justificat qui per semetipsum, non ex alio, justus est, et ille deificat qui per seipsum, non alterius participatione, Deus est. Qui autem justificat, ipse deificat : quia justificando filios Dei facit : dedit enim potestatem filios Dei fieri; si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus; sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis. » — Confirmatur ratione theologica; enimvero gratia, cum sit medium respectu gloriæ ejusque semen, non alterius ordinis est ac ipsa gloria, seu visio beatifica : atqui, ex probatis in Tractatu *de Deo Creat.* (n. 201), visio beatifica omnem exigentiam cujusvis naturæ creatæ vel creabilis excedit. Ergo idem de gratia dicendum est.

Nec dicatur non magis repugnare dari substantiam creatam supernaturalem quam accidens intrinsece supernaturale; nam substantia inferior non potest per seipsam participare id quod est proprium superioris : habere autem divinæ naturæ consortium, velut quid connaturaliter debitum, est proprium Dei. At vero accidentia sunt instituta ad perficiendas substantias et supplendum defectus earum, et ideo per accidentia superaddita participare potest inferior substantia aliquo modo id quod est proprium superioris (Cf. Suarez, *de Deo*, l. 2, c. 9, n. 15).

103. Corollarium 2. *Hinc gratia habitualis est simpliciter perfectior quocumque alio ente sive naturali, sive supernaturali.* Patet *primum*, quia eo nobilius est et excellentius ens creatum, quo perfectius participat bonum divinum : atqui gratia

habitualis bonum divinum perfectissime participat; per eam enim homo fit consors divinæ naturæ, ut dictum est. Unde S. Thomas (1. 2, q. 113, a. 9, ad 2) : « Bonum, inquit, gratiæ unius majus est quam bonum naturæ totius universi. »

Constat etiam *secundum;* nam tanto aliquid debet æstimari perfectius, quanto majorem Dei perfectionem exprimit et participat; sed gratia santificans participat majorem Dei perfectionem, scilicet naturam divinam sub conceptu et munere naturæ; ergo. — Dixi vero *simpliciter*, quia visio beata est perfectior *secundum quid* gratia sanctificante; ratio oritur ex eo quod visio beata est operatio; gratia vero sanctificans habitus; sed operatio in modo essendi est nobilior habitu, siquidem non continet potentialitatem, quam includit habitus. Idem dicendum est de lumine gloriæ, quatenus necessario conjungitur actuali operationi, a qua gratia habitualis separari potest.

104. Corollarium 3. *Hinc. nulla creatura, quantumvis perfecta, nequidem Christus ut homo, sed solus Deus potest esse causa principalis gratiæ sanctificantis.* — Nihil quippe propria virtute efficienter producere potest aliquid quod sit nobilius, perfectius et altioris ordinis quam ipsum. Atqui, ex dictis, gratia est quid nobilius quam quodvis ens creatum. Ergo. — Etvero per gratiam habitualem homo deificatur, in filium Dei adoptatur ac Spiritum Sanctum accipit : atqui solius Dei est per modum causæ principalis deificare, filiationem divinam communicare, ac Spiritum Sanctum dare. Ergo. Unde Psaltes regius (LXXXIII, 12) exclamat : « Gratiam et gloriam dabit Do- » minus. »

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE.

105. Justificationis notio. Justificatio a justitia derivatur, et definitur a Concilio Tridentino (sess. 6, c. 4) : *Translatio*

ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum. »

Hujus autem causæ sic ab eodem Concilio describuntur (ibid., c. 7) : « Hujus justificationis causæ sunt : *finalis* qui- » dem, gloria Dei et Christi, ac vita æterna : *efficiens* vero, » misericors Deus... ; *meritoria* autem, dilectissimus Unige- » nitus suus, Dominus noster Jesus Christus... ; *instrumentalis* » item, sacramentum baptismi... ; demùm unica *formalis* » causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua » nos justos facit. »

Jam vero circa justificationem tria explanari solent, prævia nimirum ad illam dispositiones, ejus natura, ipsiusque proprietates.

ARTICULUS I.

De præviis ad justificationem dispositionibus.

106. Errores. Protestantes, admissa, ut alibi dictum fuit, intrinseca humanæ naturæ corruptione per peccatum originale, consequenter docent — 1. nullum opus nostrum disponere posse ad justificationem, nec proinde requiri liberam nostram cooperationem ad justitiam consequendam ; — 2. per solam fidem hominem justificari, non quidem in hoc sensu, quod ex sua dignitate fides influat ad justificationem, aut eam constituat, sed quatenus est instrumentum, quo justitia Christi apprehenditur nobisque imputatur ; — 3. illam fidem, quæ ad justificationem requiritur, non consistere in mentis assensu, quo vera esse credimus ea quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem Dei revelantis, sed in fiducia, qua quis credit sua peccata sibi dimissa esse ob merita Christi.

Quibus prænotatis, catholicam doctrinam sequentes assertiones declarabunt.

107. Assertio 1ª : *In adultis prærequiruntur dispositiones quædam ad justificationem.*

Est de fide, dicente conc. Tridentino (sess. 6, can. 9) : « Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam

cooperetur, et *nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi*, anathema sit. »

Prob. 1. *Scrip. S.* Legitur (*Act.*, II, 38) : « *Pœnitentiam* » *agite*, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu » Christi, in remissionem peccatorum. » — Item (*Zacch.*, I, 3): « *Convertimini ad me*, ait Dominus exercituum, et convertar » ad vos. » Porro hæc verba supponunt in justificando aliquam præparationem cum auxilio divino ; ergo.

Prob. 2. *Traditione.* S. Augustinus (Tract. 72, n. 3, *in Joan.*) ait : « Salutem in homine, sed *non sine illo*, Christus operatur; » et (serm. 15, *de verbis Apost.*, alias 169, c. 11, n. 13) : « Qui fecit te sine te, non te justificat *sine te*. Ergo fecit nescientem, justificat *volentem, scientem.* » Ex illis textibus Christus non justificat impium sine illius concursu, id est, nescientem aut nolentem ; ergo ad justificationem requiruntur in impio aliquæ dispositiones vel operationes. — Ita alii Patres.

Prob. 3. *Rat. theol.* — Nam — 1. omnino convenit ut sicut homo per liberum arbitrium sese avertit a Deo, ita ad ejus amicitiam recuperandam, ad illum quibusdam actibus sese convertat. — 2. Confertur gratia homini adulto a Deo movente ipsum; atqui proprium est homini a Deo moveri per liberum arbitrium ; ergo in adulto non fit motio a Deo ad gratiam sine motu liberi arbitrii (Cf. S. Thomas, 1. 2, q. 3, art. 3). — 3. Juxta communem providentiæ cursum forma non introducitur in subjectum, nisi sit jam dispositum ad illam accipiendam secundum proprium modum : atqui proprius modus quo homo adultus et sui compos se disponit ad bonum, est per actum liberi arbitrii. Ergo.

Diximus *in adultis*, quia infantes, utpote rationis usu ac proinde libertate carentes, sine ulla prævia dispositione, saltem ex parte sui, justificantur. — Adde dispositiones, de quibus agitur, non ex solis naturæ viribus, sed ex gratia acquirendas esse, ut constat ex probatis in prima parte contra Pelagianos et Semi-pelagianos.

108. Assertio 2ª : *Fides ad justificationem necessaria, non est fides promissionum, sed fides dogmatica seu veritatum.*

Est de fide ; nam conc. Trid. (sess. 6, can. 12) hæc habet : « Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam *fiduciam divinæ misericordiæ* peccata remittentis propter Christum ; ... anathema sit. » — (can. 13) : « Si quis dixerit omni homini, ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse *ut credat certo*, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, *peccata sibi esse remissa* ; anathema sit. » — Accedit concilium Vaticanum asserens « fidem, quæ humanæ salutis initium est, eam esse, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei revelantis » (Const. *Dei Filius*, c. 3).

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, in qua legitur (*Marc.*, xvi, 15) : « Prædicate Evangelium omni creaturæ : *qui crediderit* et bap- » tizatus fuerit, salvus erit. » — (*Joan.*, xx, 31) : « Hæc autem » scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei ; » et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus. » — (*Rom.*, x, 8) : « Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si con- » fitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris » quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. » Ex quibus sic : fides de qua agitur, in his textibus, evidenter inservit ad justificationem, siquidem inservit ad baptismum et ad salutem : atqui tamen est fides dogmatum, non promissionum. Etenim fides de qua agitur est fides qua creditur evangelio, necnon divinitati et resurrectioni Christi : porro hujusmodi fides est fides dogmatum, non vero promissionum ; ergo.

Prob. 2. *Ex SS. Patr.* S. Leo (Serm. 4. *de Epiphania*, cap. 1) ait : « Hoc est quod justificat impios... si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, et vera Deitas, et vera credatur humanitas. » Ita alii Sancti Patres, qui frequenter necessitatem fidei ad obtinendam justificationem prædicant, sed eam requirunt fidem, qua homo omnibus veritatibus revelatis assensum firmum præstat, ita ut justificari et salvari non possit, qui vel unum fidei dogma recusaverit.

Prob. 3. *Rat. theol.* Etenim — 1. fide divina credere non possumus nisi quod a Deo revelatum est : atqui, licet generatim sit revelatum omnes, qui pœnitentiam agunt, justificatos esse, non tamen revelatum est hunc hominem in particulari veram

egisse pœnitentiam, nec illud evidentia patescit; ergo. — 2. Si hæc fides ad justificationem est omnino necessaria, qui illa carent non fiunt justificati, ac proinde S. Paulus non fuit justificatus; dicebat enim (I *Cor.*, IV, 4) : « Nihil mihi conscius sum, » sed non in hoc justificatus sum; » et (IX, 27) : « Castigo » corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis » prædicaverim, ipse reprobus efficiar. » Atqui illud absonum est. — 3. Fides justificans præcedere debet justificationem; est enim causa illius; atqui fides promissionum Protestantium non præcedit, sed sequitur justificationem. Ergo.

Cæterum sedulo distinguenda est prudens fiducia catholicorum, qua speramus Deum nobis officia, prout possumus, implentibus, propter merita Christi, veniam esse concessurum, a certa et indubia Novatorum fiducia. Fidenter Dei misericordiam exspectant catholici; sed hæc fiducia omne non explodit dubium; unde (*Philip.*, II, 12) dicitur : « *Cum metu et tremore* » vestram salutem operamini. » Omnia autem Scripturæ loca quibus commendatur fiducia, intelligendi sunt de fiducia catholica.

109. Assertio 3ª : *Sola fides non sufficit ad justificationem.*

Est de fide, ex Conc. Trid. (sess. 6, can. 9) dicente : « Si quis dixerit *sola fide* impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur... anathema sit. »

Prob. 1. *Scrip. Sacra*, atque imprimis ex doctrina S. Jacobi, qui in sua Epistola catholica (II, 14 et seq.) totus est ut ostendat fidem sine operibus mortuam esse. Hæc sunt ipsius verba : « Quid proderit, fratres mei, si *fidem quis dicat se habere, opera* » *autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?... Fi-* » *des si non habeat opera, mortua est*; » quod postquam multis probavit, concludit (II, 24) : « Videtis quoniam *ex operibus* jus- » tificatur homo et non ex fide tantum... Sicut enim corpus » sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua » est. » Jam vero tam aperta sunt illa verba, ut Lutherus epistolam hanc idcirco rejecerit ut non canonicam.

Insuper in Scriptura justificatio non fidei tantum tribuitur, sed pluribus aliis rebus, scilicet : — *Timori :* « Qui sine timore

» est, non poterit justificari » (*Eccli.*, I, 28); — *Spei :* « *Spe* » *salvi facti sumus* » (*Rom.*, VIII, 24); — *Dilectioni :* « Remit- » tuntur ei peccata multa, *quoniam dilexit multum* » (*Luc.*, VII, 47). Atqui justificatio falso tribueretur timori, spei et dilectioni, si fides sola justificaret; ergo.

PROB. 2. *Ex SS. Patribus.* S. Hieronymus de hæreticis sui temporis, qui sola fide negotium salutis absolvi asserebant, sic loquitur : « Promittunt *pacem et regnum cœlorum et dicunt : non necesse est ut vivas continenter et sancte; habeto fidem quam docemus, et omnia promissa Domini consequeris; quæ loquentes magis adversus eos iram Dei concitant.* » — S. Augustinus (Serm. 16, cap. 6, alias 158 *de verb. Apost.*, n. 6) ait : « Incipit homo a fide, sed... si tantum credis, et sine spe vivis, vel dilectionem non habes : « Et dæmones credunt et contremiscunt » ;... *adde ergo fidei spem... speique ipsi adde caritatem.* — S. Chrys. (in hom. 7 *in Matth.*) : « Ne fideles *sola fide* se salvari posse confidant. »

PROB. 3. *Rath. theol.* — Enimvero ad justificationem requiritur, ut homo aversus a Deo ad ipsum convertatur : atqui homo non convertitur ad Deum per solam fidem nam fides ad intellectum solum spectat : ergo ut homo totaliter ad Deum convertatur, aliquid aliud requiritur, per quod ejus voluntas ad Deum convertatur.

Confirmatur ex consectariis absurdis : inde enim sequeretur inutilem esse mandatorum observationem, et hominem quantumvis flagitiosum, modo credat, salutem infallibiliter consecuturum esse. Porro hæc rectam rationem offendunt; ergo.

Nec dicatur plurimis textibus tum Scripturæ, tum SS. Patrum, justificationem soli fidei adscribi : namque — 1. in his textibus sermo non est de fide solitarie sumpta; sed de ea quæ per caritatem operatur, seu de fide practica, quam Apostoli prædicaverunt, non de pure speculativa, quam Novatores annuntiant. — 2. Quod si agatur de sola fide solitarie sumpta, justificatio ei *attributive* adscribitur, quia vere ad justificationem concurrit, sed non *exclusive*, id est, aliarum virtutum actus excludendo. — 3. Quod si excludantur ipsamet bona

opera, sermo est vel de operibus mere externis quæ omnino necessaria non sunt, vel de observantia cæremoniarum et sacramentorum veteris legis; nec enim Apostolus dicit simpliciter hominen justificari sine operibus, sed sine operibus legis (*Gal.*, II, 16).

110. Quæritur 1. *Quænam requirantur ad justificationem conditiones?*

Resp. Hæc sunt ea de re conc. Tridentini verba (sess. 6, cap. 6) : « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur ad Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt...; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt : ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. »

Ex quibus patet dispositiones ad justificationem prærequisitas esse fidem, timorem, spem veniæ, inchoatam dilectionem Dei, ut totius justitiæ fontis, peccati detestationem, et propositum novam vitam inchoandi ac Dei mandata servandi. — Quomodo vero hæc omnia explicite vel implicite cum Sacramento Baptismi et Pœnitentiæ requirantur ad justificationem, quomodo insuper caritas vel contritio perfecta cum voto Sacramenti justificet, alibi exponitur.

111. Quæritur 2. *Utrum fides et reliqui actus supernaturales, de quibus supra, vere ad justificationem præparent eamque impetrent?*

Resp. *Affirmative*; quod quidem constat — 1. *ex Scriptura*, quæ ipsamet *præparationis* voce utitur; sic legitur (I *Reg.*, VII, 3) : « Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum... » præparate corda vestra Domino; » et (*Eccli.*, II, 20) : « Qui » timent Deum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius » sanctificabunt animas suas. » — 2. Ex *SS. Patribus*; S Au-

gustinus (*in expos.*, c. 3, *ad Gal.*, n. 27) ait : « — Filii fiunt participatione sapientiæ, id *præparante ac præstante mediatoris fide.* » — 3. *Ex Conc. Trid.*, quod (sess. 6, can. 4 et 9) aperte definit hominem excitatum et a Deo adjutum aliquid operari, quo *ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet*; item necesse esse eam *suæ voluntatis motu præparari atque disponi.*

ARTICULUS II.

De natura justificationis.

112. Errores. Novatores XVI sæculi ex suo principio de justitia originali humanæ naturæ debita, et consequenter de intrinseca et essentiali ipsius naturæ corruptione per peccatum, logice inferunt — 1. in justificatione peccata vere et proprie non deleri, sed tantum ob Christi justitiam qua tegimur, ad pœnam non imputari; — 2. justificationem in hac peccati non imputatione totam contineri, absque interiori hominis renovatione et sanctificatione; — 3. ac proinde non aliam esse causam formalem justificationis nostræ, nisi justitiam Dei vel Christi ope fidei apprehensam. Contra hos errores doctrinam catholicam vindicabimus statuendo tres assertiones sequentes :

113. Assertio 1ª : *In justificatione impii peccata vere et proprie remittuntur ac delentur.*

EST DE FIDE : Concilium enim Trid. (sess. 6, can. 5) ait : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud tantum dicit radi aut non imputari, anathema sit. »

PROB. 1. *Scriptura Sacra*, scilicet omnibus textibus, in quibus asseritur peccata — *deleri* (*Ps.* L. 2) : « *Dele iniquitatem* » meam; » — *auferri* (*Mich.*, VII, 18) : « Quis Deus similis » tui, *qui aufers iniquitatem*; » — *mundari* (*Ezech.*, XXXVI, 25) : « Effundam super vos aquam mundam *et mundabimini ab* » *omnibus inquinamentis vestris*; » — *a nobis removeri* (*Ps.* CII, 12) : « *Longe fecit a nobis iniquitates nostras*; » — *tolli, re-*

mitti (*Joan.*, I, 29) : « Ecce agnus Dei, ecce qui *tollit peccatum* » *mundi*; » (*Luc.*, VII, 47) : « *Remittuntur* ei peccata multa, » etc.

PROB. 2. *Ex SS. Patribus*, qui expressis verbis dicunt in justificatione peccata penitus *auferri, deleri, peruri et non tantum radi*. Ita S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Gregorius et alii, quorum testimonia referre longius esset.

PROB. 3. *Ratione theologica*. Si enim peccata in justificatione non vere remitterentur, id esset vel quia Deus non potest, vel quia non vult destruere peccata : atqui neutrum dici potest.

Non 1um; nam peccatum remittere non est facere ut peccatum commissum revera non fuerit commissum, sed tollere id quod ex actu peccati manet et peccati rationem habet; jam vero in hoc nulla repugnantia excogitari potest, nec illud divinam potentiam superat.

Nec 2um; data enim hac hypothesi, quid dicendum foret de veritate et justitia Dei, qui cum tanta verborum exaggeratione, si ita loqui fas est, propriam et veram peccati remissionem toties promisit. Ergo.

114. Assertio 2a : *Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, sed insuper interiorem hominis renovationem includit.*

EST DE FIDE : nam concilium Trid. (sess. 6, can. 11) sic se habet : « Si quis dixerit hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, anathema sit. »

PROB. 1. *Scriptura Sacra*; scilicet — tum ex textibus, quibus peccator dicitur *lavari, purgari, renovari, sanctificari;* ratio manifesta est; — tum ex locis, in quibus Scriptura asserit cum remissione peccati nobis in justificatione conferri gratiam, caritatem, justitiam (*Joan.*, I, 16) : « *De plenitudine ejus* » *omnes nos accepimus et gratiam pro gratia*; » (*Eph.*, IV, 23) : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum homi- » nem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate » veritatis; » — tum ex comparatione, quam instituit Apostolus (*Rom.*, V, 15, 19) inter inobedientiam Adæ, qua *peccatores constituti sunt multi*, et obeditionem Christi, per quam *justi constituuntur multi*.

PROB. 2. *Ex SS. Patribus*, qui unanimi ore docent in justificatione hominem *renasci, creari, renovari, novam vitam accipere.* Ita S. Athanasius (*de Incarn., contra Apol.*, 1, 1, n. 21), S. Basilius (*de Spiritu Sancto*, c. 10, n. 26), S. Gregorius Naz. (*Cor.*, 7, n. 15).

PROB. 3. *Ratione theol.* Nam justificatio est effectus dilectionis specialis Dei : atqui dilectio Dei, cum sit effectiva, objectum dilectum intrinsece gratum et justum reddit, ut jam dictum fuit. Ergo.

115. Assertio 3ª : *Causa formalis justificationis non est justitia Dei vel Christi per fidem apprehensa, sed gratia sanctificans homini intrinsece inhærens.*

EST DE FIDE ; legitur enim in concilio Trid. (sess. 6, c. 10) : « Si quis dixerit homines per eam ipsam justitiam Christi formaliter justos esse ; anathema sit. » Vide etiam canonem jam citatum (n. 90).

PROB. 1. *Scriptura Sacra.* Nam Apostotus (*Tit.*, III, 5) ait : « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis » Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum » Christum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secun- » dum spem vitæ æternæ. » Porro his verbis non obscure asseritur gratiam esse id per quod formaliter justificamur.

PROB. 2. *Traditione*, nempe — tum ex concilio Trid., quod (sess. 6, c. 7) expressis verbis declarat « unicam formalem causam justificationis esse justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non solum reputamur, sed vere justi nominamur et sumus; » — tum ex testimoniis SS. Patrum, pro quibus sit S. Augustinus (*de Spiritu et litt.*, c. 32) dicens : « Caritas diffunditur in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut justitia Dei (ita dicta est) quia *justi ejus munere efficimur ;* » et (c. 9), in hæc verba apostoli : « *Justitia Dei manifestata est,* » ait : « Non dicit Apostolus : justitia hominis, sed justitia Dei ; non qua Deus justus est, sed qua *induit hominem, cum justificat impium.* »

PROB. 3. *Ratione theol. ;* nam — 1. in justificatione pecca-

tum vere deletur ac remittitur : atqui peccatum nonnisi per gratiam formaliter remittitur, siquidem formaliter consistit in privatione gratiæ. Ergo. — 2. Per justificationem homo non fit tantum non malus, seu non peccator, sed etiam fit bonus et justus, et quidem non per extrinsecam denominationem, sed vere et intrinsece : atqui id per quod homo fit formaliter justus, non potest esse nisi donum quoddam illum intrinsece afficiens, videlicet gratia sanctificans. Ergo.

116. Quæritur 1. *Utrum de potentia Dei absoluta peccatum et gratia possint esse simul in eodem subjecto?*

Resp. *Negative* contra Scotistas, idque innuit Scriptura, dum (I *Joan.*, III, 9) dicitur : « Qui natus est ex Deo, peccatum » non facit, quoniam semen ipsius (gratia sanctificans) in eo » manet; et non potest facere peccatum, quoniam ex Deo » natus est. » Quibus verbis repetitur incompossibilitas gratiæ cum peccato non ex ordinatione divina, sed ex ipsa natura gratiæ, quia nempe est participatio divinæ naturæ. — Confirmat insuper ratio, eo quod imprimis effectus formales gratiæ et peccati mortalis se invicem expellunt; effectus enim formales gratiæ sanctificantis sunt reddere hominem naturæ divinæ consortem, subindeque gratum Deo et amicum, filium ejus adoptivum æternique regni hæredem; e contra vero effectus formales peccati mortalis sunt destruere in homine participationem divinæ naturæ, reddere illum Deo exosum et inimicum, eumdem privare filiatione divina ac proinde omni jure ad æternam hæreditatem. Quis vero non videt tales effectus, etiam de potentia Dei absoluta, in eodem subjecto consistere non posse?

117. Quæritur 2. *An justificatio impii absolute fieri posset per solum favorem Dei extrinsecum sine mutatione intrinseca peccatoris?*

Resp. *Negative* cum Thomistis contra Scotum. Ratio est — 1. quia justificatio importat remissionem offensæ : porro non remitti potest offensa, quin Deus fiat offenso pacatus, ideoque eum ea speciali dilectione diligat, qua homo intrinsece mutatur per donum divinitus infusum. — 2. Quia justificatio fit non tantum per condonationem offensæ, sed etiam per dele-

tionem culpæ : culpa vero, cum in privatione gratiæ formaliter consistat, non potest absolute tolli nisi per formam oppositam. Ergo.

118. Quæritur 3. *An et quales habitus supernaturales cum gratia habituali in justificatione infundantur?*

Resp. Triplex habituum supernaturalium genus distingui solet : alii ad finem suum supernaturalem ordinant hominem, et dicuntur virtutes *theologicæ;* alii ad singulas operationes fini supernaturali consentaneas nos aptos et habiles efficiunt, et nuncupantur virtutes *morales;* alii tandem nos inclinant ad prompte sequendum motum et instinctum Spiritus Sancti, et vocantur *dona Spiritus Sancti.* Jam vero cum gratia sanctificante infundi tum virtutes *theologicas*, tum virtutes *morales*, tum *Spiritus Sancti dona* indubium est.

Primum nempe expresse habetur in Concilio Tridentino (sess. 6, c. 7) his verbis : « In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. »

Constat *secundum*, tum *ex SS. Patribus*, qui simpliciter asserunt hominem, dum in gratia Dei est, omnibus præditum esse virtutibus, quas, cum ab eadem gratia excidit, infeliciter amittit; tum auctoritate *Catechismi Romani,* qui inter effectus baptismi numerat « nobilissimum *omnium virtutum comitatum*, quæ in anima simul cum gratia infunduntur. » — Notat tamen idem Catechismus non omnes omnino virtutes morales in justificatione infundi, sed illas tantum, quæ ad communem Christianorum statum pertinent. Certum est enim virtutes quasdam eximias et singulares, quæ ad statum illum non sunt necessariæ, in justificatione simul cum gratia omnibus non conferri, ut patet de continentia virginali, de qua loquens Apostolus (I *Cor.*, VII) : « *Unusquisque*, inquit, *proprium do-* » *num habet ex Deo.* » — Advertatur etiam virtutum illarum infusarum habitus non conferre facilitatem in operando, cum formaliter non expellant malos habitus contrarios, qui ante justificationem in statu peccati contracti sunt : sed tribuere solum voluntati novam potestatem ad actus sibi proprios exercendos. Unde minime mirum videri debet, si aliquando

peccatores recenter justificati, difficultatem in exercendis illis actibus experiantur : quæ tamen difficultas ab ipsis superari potest auxilio tum ipsarum virtutum infusarum, tum etiam gratiarum actualium, quæ nunquam illis desunt.

Constat quoque *tertium*. Nam in justificatione homo inseritur Christo, tanquam membrum capiti, ut ejus spiritu vivat et regatur; ait enim Apostolus (*Rom.*, VIII, 9) : « Si quis spi- » ritum Christi non habet, hic non est ejus. » Atqui dona Spiritus Sancti ad hoc tendunt ut hominem disponant ad prompte sequendum instinctum Spiritus Sancti. Ergo cum gratia in anima infunduntur. — Justi per gratiam sanctificantem filii Dei constituuntur : porro, ex Apostolo (*Rom.*, VIII, 14) qui « Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ; » ergo in justificatione infunduntur habitus, quibus homo disponitur ad obediendum Spiritui Sancto. — Tandem hi habitus cum gratia conferuntur, qui ad complementum et perfectionem justitiæ pertinent; atqui hujusmodi sunt dona Spiritus Sancti ; dona enim intellectualia deserviunt fidei, et ad perfectum ejus usum multum conferunt; dona autem moralia ipsas virtutes morales perficiunt, quatenus circa easdem materias altiori modo operantur. Ergo.

ARTICULUS III.

De proprietatibus justificationis.

119. Protestantes ex suis pessimis principiis de justificationis natura deducunt : — 1. hominem justificatum non modo certum esse de sua justificatione certitudine fidei, sed etiam eum teneri credere se esse justificatum ; — 2. justitiam formalem qua justificamur, cum nihil aliud sit quam justitia Christi per fidem apprehensa, nobisque extrinsece imputata, in omnibus æqualem esse ; — 3. hujusmodi gratiam semel comparatam, esse vel omnino inamissibilem, vel saltem per solum peccatum infidelitatis amitti posse. — Contra quos :

120. Assertio 1ª : *Nemo sine speciali revelatione certus esse potest, certitudine fidei, se esse justificatum, idque fide divina credere tenetur.*

Est de fide, saltem quoad *secundam* partem. Nam Concilium

Tridentinum (sess. 6, cap. 14) ait : « Si quis dixerit neminem vere esse justificatum nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici anathema sit. »

Alterum vero sic declaratur ab eodem Concilio (ibid., c. 2) : « Quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest : cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » — Insuper

Prob. 1. *Scriptura Sacra* (*Prov.*, xx, 9) : « Quis potest di- » cere : mundum est cor meum, purus sum a peccato? » — (*Eccl.*, ix, 1) : « Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, » sed omnia in futurum servantur incerta. » — (I *Cor.*, iv, 4) : « Nihil mihi conscius sum ; sed non in hoc justificatus sum. » Jam vero ex his textibus evidens est neminem, sine speciali revelatione, certum esse posse certitudine fidei se esse justificatum.

Prob. 2. *Traditione.* S. Augustinus (lib. *de Perfectione justitiæ*, cap. 15, n. 33) ait : « Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum. » — S. Gregorius Magnus (lib. 7, epist. 25, al. 22) interrogatus a Gregoria sorore sua, utrum de peccatorum suorum remissione certa esse posset, respondit : « Rem difficilem et etiam inutilem postulasti ; difficilem quidem, quia ego indignus sum, *cui revelatio fieri debeat* ; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes.

Prob. 3. *Ratione theologica.* Nam, ex jam dictis, nihil fide divina credi potest nisi divinitus revelatum sit : porro, quamvis revelatum sit justificationem conferri iis omnibus, qui bene dispositi sacramentum baptismi vel pœnitentiæ suscipiunt, aut actum perfectæ contritionis eliciunt, nullatenus revelatum est unumquemque habere hanc dispositionem. Ergo.

Dictum fuit — 1. *sine speciali revelatione.* « Revelat enim Deus hoc, inquit S. Thomas (1. 2, q. 112, art. 5), aliquando aliquibus ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, et confidentius et fortius magnifica opera prosequantur, et mala præsentis vitæ sustineant. »

Dictum fuit — 2. *cum certitudine fidei :* nam si agatur de certitudine naturali, communiter censent theologi homines etiam justos non equidem ad eam securitatem pervenire posse, ut nullam habeant de sua justificatione formidinem, sed tamen conjecturaliter cognosci posse nos habere gratiam, his aut similibus signis, v. g., si peccata totis viribus fugimus, si evangelica consilia observamus, si virtutum acquisitioni sedulo incumbimus. Hinc aiebat S. Paulus (*Rom.*, VIII, « 38) : Certus sum quia neque mors, neque vita, neque An» geli..... neque creatura alia poterit nos separare a caritate » Dei. »

121. Assertio 2ª : *Justitia non est in omnibus justis æqualis.*

Est de fide, utpote a Conc. Trid. definita (sess. 6, can. 24) : « Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam *augeri coram Deo per bona opera*... anathema sit. »

Prob. 1. *Scriptura Sacra*, quæ passim de augmento justitiæ et sanctitatis loquitur ; sic legitur (*Prov.*, IV, 18) : « Jus» torum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit us» que ad perfectam diem. » — (II *Cor.*, IX, 10) : « Augebit » incrementa frugum justitiæ vestræ. » — (*Philip.*, I, 9) : « Hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet. » — (*Apoc.*, XXII, 11) : « Qui justus est, justificetur adhuc : et » sanctus sanctificetur adhuc. »

Prob. 2. *Traditione*. S. August. expresse docet justitiam in justificatis crescere, alium magis, alium minus justitia indui; hæc enim scribit (Serm. 158, alias 16, *de verbis Apost.*, c. 5, n. 5) : « Justificati sumus, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit; » et (epist. 167, alias 29, cap. 3, n. 13) : « Induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus. » — Confirmatur praxi et orationibus Ecclesiæ, quæ pluribus vicibus augmentum justitiæ postulat. Sic Domin. XV post Pentecosten ait : « Da nobis, *fidei, spei et caritatis augmentum.* » Ergo.

Prob. 3. *Rat. theol.* Ex doctrina Concilii Tridentini (sess. 6, c. 7), justitiam in nobis recipimus unusquisque « secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem » : porro justificandorum dispositiones variæ sunt. Ergo. — Cæterum ex hac diversitate consurgit pulchritudo et perfectio Ecclesiæ

sanctorum, quæ pluribus componitur gradibus; apparet suavis Dei providentia in donorum distributione; et demum homines excitantur ad majorem præparationem.

122. Assertio 3ª : *Justitia est amissibilis et revera per peccatum mortale subsequens amittitur.*

Est de fide; Conc. Trid. (sess. 6, can. 23) ait : « Si quis hominem semel justificatum dixerit *amplius peccare non posse, neque gratiam amittere...* anathema sit. » Item (cap. 15) legitur : « Asserendum est non modo infidelitate per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato... acceptam justificationis gratiam amitti. »

Prob. 1. *Script. S.* — (*Ezech.*, xviii, 24) : « Si *averterit* se » justus *a justitia sua*, et fecerit iniquitatem... (in ipsa) *morie*» *tur.* » — (*Philip.*, ii, 12) : « Cum *metu et tremore* salutem ves» tram operamini : » porro vanus est metus iste, si justitia amitti nequeat.

Prob. 2. *Ex SS. Patribus.* — S. Augustinus (lib. *de Corrept. et gratia*, c. 13, n. 40) dicit : « Credendum est quosdam... non accepto dono perseverantiæ usque in finem... aliquandiu fideliter ac juste vivere, et *postea cadere.* »

Prob. 3. *Rat. theol.* — Omnes infantes in baptismo justificantur : atqui tamen omnes non perseverant; ergo. — Insuper monentur fideles ut timeant lapsum, et excitantur ad perseverantiam; ergo amissibilis est justitia. — Et vero David, Petrus, apostolus, erant justi et tamen ceciderunt.

Confirmat S. Thomas (2. 2, q. 24, a. 12) scribens de caritate; « Caritas, cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione caritatis, sicut sol in illuminatione aeris... Et ideo, sicut lumen statim cessaret esse in aere, per hoc quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi solis, ita etiam caritas statim deficit esse in anima, per hoc quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ caritatis a Deo in animam. Manifestum est autem quod per quodlibet mortale peccatum, quod divinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infusioni obstaculum, quia ex hoc ipso quod homo eligendo præfert peccatum divinæ amicitiæ, quæ requirit ut Dei voluntatem sequamur, consequens

est ut statim per unum actum peccati mortalis habitus caritatis perdatur. »

123. Scholium. Ex his quisque intelligit gratiam sanctificantem seu justitiam per peccatum veniale non tolli. At quæstio est an et quatenus ab eodem minuatur. Porro communis sententia docet gratiam sanctificantem per peccatum veniale non *directe* et *immediate* minui vel remitti, sed *indirecte* tantum et mediate. Patet *primum*, tum ex hac ratione a posteriori, quod si peccatum veniale minueret gratiam, multiplicatis peccatis venialibus, posset gratia omnino auferri; quod falsum est; tum quia neque per modum contrariæ dispositionis ipsi gratiæ repugnantis, neque per modum demeriti peccatum veniale gratiam expellere potest. Non quidem per modum dispositionis contrariæ, quando quidem peccatum veniale cum gratia habituali quantumvis intensa compossibile est, nec aliunde hominem ab ultimo fine avertit, sed tantum retardat. Neque etiam per modum demeriti; pœna enim non esset peccato proportionata; quippe quum Deus ab homine ex parte averteretur, quin homo seipsum ab ultimo fine averteret, itemque ob peccatum leve in æternum ipsi subtraheretur gradus gloriæ gratiæ amissæ proportionatus (Suarez, *de Gratia*, l. 11, c. 8). — *Secundum* vero patet ex eo quod per peccata venialia minuitur fervor faciendi bona opera, quibus justitia augetur, passionesque majorem vim accipiunt. Unde etiam fit quod homo tentationibus minori vigilantia resistens, ac minores gratias a Deo recipiens, paulatim ad peccatum mortale disponatur (Cf. Jungman, *de Gratia*).

CAPUT III.

DE MERITO.

124. Meritum est *operis valor in ordine ad præmium*. Duplex est meritum; de condigno scilicet et de congruo. Meritum de *condigno* illud est, cui præmium debetur *ex justitia*. Meri-

tum de *congruo* est illud quod præmio dignum est *ex quadam decentia*. — Meritum *de condigno* fundatur in sanctitate operantis et fidelitate Dei, qui fidem suam de præmio obtinendo adstrinxit justo, si bona opera cum quibusdam dispositionibus faciat.

Circa meritum tria quæruntur : ejus existentia, conditiones et objectum.

ARTICULUS I.

De existentia meriti.

125. Pseudoreformati, dicentes omnia justi opera esse totidem peccata, ob fidem non imputata, meriti existentiam necessario negarunt. Contra quos sit

Assertio : *Homo justificatus bonis operibus cum gratia factis vere et proprie meretur.*

Est de fide. Conc. Trid. (sess. 6, can. 32) ait : « Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, *ut non sint etiam bona ipsius justificati merita*, aut ipsum justificatum bonis operibus... *non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et... gloriæ augmentum*, anathema sit. »

Prob. 1. *Script. Sacra,* in qua hæc legere est : — (*Matth.*, v, 12) : « *Merces vestra* copiosa est in cœlis. » — (*Matth.*, xxv, 34) : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis » regnum... Esurivi enim... » — (II *Tim.*, iv, 7) : « Bonum » certamen certavi.., in reliquo reposita est mihi corona jus- » titiæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* » — (*Hebr.*, vi, 10) : « Non injustus Deus, ut obliviscatur operis » vestri. » — (*Jac.*, i, 13) : « Beatus qui suffert tentationem : » quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, *quam* » *repromisit Deus diligentibus se.* » Ex quibus patet bonis operibus justi deberi mercedem, coronam vel regnum Dei, non ex misericordia, sed ex justitia.

Prob. 2. *Ex SS. Patr.*, qui docent regnum cœlorum esse coronam bonorum meritorum, et vitam æternam esse stipendium pro merito justitiæ. Audiantur pro omnibus S. Ambrosius (serm. 7, in Ps. cxviii, n. 17), de justo dicens : « Scit

sibi regnum cœlorum, angelorum consortium, *coronam quoque bonorum repositam esse meritorum*; » et S. Aug. (Epist. 105, *ad Sixtum*, alias 94, c. 5): « Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita *merito justitiæ stipendium vita æterna.* »

Prob. 3. *Rat. theol.* Illa opera vere et proprie meritoria sunt, quæ omnibus conditionibus ad meritum requisitis vestiuntur : atqui dantur opera quæ has omnes conditiones habent, ut modo videbitur; ergo.

Ut autem præcaveantur objectiones, hæc adnotare juvat : — 1. Deus justi merita plus remuneratur quam ipsis debetur; ergo hoc titulo corona *justitiæ* vocari potest et debet corona *misericordiæ*. — 2. Vita æterna est vera gratia, quia justi totum jus fundatur in libera Dei promissione, et in gratia, quæ ad opus meritorium necessaria est; unde cœlum est simul gratia et præmium. — 3. Quamvis detur meritum, attamen, adimpletis præceptis, nonnisi servi inutiles sumus, tum quia sine gratia Dei illa observare nequimus, tum quia ex bonis actibus nostris nihil commodi Deo obtingit, tum quia nihil agimus ultra id quod debemus; omnia enim opera nostra titulo dependentiæ ac gratitudinis Deo debentur, et, si ob illa aliquam mercedem speramus, spes nostra gratuitæ Dei promissioni innititur.

126. Quæritur *an et quousque fiduciam in meritis propriis collocare liceat?*

Resp. Pelagiani omnem fiduciam in meritis collocant; Protestantes nullam; Catholici, mediam tenentes viam, hæc duo docent :

1. Ad vitandam vanæ gloriæ titillationem, tutius esse totam fiduciam in solo misericorde Deo constituere, cum imprimis, remota Dei revelatione, meritorum existentia asseri certo nequeat. Unde Ecclesia has effundit preces : « Deus qui conspicis, quia *ex nulla nostra actione confidimus*... ubi *nulla suppetunt suffragia meritorum*, tuis nobis succurre præsidiis;... intra quorum nos consortium *non æstimator meriti, sed veniæ*, quæsumus, largitor admitte. »

2. Nihil obstare quominus, secluso superbiæ periculo, quædam fiducia collocetur in meritis, quorum existentia est certa.

Constat — sive *Scriptura;* legitur enim (*Tob.*, IV, 12) : « *Fidu-* » *cia magna erit* coram summo Deo eleemosyna omnibus » facientibus eam ; » item (*Hebr.*, X, 34) : « Vinctis compassi » estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepis- » tis... *Nolite* itaque *amittere confidentiam vestram;* » et (I *Joan.*, III, 21) : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, » fiduciam habemus ad Deum. » — Sive *auctoritate* S. Augustini (lib. 3, *de Doctrina christiana*, cap. 10, n. 14) dicentis : « *Spes cuique est in conscientia propria,* quemadmodum se sentit ad dilectionem Dei et proximi cognitionemque proficere. » — Sive *ratione theol.*; nam certitudo spei christianæ innititur Dei fidelitati et bonis operibus nostris; ideo enim speramus coronam vitæ, quia Deus eam promisit diligentibus se ; sed, si conscientia habeatur bonorum operum, spes gignitur et roboratur. Unde S. Paulus (II *Tim.*, IV, 7) exclamat : « Bo- » num certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, » in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet » mihi Dominus in illa die, justus judex ; » et S. Martinus, instante jam morte, viso dæmone : « Quid hic astas, inquit, cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies ; Abrahæ me sinus recipiet. »

ARTICULUS II.

De conditionibus ad meritum requisitis.

127. Cum duplex sit meritum, unum de condigno, alterum de congruo, variæ debent esse pro utroque conditiones ; de merito de condigno tamen potissimum agemus.

Conditiones ad meritum de condigno requisitæ se habent ex parte hominis merentis, actus meritorii, et Dei remunerantis.

I. *Conditiones ex parte hominis merentis.*

128. — I. Prima conditio est *status viæ*, seu homo debet esse *in hac terra degens*. Patet ex *Scriptura* ; legitur enim (*Gal.*, VI, 10) : « Ergo, *dum tempus habemus*, operemur bonum; » et (*Joan.*, IX, 4) : « Venit *nox, quando nemo potest operari.* » —

Hinc Beati in cœlo nihil merentur, et eorum deprecationum vis tota a præcedentibus eorum meritis procedit atque ex immensa Dei erga ipsos benignitate. — Hujus autem rei ratio est voluntas Dei statuentis omne meritum in præsentis vitæ terminis circumscriptum fore.

129. — II. Secunda conditio est *libertas;* homo nempe debet esse *liber a coactione et a necessitate;* quia alioquin illius actus non essent ei imputabiles, ut declaratur in Tract. *de Actib. human.* Unde Innocentius XI hanc Jansenii proscripsit propositionem : « Ad merendum et demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine *libertas a necessitate*, sed sufficit immunitas a coactione. »

130. — III. Tertia conditio est *justitia*, qua scilicet homo versatur in statu gratiæ sanctificantis; nam legitur (*Joan.*, XV, 4) : « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi » manserit in vite : *sic nec vos, nisi in me manseritis*; » porro qui justitia caret non manet proprie in Christo. — Apostolus quoque (I *Cor.*, XIII, 3) scribit : « Si caritatem non habuero, » nihil mihi prodest. »

SS. Pontifices hanc Baii damnarunt propositionem (n. 17) : « Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. » Huc venit et auctoritas concil. Trid., quod (sess. 6, can. 26) anathemate percutit eum qui « dixerit justos non debere pro bonis operibus, *quæ in Deo fuerint facta*... sperare æternam retributionem..., *si usque in finem perseveraverint.* »

Confirmat ratio; nam si quis in statu peccati constitutus meriti esset capax, posset simul et cœlum et infernum mereri : cœlum, actibus suis meritoriis; infernum, utpote in statu peccati mortalis existens. — Cæterum cum operatio sequatur esse, nemo potest opera Deo digna facere, nisi vivat vita Dei et ad ejus consortium elevetur, sicque ex conditione servi transferatur ad conditionem filii et amici.

II. *Conditiones ex parte operis meritorii.*

131. — I. Opus meritorium debet esse *naturaliter bonum et honestum*, id est, ratione objecti, finis et circumstantiarum, saltem in mente agentis; etenim Deus remunerare nequit actionem malam ; atqui malus esset actus qui bonitate careret ratione objecti, finis, aut circumstantiarum, ut ostensum fuit in Tract. *de Actib. hum.* — Dictum est : *saltem in mente agentis*; nam etsi actio materialiter mala, ut mendacium, sed bona in mente agentis, nullo digna sit præmio, si materialiter sumatur, nihil obstat quin formaliter sumpta, id est, quatenus ab agente appehenditur et producitur, meritoria dicatur, sicut opus bonum materialiter, sed formaliter malum, dignum est pœna; ratio est quia actus humani, uti tales, sunt prout ab agente apprehenduntur.

132. — II. Opus meritorium debet esse *supernaturaliter bonum*, idque

1. Ratione *principii*, id est, fieri debet *sub influxu gratiæ actualis*, dicente Christo : « Sicut palmes non potest ferre » fructum a semetipso nisi manserit in vite : sic nec vos nisi » in me manseritis » (*Joan.*, xv, 4). — Unde Conc. Trid. expresse docet (sess. 6, cap. 16) nullo pacto bona opera justorum Deo grata et meritoria esse posse *sine virtute Christi jugiter influente*. Ait quippe : « Cum ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos *jugiter virtutem influat*, quæ virtus *bona opera semper antecedit*, et *comitatur* et *subsequitur*, et sine qua *nullo pacto* Deo grata et meritoria esse possent. » — Ratio est quia debet esse proportio inter præmium et opus meritorium : porro nulla adesset proportio, si propriis viribus naturalibus absque gratia actuali homo opus cœli meritorium efficere posset.

2. Ratione *motivi*; quod enim fit ex motivo humano, seu naturali, nullum ducit ordinem ad vitam æternam ac proinde eam mereri nequit. Non necessaria est autem intentio actualis, sed requiritur et sufficit intentio virtualis. Vid. Tract. *de Act. hum.* — Non desunt tamen qui tenent motivum naturaliter honestum sufficere in habente caritatem, quæ ex se actum

quemlibet honestum refert ad Deum supernaturaliter (Cfr. Gury-Ballerini, tract. *de Act. hum.*, n. 32).

133. — III. Quam plurimi vero auctores docent actum meritorium actu præcedente caritatis virtualiter saltem referendum esse ad Deum. Dicitur enim (*Gal.*, v, 6) : « In Christo » Jesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet; » sed fides, *quæ per caritatem operatur.* » — Nec aliud docere videtur S. Thomas (1. 2, q. 114, a. 4), quando ait : « Meritum vitæ æternæ *primo* pertinet *ad caritatem* : ad alias autem secundario, secundum quod earum actus *a caritate imperantur.* » — Et revera communis ratio meriti postulat, ut opus fiat in obsequium remunerantis; atqui in obsequium remunerantis esse nequit, nisi proveniat a caritate.

Alii autem contendunt ad actum meritorium sufficere, ut actus referatur ad Deum *ex motivo supernaturalis cujuscumque virtutis.* Hoc autem pariter evinci dicunt — tum *Scriptura*, in qua generaliter promittitur vita æterna iis qui servaverunt legem; sic (*Matt.*, XIX, 17) legitur : « Si vis ad vitam » ingredi, serva mandata; » et (XXV, 35) : « Esurivi enim, et » dedistis mihi manducare; » — tum ex *conc. Trid.* (sess. 6, cap. 16) docente « bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponendam esse vitam æternam. » Ibi simpliciter designantur bona opera, non attendendo an ex caritate fiant; — tum ex *ratione.* Etenim illa conditio, inquiunt, ad meritum non est requirenda, quæ nec a Deo, nec a rerum natura requiritur; atqui nec Deus, nec rerum natura requirunt opus meritorium ex caritate fieri : non *Deus*, cum hujus conditionis necessitas in Scripturis nullibi reperiatur; non *rerum natura*; ex eo enim ipso quod actio fiat supernaturaliter ratione principii et motivi, posita promissione Dei, sufficienter proportionatur æternæ beatitudini.

Cum prior opinio gravibus fulciatur momentis, et opera ex caritate facta majori præmio digna sint, omnis cura adhibenda est ut actus nostri omnes ex caritate fiant.

III. *Conditiones ex parte Dei remunerantis.*

134. Ex parte Dei unica requiritur conditio, nempe *promis-*

sio de repetendo operibus bonis præmio; nam conc Trid. (sess. 6, cap. 16) ait « justificatis proponendam esse vitam æternam et tanquam gratiam per Jesum Christum *promissam*, et tanquam mercedem, *ex ipsius Dei promissione*, bonorum ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam. » — Ratio est quia opus meritorium *ex condigno* illud est, cui ex justitia debetur præmium; porro non videtur quomodo possit esse respectu Dei hujusmodi opus, nisi supposita aliqua Dei promissione; omnes enim actus nostri Deo debentur titulo sive dependentiæ, sive gratitudinis; ergo.

Hinc vita æterna est gratia, non tantum ob gratiam ad opera meritoria elicienda omnino necessariam, sed quia, etiam illis datis operibus, cœlum non debebatur absque gratuita ex parte Dei promissione.

135. Quæritur 1. *Quomodo crescat meritum?*

Resp. Quadruplici ex capite crescit meritum, nempe : — 1. *natura actuum;* quo enim perfectiores et intensiores sunt actus meritorii, eo major est in illis valor; — 2. *numero* actuum meritoriorum, ut patet;—3. *sanctitate* agentis; sanctitas enim agentis novum operi meritorio pretium confert; — 4. *difficultate* operum; nam quo difficilior est actus, eo vehementiores esse debent voluntatis conatus ad opus recte perficiendum, et inde meritum.

136. Quæritur 2. *Quænam requirantur conditiones ad meritum de congruo?*

Resp. Conditiones meriti de congruo sunt ex parte *merentis*, ut sit liber et viator, ob rationes superius expositas; at non requiritur ut sit in statu gratiæ, quia peccator opera supernaturalia, adjuvante gratia, efficere potest : porro hujusmodi opera ex aliqua decentia præmio sunt digna. — Ex parte *operis*, requiritur opus supernaturale; nam in merito de congruo debet esse aliqua proportio inter opus meritorium et rem quæ est meriti objectum, ut dici possit ex decentia præmio dignum : porro nulla datur proportio inter opus mere naturale et gratiam; ergo supernaturale esse debet opus meritorium. De fide est insuper nullum opus supernaturale fieri posse sine gratia : ergo opus meritorium de congruo debet esse etiam ex

gratia actuali. — Ex parte *Dei*, nulla necessaria est promissio, quia hæc promissio prorsus inutilis est, ut ex aliqua decentia pretium debeatur operi meritorio de congruo.

ARTICULUS III.

De objecto meriti.

137. Objectum meriti est illud quod homo bonis suis actibus promereri potest. Quæstio autem moveri potest — 1. de gratia; — 2. de dono perseverantiæ finalis; — 3. de gloria.

I. *De gratia.*

138. — I. De gratia actuali. — **1.** Certum est hominem non posse mereri etiam de congruo *primam* gratiam actualem; nam, ex modo dictis, ad meritum de congruo requiritur opus supernaturale, id est, cum gratia peractum : atqui ante primam gratiam non datur opus supernaturale; ergo.

2. Communiter tenetur cooperationem gratiæ mereri, saltem *de congruo*, *aliam* gratiam actualem *uberiorem*. Id probatur — 1. *Script. S.* (*Luc.*, XIX, 26) : « Omni habenti dabitur, et » abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet aufe» retur ab eo. » Illa verba prolata fuerunt *bis* post parabolam talentorum, et *ter* post sementis parabolam; unde merito colligitur in illis agi de fidelitate gratiæ actuali, quæ novæ gratiæ actualis collatione remuneratur; — 2. *ex SS. Patr.* id passim asserentibus; — 3. *rat. theol.*; tum quia, ex modo dicendis, peccator potest mereri *de congruo* primam gratiam sanctificantem; ergo a fortiori, ut videtur, gratias actuales; tum quia perseverantia finalis, uti probabitur infra, est objectum meriti *de congruo;* porro hæc perseverantia sita videtur in una vel pluribus gratiis actualibus; ergo, quandoque saltem, gratia actualis est objectum meriti de congruo.

3. Homo non potest mereri de *condigno*, sed *de congruo* tantum, *gratias efficaces*; nam gratia efficax illa est quæ cum bono opere certo et infallibiliter connectitur : atqui talis gratia nullibi promittitur; sed e contra Apostolus omnibus dicit : « Qui se existimat stare, videat ne cadat » (I *Cor.*, X, 12);

— « Cum metu et tremore vestram salutem operamini » (*Philip.*, II, 12).

139. — II. De justificatione. — 1. Peccator non potest justificationem suam mereri de condigno, sed eam mereri potest de congruo. — Patet *primum;* nam (*Rom.*, III, 24) dicit Apostolus : « Justificati *gratis* per gratiam ipsius : » porro non gratis daretur gratia justificationis, si esset objectum meriti. — Conc. Trid. laudata Apostoli verba explicans, ait (sess. 6, c. 8) : « Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil horum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam *promeretur.* » — Ratio est quod ad meritum de condigno, ex dictis, requiratur status gratiæ, qui certo non habetur, quando agitur de obtinenda *prima* gratia sanctificante. — Constat etiam *secundum*, siquidem actibus fidei, pœnitentiæ, et aliis quos peccator ante justificationem elicit, adjuvante gratia actuali, nulla deest conditio ad meritum de *congruo.*

2. Justus non potest mereri de *condigno* reparationem suam post lapsum futurum, sed potest *de congruo.* — Ratio *primi* est, quia nullibi reperitur promissio divina ad meritum de condigno necessaria, et in Ezechiele (XVIII, 21) dicitur : « Si » justus averterit se a justitia sua et fecerit iniquitatem... » omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur » : atqui maxime recordarentur, si Deus, intuitu illorum operum, ex justitia conferret homini reparationem post lapsum. — Patet vero *alterum*, tum quia illam reparationem promereri potest peccator, ex dictis ; ergo a fortiori justus ; tum quia in illius actibus reperiuntur omnes conditiones ad meritum de congruo requisitæ.

140. — III. De augmento gratiæ sanctificantis. — 1. De *fide* est justificatum bonis operibus vere, id est, *de condigno mereri* illud augmentum gratiæ. Id constat — 1. Ex *Scriptura* ; legitur enim (*Joan.*, XIV, 15) : « Si diligitis me, mandata mea » servate. Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit » vobis. » Unde sic argumentari licet post S. Augustinum : Christus diligi nequit vero amore, quin adsit gratia sanctificans seu Spiritus S. ; ergo quando Spiritus S. promittitur

diligenti et mandata servanti, illud de augmento gratiæ intelligi debet. — 2. *Ex Conc. Trid.* dicente (sess. 6, c. 32) : « Si quis dixerit ipsum justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum fiunt, *non vere mereri augmentum gratiæ*; anathema sit; et in can. 24 dicit bona opera esse causam *augendæ justitiæ*. — 3. *Ratione;* quia adsunt omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ; si enim aliqua deesset, foret promissio divina; porro ex eo quod Scriptura passim nos hortatur ad augmentum gratiæ assequendum, eo ipso declarat Deum ad illud donandum se adstrinxisse.

2. Expendunt vero theologi quales actus virtutum mereantur augmentum gratiæ. Porro actus virtutum sunt vel intensiores, vel æquales, vel inferiores seu remissiores habitibus virtutum. — De actibus *intensioribus*, nulla difficultas; vel enim illi vel nulli producunt istud augmentum gratiæ. — De actibus *æqualibus* virtutum habitibus, controvertitur; sed communissime affirmatur, eo quod agens bene utitur virtutibus, siquidem producit actus ipsis proportionatos. — De actibus *remissioribus* triplex datur opinio; prima negat dari augmentum gratiæ. Secunda affirmat haberi hoc augmentum, at non statim, sed tempore suo (S. Thom., 1. 2, q. 114, a. 8, ad 3; 2. 2, q. 24, a. 6, ad 1). Quale sit illud tempus, facile non est determinare; habebitur vel quando fiet actus intensior, vel quando dabuntur plures actus remissi, qui simul coadunati, erunt actui intensiori æquales, vel demum in fine vitæ, seu in primo glorificationis instanti; ita Billuart (*de Char.*, diss. 2, a. 3). Vide Suarez (*de Gr.*, lib. 9, c. 3, n. 5 et seq.). Tertia opinio docet dari augmentum gratiæ per actus remissos, et quidem statim; ratio est, quia meritum ex parte operis est reponendum in intrinseca bonitate et dignitate operis, non vero in intensitate vel remissione, quæ sunt operi aliquid accidentale. Aliunde declarat conc. Trid. *justum crescere, renovari, magis justificari, justitiam augeri;* quæ quidem et similia indicant augmentum præsens et non solum futurum; ergo (Suarez, *de Gr.*, lib. 9, c. 3, n. 33).

3. Non magis consentiunt auctores in explicando quali pro-

portione augeatur gratia per actus virtutum. Quidam asserunt, aut supponunt, unicuique gradui intensionis actus correspondere gradum intensionis gratiæ, sicque multiplicatis actibus acquiri gradum duplo majorem, v. g., qui habens unum gradum elicit actum, jam habet duos ; per novum actum acquirit quatuor, deinde octo et sic deinceps. Verum hoc dici nequit sine aliquo temperamento ; nam cum dentur actus intensiores, æquales et remissiores, variari debet juxta hos actus gratiæ augmentum.

Ex his concludendum — 1. totis viribus conandum esse ut eliciantur actus magis ac magis intensi ac perfecti ; — 2. non negligendos actus minoris in se pretii, tum ob fervorem cum quo elici possunt, tum propter verba Christi promittentis præmium pro calice aquæ frigidæ, tum ne refrigescat caritas ob horum minimorum actuum neglectum.

II. *De perseverantia finali.*

141. — I. Justus perseverantiam finalem de condigno mereri nequit. Probatur — 1. *Ex S. Augustino,* qui ait (lib. *de Dono persev.*, c. 1, vel n. 1) : « Asserimus donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo. » — 2. *Ratione* ; ad meritum de condigno requiritur promissio divina : porro hæc promissio, nedum reperiatur quando agitur de obtinenda perseverantia finali, potius denegatur, cum plures Scripturæ textus evidenter supponant illam perseverantiam non esse objectum meriti. Sic legitur (I *Cor.*, x, 12) : « Qui se existimat stare, *videat ne cadat.* » — (*Phil.*, II, 12) : « *Cum metu et tremore* vestram salutem operamini. » — (*Rom.*, XI, 20) : « Tu autem fide stas ; noli altum sapere, sed » *time.* » — (I *Cor.*, IX, 27) : « Castigo corpus meum, et in » servitutem redigo, *ne forte cum aliis prædicaverim, ipse re-* » *probus efficiar.* »

Unde conc. Trid. (sess. 6, can. 16), ait : Si quis magnum illud perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine, dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit : anathema sit. »

142. — II. Justus tamen donum perseverantiæ finalis *de con*

gruo mereri potest; nam S. Augustinus (lib. *de Dono perseverantiæ*, c. 6, n. 10) ait : « Hoc ergo Dei donum *suppliciter emereri potest.* » — SS. Patres et Ecclesiæ Doctores hortantur fideles ad donum perseverantiæ enixe postulandum, et bonis operibus certum faciendum; ergo supponunt illud esse objectum meriti de congruo. — Demum omnes ad meritum de congruo requisitæ conditiones in præsenti casu facile reperiri possunt.

III. *De gloria.*

143. Dogma catholicum est justum de condigno mereri posse *vitam æternam seu gloriam;* ait enim Conc. Trid. (sess. 6, c. 32) : « Si quis dixerit justificatum bonis operibus... *non vere mereri vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ,* si tamen in gratia decesserit, *consecutionem atque gloriæ augmentum ;* anathema sit. » — Constat insuper tum ex textibus in thesi de existentia meriti allatis; tum ex eo quod adsunt omnes conditiones requisitæ ad meritum de condigno; promissio enim divina in Scripturæ textibus supra relatis sat exprimitur.

Nec dicatur : perseverantiam finalem de condigno mereri nequit justus; ergo a fortiori nec vitam æternam. — Resp. *neg. conseq.* Nam in his quæ a beneplacito divino pendent, nec a pari, nec a fortiori ratiocinandum est. Durante vita sua, justus jus reale, sed conditionale, habet ad gloriam, posita nempe illius perseverantia finali; at, morte sancte peracta, illud jus in absolutum transit.

Nec dicatur adhuc primam gratiam sanctificantem non esse objectum meriti; nec proinde gloriam huic gratiæ respondentem. — Resp. S. Thomas (1. 2, q. 112, a. 2, ad 1), quod « præparatio hominis ad gratiam habendam quædam est *simul* cum ipsa infusione gratiæ; et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur. » Vide etiam de hoc Suarez (l. 12, c. 28, n. 24-26), Mazella (*de Gratia*, disp. 6, a. 4).

144. Quæritur 1. *An Deus justorum opera remuneretur supra condignum*, id est, *an plus tribuat quam debet?*

Resp. 1. Manifestum est actus humanos *in se sumptos*, seu

independenter a promissione divina, nullam habere ad vitam æternam æqualitatem; unde supra condignum evidenter remunerantur. — 2. Utrum vero posita etiam divina promissione, supra condignum remunerentur, id est, an Deus plus justo tribuat quam ex sua promissione debet, non ita constat; affirmant tamen multi innitentes tum parabola mnarum (*Luc.*, XIX) et talentorum (*Matth.*, XXV), tum his verbis Christi (*Luc.*, VI, 38) : « Mensuram *bonam*, et *confertam*, et *coagita-*» *tam* et *supereffluentem*, dabunt in sinum vestrum. » — SS. Patres illud asserere videntur; pro omnibus sit S. Fulgentius (*ad Monimum*, lib. 1, c. 10) dicens : « Non solum donis suis Deus dona sua reddit, sed tantum etiam ibi (in vita æterna) gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum quamvis bonæ et ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat. » — Ratio autem negandi oriri potest ex eo, quod teste Apostolo (*Rom.*, II, 6), Deus reddet « uniquique secundum opera ejus. »

145. Quæritur 2. *An et quatenus unus pro alio mereri possit?*

Resp. Certum est quidem neminem pro altero de condigno mereri posse ; et ratio est quia deest promissio et ordinatio ex parte Dei. Unde Suarez (*de Merito*, c. 16, n. 7) ait : « Deus non ordinavit, nec proposuit alicui ut præmium gloriam alterius, sed tantum propriam : nemo autem in stadio currens potest mereri aliud bravium, nisi quod a supremo gubernatore in præmium est vincentibus promissum. » Juxta vero communem sententiam, unus pro altero aliquid de congruo mereri potest, maxime si in statu gratiæ versetur. Quod constat — sive *Scriptura*, quæ nos hortatur ad orandum pro invicem : « Orate pro invicem ut salvemini » (*Jac.*, VI, 16); sic etiam Deus amicos Job ad illum remittit ut oret pro eis (*Job*, XLII, 8); — sive *ex SS. Patribus*, pro quibus S. Augustinus (serm. 1 *de Sanctis*, n. 5, alias 215 *in suppl.*) ait quod « si S. Stephanus martyr non orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet; » — sive *ratione*, ob legem amicitiæ Deum inter et justos homines existentis, secundum quam « congruum est, inquit Suarez (*loc. cit.*, c. 35, n. 5), ut amicus voluntatem amici honestam faciat ; et ita hoc potest dici debitum operibus

et obsequiis amici ex congruitate amicitiæ. Cum ergo inter Deum et hominem justum amicitia intercedat, magnum profecto fundamentum est in operibus justorum, ut ad benefaciendum aliis Deus benigne propter amicorum opera inclinetur ; et hoc ipsum est illa esse meritoria de congruo respectu aliorum. »

Imo neque solum alteri quod sibi justus ita mereri potest, sed etiam aliquid amplius, nempe gratiam *primam* actualem etiam *efficacem* : nulla quippe deest conditio, cum ipse merens ex influxu gratiæ agat. Hoc modo conversionem filii sui Augustini S. Monica meruisse creditur.

Requiritur tamen ad merendum pro alio specialis operis oblatio, qua ad alterius commodum referatur. Hoc autem non impedit quin merens totum præmium operi de condigno promissum percipiat (Cfr. Jungman, *de Gratia*, p. 3, a. 4).

Et hic finis imponatur nostræ tractationi de gratia, cujus donis superabundanter nos cumulet ille qui venit ut vitam habeamus et abundantius habeamus !

EXPLICIT TOMUS SECUNDUS.

INDEX ANALYTICUS

TRACTATUS DE SS. TRINITATE.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SS. TRINITATE.

Num. Pag.

Symbolum Athanasianum 1
Concilii Lateranensis IV decreta. 2

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. — Tractatus objectum.

1. Quodnam sit hujusce tractationis objectum? 4

II. — Sanctissimæ Trinitatis notio.

2. SS. Trinitatis definitio quoad nomen et quoad rem. — Quid sibi velint voces *essentia*, *natura*, *substantia*, — *persona*, *hypostasis?* 4

III. — Tractatus præstantia, utilitas, indoles et divisio.

3. I. Præstantia. 7
4. II. Utilitas. 8
5. III. Indoles et divisio. 8

CAPUT I. — De cognoscibilitate mysterii SS. Trinitatis.

6. Capitis objectum 9

Art. I. — *An et quatenus mysterium SS. Trinitatis rationem excedat?*

7. Quinam ea de re erraverint? 9
8. Statuitur mysterium SS. Trinitatis nulla ratione naturali cognosci aut demonstrari posse. — *Assertio.* 10
Colligitur per modum corollarii :
9. 1. Mysterium SS. Trinitatis, nec etiam supposita fide, naturaliter demonstrari posse 11
2. Neque pariter ejusdem possibilitatem sola ratione evinci posse. 12

Num. Pag.

3. Catholicum dogma de SS. Trinitate nullatenus a Platone et orientalibus philosophis mutuatum esse. 12

ART. II. — *An et quatenus mysterium SS. Trinitatis rationi consentaneum sit?*

10. Contra quosnam et quomodo ostendatur mysterium SS. Trinitatis rationi contrarium demonstrari non posse. — *Assertio.* 13

ART. III. — *An et quatenus ratione suaderi possit mysterium SS. Trinitatis?*

11. Utrum in rerum natura quædam occurrant mysterio SS. Trinitatis illustrando apta? 14
12. Quomodo speciatim illustretur ac suadeatur hocce mysterium tum ex multiplici Dei trini in rebus creatis adumbratione, tum ex imagine Dei homini impressa, tum ex philosophico Dei conceptu? — *Assertio.* 14

CAPUT II. — DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

13. Quænam probanda veniant? 18

ART. I. — *De Trinitate divinarum personarum.*

14. Recensentur errores 18
15. Probatur Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse tres personas realiter distinctas. — *Assertio.* 19
16. *Scholium.* Nonnulla animadvertuntur de objectionibus quæ adversus trinitatem divinarum personarum depromi solent :
1. Ex Sacra Scriptura. 23
2. Ex traditione ecclesiastica 24
3. Ex ratione. 24

ART. II. — *De divinitate singularum personarum SS. Trinitatis.*

§ I. — *De divinitate Patris.*

17. Errores 25
18. Probatur Patrem esse secundum se Deum. — *Assertio* . . . 26

§ II. — *De divinitate Filii.*

19. Quinam negaverint divinitatem Verbi? 27
20. Statuitur Filium seu Verbum esse secundum se Deum Patri consubstantialem. — *Assertio* 27
21. *Scholium.* Diluuntur objectiones, quibus impugnatur divinitas Verbi :
1. Ex Scriptura. 30

Num. Pag.
2. Ex SS. Patribus. 32
3. Ex ratione. 32

§ III. — *De divinitate Spiritus sancti.*

22. Exponuntur errores 33
23. Probatur Spiritum Sanctum esse secundum se Deum, Patri ac Filio consubstantialem. — *Assertio* 34
Solvuntur objectiones desumptæ :
24. 1. Ex Scriptura Sacra. 36
25. 2. Ex traditione. 36

Art. III. — *De unitate naturæ divinarum personarum.*

26. Quinam ea de re erraverint? 37
27. Quotuplex unitas essentiæ distinguenda sit? — An et quatenus Patris, Filii et Spiritus Sancti una sit essentia, natura, seu substantia? — *Assertio* 38
28. Solvuntur objectiones. 40
Tria ex dictis eruuntur corollaria, nempe :
30. 1. Tres personas divinas sibi coæquales esse. 41
31. 2. Tribus personis communia esse attributa Dei absoluta necnon opera ad extra. 41
32. 3. Admittendam esse in Deo divinarum personarum circumincessionem 42
33. *Scholium.* De divina œconomia in revelando mysterio SS. Trinitatis 42

CAPUT III. — De intrinseca ratione mysterii SS. Trinitatis.

34. Determinatur objectum hujusce capitis 45

Art. I. — *De existentia divinarum processionum.*

35. Processionis notio et species 45
36. Utrum in Deo ponendæ sint processiones? 47
37. Quænam sit catholica doctrina circa processiones divinas? — Ostenditur Patrem a nullo procedere. 47

§ I. — *Statuitur Filii a Patre generatio.*

38. Generationis conceptus genuinus 48
39. Probatur Filium a Patre, et quidem solo, per veram generationem procedere. — *Assertio* 49
40. *Scholium.* Solvuntur objectiones. 51

§ II. — *Spiritus sancti a Patre Filioque processio stabilitur.*

41. Quinam erraverint circa processionem Spiritus Sancti? . . 53
42. Statuitur Spiritum S. a Patre Filioque tanquam ab unico prin-

Num. Pag.
cipio procedere, non tamen per generationem. — *Assertio.* 53
43. *Corollarium.* Ergo vox *Filioque* Symbolo addi potuit. . . . 58

ART. II. — *De natura divinarum processionum.*

§ I. — *De earum proprietatibus.*

44. Ostenditur divinas processiones esse immanentes, substantiales, necessarias, æternas, et omnis imperfectionis expertes. — *Assertio* 59

§ II. — *De principio divinarum processionum.*

45. Quid et quotuplex sit principium processionis? In quo consentiant theologi? 61
46. Probatur principia proxima divinarum processionum esse intellectum et voluntatem prout connotant relationes. — *Assertio.* 61
47. *Corollarium.* Infertur ex dictis cur in Deo duæ sint processiones, et duæ tantum. 63
48. *Quæritur* 1. Ex quanam cognitione procedat Verbum . . . 64
49. 2. Ex quo amore procedat Spiritus Sanctus. 64

§ III. — *De causa discriminis inter utramque processionem.*

50. Sententia S. Thomæ exponitur. — Dein probatur Verbi processionem ideo generationem dici, quia fit per intellectum vi propria assimilativum; processionem vero Spiritus S. generationis nomine carere, quia est ex voluntate præfata virtute destituta. — *Assertio.* 65
51. *Scholium.* Pauca observantur circa nomen, quo designari solet processio Spiritus Sancti. 66

ART. III. — *De consectariis divinarum processionum.*

Dividuntur hujusmodi consectaria 66

§ I. — *De divinis relationibus.*

52. Quid et quotuplex sit relatio? 67
Tria statuuntur de relationibus divinis nempe :
53. 1. Dari in Deo relationes, et quidem quatuor, easque reales esse. — *Assertio* 1ª. 67
2. Relationes divinas non quidem ab essentia divina, sed a relationibus oppositis realiter distingui, etsi ab eis, quæ sunt tantum disparatæ, virtualiter tantum differant. — *Assertio* 2ª . 69
53. 3. Divinas personas constitui et ab invicem distingui per relationes oppositas. — *Assertio* 3ª 69
56. *Scholium* 1. De subsistentiis divinis. Quid et quot sint subsistentiæ relativæ in Deo? — Utrum præter tres illas subsistentias relativas alia detur absoluta? 70

Num. Pag.
57. *Scholium* 2. De notionibus divinis. Quid sit notio in divinis? — Quot admittendæ sint in Deo notiones? 71
58. *Scholium* 3. De actibus notionalibus. Quid sint? — An voluntarii? 72

§ II. — *De missionibus divinis.*

59. Quid et quotuplex sit missio divina? 73
60. Utrum alicui personæ ab alia mitti conveniat? 74
61. Quænam personæ mitti possint? — Ordo dicendorum . . . 74

I. — De missione invisibili.

62. Quandonam detur missio invisibilis divinarum personarum? — *Assertio.* 75
In triplici corollario colligitur :
63. 1. Triplicem fieri in homine missionem invisibilem divinarum personarum 78
64. 2. Non fieri missionem invisibilem, quin tres personæ simul veniant. 78
65. 3. Divinas personas in missione invisibili personaliter ac substantialiter præsentes fieri 79

II. — De missione visibili.

Breviter declarantur missionis visibilis :
66. I. Indoles propria 80
67. II. Divisio. 81
68. III. Convenientia 81
69. IV. Præcipua exempla 82

§ III. — *De nominibus personarum divinarum.*

70. Quotuplicis generis sint nomina divinarum personarum? . 82
71. Utrum appropriatio legitime fiat in divinis? 83

I. — De nominibus primæ personæ.

72. Quænam sint primæ personæ nomina propria? 84
73. Appropriata? 84

II. — De nominibus secundæ personæ.

74. Nomina secundæ personæ propria 84
75. Appropriata 85

III. — De nominibus tertiæ personæ.

76. Nomina tertiæ personæ propria 85
77. Appropriata 86
78. *Scholium.* Traduntur regulæ ad recte loquendum de mysterio SS. Trinitatis. — Principium generale præmittitur. — Deinde traduntur tres regulæ. 86

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. — De objecto Tractatus.

Num. Pag.
1. Quodnam sit præsentis tractatus objectum? 89

II. — De duplici statu in quo Angelus et homo constitui possunt.

2. Status in genere notio 89
3. Status divisio. — Quid naturale, supernaturale sive relativum sive absolutum, præternaturale, status naturalis et supernaturalis 90
4. Utriusque status naturalis et supernaturalis propria indoles. 92

III. — De utilitate et ordine dicendorum.

5. Utilitas. 93
6. Ordo. 94

PARS. I. — **De Angelis.**

7. Quid nomine Angelorum veniat? 94
8. Quænam de Angelis tractanda sint? 94

CAPUT I. — De Angelorum existentia.

§ I. — *Utrum conveniens fuerit angelos a Deo creari?*

9. Ostenditur Angelorum creationem divinæ sapientiæ consentaneam esse. — *Assertio.* 95

§ II. — *Utrum existant Angeli?*

10. Probatur Angelos existere. — *Assertio.* 97
Tria quæruntur, nempe :
11. 1. Utrum Angeli sint prorsus immateriales. 98
12. 2. Quandonam Angeli creati fuerint 100
13. 3. Quænam sit Angelorum multitudo 100

§ III. — *Quomodo Angeli ab invicem distinguantur?*

14. Declaratur sensus quæstionis. — Theologorum sententiæ. . 102
15. Statuitur Angelos intra eamdem speciem numerice non multiplicari. — *Assertio.* 102

CAPUT II. — De potentiis Angelorum.

Art. I. — *De intellectu Angelorum.*

Num. Pag.
16. Utrum Angeli intellectu polleant? 104

§ I. — *De medio cognitionis Angelicæ.*

17. Præfinitur quæstio. 104
18. Utrum Angeli indigeant specie impressa vel per suam essentiam intelligant? — *Assertio* 1ª 104
19. Utrum species Angelorum in ipsa creatione a Deo inditæ fuerint? *Assertio* 2ª 105
20. Utrum Angeli intelligant per species universales? — *Assertio* 3ª 106

§ II. — *De objecto cognitionis Angelicæ.*

Nonnulla præmittuntur.
21. 1. Circa objectum proprium intellectus angelici. 107
22. 2. Circa ordinem quo Angeli varia objecta particularia cognoscunt 107
23. 3. Circa modum, juxta quem Deus ab Angelis naturaliter apprehenditur 107
Tria dein expenduntur, utrum nempe et quatenus Angeli naturaliter cognoscant
24. 1. Futura contingentia. — *Assertio* 1ª 108
25. 2. Secreta cordium. — *Assertio* 2ª 109
26. 3. Mysteria gratiæ. — *Assertio* 3ª 110
Tria explorantur, videlicet :
27. 1. Utrum Angeli semper aliquid intelligant. 112
28. 2. Utrum Angelus cognoscat per discursum formalem . . . 112
29. 3. Utrum in Angelis distingui debeat cognitio matutina et vespertina 113

Art. II. — *De voluntate Angelorum.*

30. Utrum Angeli voluntate donentur? 114
31. Utrum libero arbitrio prædíti sint? — *Assertio.* 114
Duo quæruntur, nempe :
32. 1. Quomodo voluntas Angeli tum ad seipsum, tum ad Deum feratur 115
33. 2. Utrum et quatenus voluntas Angelica impeccabilis sit . . 116

Art. III. — *De potentia agendi ad extra Angelorum.*

§ I. — *An et quatenus Angeli sint in loco?*

34. I. An et quatenus Angeli sint in loco? 117
35. II. Qua ratione Angeli sint in certis et determinatis locis? . 118
36. III. Exinde inferuntur nonnulla consectaria. 118

§ II. — *An et quatenus Angeli localiter se movere possint?*

Num. Pag.

37. I. An et quatenus Angeli moveantur. 119
38. II. Quotuplex sit motus Angelorum. 120
39. III. Utrum motus Angeli fiat in instanti? 120

§ III. — *An et quatenus Angeli corpora assumere valeant?*

40. I. Ostenditur Angelos assumere posse corpora 121
41. II. Exponuntur conditiones requisitæ ad hanc corporis assumptionem per Angelum 121
42. III: Inquiritur ex qua materia et quanam virtute efformentur hæc corpora 122
43. IV. Utrum Angeli in corporibus assumptis vitæ sensitivæ operibus indulgeant? 122

CAPUT III. — De statu supernaturali Angelorum.

Quænam complectatur status supernaturalis Angelorum? . . 123

Art. I. — *De elevatione Angelorum.*

44. Probatur Angelos omnes in gratia sanctificante creatos fuisse. — *Assertio* 123
45. *Quæritur* 1. Utrum præter gratiam habitualem Angelis concessa fuerit gratia actualis 125
46. *Quæritur* 2. Utrum Angeli per aliquam sui dispositionem gratiam sanctificantem acceperint. 125
47. *Quæritur* 3. Utrum Angeli juxta mensuram suæ perfectionis naturalis gratiam acceperint 126

Art. II. — *De probatione Angelorum.*

48. Utrum Angeli in statu viæ fuerint? 127
49. Theologorum sententiæ de natura probationis, cui subjecti sunt Angeli 127

§ I. — *De merito bonorum Angelorum.*

50. Statuitur plures Angelos in justitia perseveravisse et beatitudinem supernaturalem meruisse. — *Assertio.* 129

Duo postea quæruntur, nimirum :

51. 1. Quot Angeli in sanctitate perseveraverint. 130
52. 2. Utrum uno caritatis actu beatitudinem meruerint. . . . 130

§ II. — *De culpa malorum Angelorum.*

53. Probatur plurimos Angelos propria culpa a primæva justitia defecisse. — *Assertio* 130

Tria quæruntur :

54. 1. Qua specie peccati mali Angeli inquinati sint 131

Num. Pag.
55. 2. Quo numero et ordine lapsi sint mali Angeli. 132
56. 3. Utrum Angeli resipiscere potuerint. 133
57. *Scholium.* De duratione probationis Angelorum. 133

ART. III. — *De ultima sorte Angelorum.*

58. Dividitur quæstio 134

§ I. — *De beatitudine bonorum Angelorum.*

59. Quotuplex sit beatitudo Angelorum? — Utrum in beatitudine naturali creati sint? 134
60. Quid vero de beatitudine supernaturali? 135
61. Probatur bonos Angelos, post felicem probationis exitum, beatitudine supernaturali donatos fuisse, eaque in æternum perfrui. — *Assertio.* 135

§ II. — *De pœnis Dæmonum.*

Tria prænotantur, scilicet :
62. 1. Malos Angelos omnia gratiæ dona amisisse. 137
63 2. Eorum intellectum per peccatum obcæcatum fuisse. . . 137
64. 3. Pariter ipsorum voluntatem immobiliter in malo fixam esse. 138
65. Probatur deinde malos Angelos in vindictam peccati æternis suppliciis addictos esse. — *Assertio.* 139
66. *Quæritur* quomodo Dæmones ab igne materiali torqueantur. 140

CAPUT IV. — DE ANGELORUM AD INVICEM ET AD HOMINES HABITUDINE.

ART. I. — *De mutuis Angelorum relationibus.*

67. Quotuplici modo Angeli ad invicem referantur? 142

§ I. — *De locutione Angelorum.*

68. Utrum Angeli seipsos mutuo alloquantur? 142
69. In quo sita Angelorum locutio? — *Assertio.* 142
70. Tria per modum corollarii inferuntur. 143

§ II. — *De illuminatione Angelorum.*

71. Quid sit Angelorum illuminatio? 143
72. An et quatenus Angeli superiores illuminent inferiores? — *Assertio* 143
73. Quænam ex dictis deduci possint? 144

§ III. — *De Angelorum ordinatione.*

74. Quid et quotuplex sit hierarchia? — Quid nomine chori veniat? — Quot sint hierarchiæ et chori Angelorum? . . . 145

Num. Pag.
75. Probatur Angelorum multitudinem jure distribui in tres hierarchias præsertimque in novem choros. — *Assertio* . . . 146
Expenditur in triplici corollario
76. I. Undenam desumenda sit Angelorum in tres hierarchias distributio. 143
77. 2. Quomodo ab invicem distinguantur novem Angelorum chori. 148
78. 3. Utrum quædam sit hierarchia inter Dæmones 149

ART. II. — *De bonorum Angelorum ministeriis.*

79. Quot sint bonorum Angelorum ministeria? 150

§ I. — *De generali præsidentia bonorum Angelorum.*

80. An et quatenus Angeli boni præficiantur — 1. rebus materialibus; — 2. populis regendis; — 3. ipsius Ecclesiæ negotiis? 150
81. *Scholium.* An et quinam inter Angelos Dei ministros præ cæteris emineant? 151

§ II. — *De Angelorum bonorum custodia.*

82. Utrum Angeli boni hominum viatorum custodiam gerant? . 152
83. Probatur suum cuique homini custodem Angelum a Deo deputari. — *Assertio* 152
84. Nonnulla inferuntur circa extensionem custodiæ angelicæ. . 153
Tria demum quæruntur :
85. 1. Quænam sint functiones Angelorum custodum. 154
86. 2. Quis sit Angelorum custodum ordo. 155
87. 3. Quænam Angelis custodibus homines retribuere teneantur. 155

§ III. — *De missionibus extraordinariis sanctorum Angelorum.*

88. Quotuplicis generis sint ministeria extraordinaria Angelorum? 156
Tria de his ostenduntur, nimirum :
89. 1. Angelos quandoque in ministerium extraordinarie mitti. . 156
90. 2. Solos Angelos *ministrantes*, non *assistentes* ita mitti. . . 156
91. 3. Omnes apparitiones Dei, excepta Incarnatione, in persona Angelorum factas esse 157

ART. III. — *De impugnatione dæmonum.*

92. Quotuplici modo homines a dæmonibus impugnentur? . . 157

§ I. — *De impugnatione dæmonum, quæ fit per tentationem.*

93. Quid sit tentatio diabolica? 158
94. An et quatenus homines a Dæmonibus in peccatum allicientur? — *Assertio* 158
95. *Corollarium.* De multiplici convenientia tentationum diabolicarum 160

Num. Pag.

Quæritur vero
96. 1. Utrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli. . 161
97. 2. Quomodo dæmones hominem ad peccatum inducant. . . 162
98. 3. Utrum sit cuilibet homini malus Angelus ad pugnam . . 163

§ II. — *De impugnatione dæmonis, quæ fit per inflictionem mali physici.*

Tria prænotantur, nempe :
99. 1. Dæmones corpora localiter movere posse. 164
100. 2. Eosdem, motus localis ope, alios etiam motus causare posse. 164
101. 3. Ipsis maximam vim inesse ad sensus nostros sive interius, sive exterius immutandos 164
102. Probatur dæmones multa mala physica hominibus haud raro infligere. — *Assertio* 165

§ III. — *De impugnatione dæmonum, quæ fit per obsessionem.*

103. Obsessionis notio 166
104. Quinam ea de re erraverint? 166
105. Probatur veri nominis possessiones sive ante, sive post mortem Christi datas fuisse. — *Assertio* 166
106. *Scholium.* Qua utendum sit cautione, ubi de possessione diabolica pronuntiandum est? 169

PARS II. — **De homine.**

107. Ordo dicendorum 169

CAPUT I. — De hominis origine.

108. Quæstio dividitur 169

Art. I. — *De protoparentum creatione.*

109. Recensentur præcipui errores. 170
110. Demonstratur primos parentes immediate a Deo creatos fuisse. — *Assertio.* 170

Art. II. — *De totius humanis generis ab uno Adam propagatione.*

111. Errores exponuntur 174
112. Statuitur universum humanum genus ab Adam et Eva propagatum esse. — *Assertio.* 174

Art. III. — *De antiquitate humani generis.*

113. Præfinitur quæstio. 176
114. Probatur chronologiam mosaicam neque ex populorum anna-

Num. Pag.

libus, neque ex observationibus astronomicis, neque ex inventis paleontologicis et geologicis infirmari. — *Assertio.* . 176

115. *Scholium.* De cosmogonia Mosaica. Quotuplex proponatur interpretatio dierum, intra quos effectam fuisse creationem narrat Moyses? 179

CAPUT II. — De hominis elevatione.

116. Fusius explanantur varii status, in quibus homo condi potuit. 182
117. Recensentur errores circa primævum hominis statum. . . . 184
118. Doctrina catholica de hominis elevatione. 184

§ I. — *De collatione gratiæ protoparentibus impertitæ.*

119. Exponitur quæstio 185
120. Demonstratur primos parentes a Deo in statu justitiæ et sanctitatis, et quidem in ipsa creatione, constitutos esse. — *Assertio.* 185

§ II. — *De donis præternaturalibus primis parentibus concessis.*

121. Sensus quæstionis determinatur. 187
122. An et quænam dona naturæ protoparentibus concessa a Deo fuerint? — *Assertio.* 187
123. *Scholium.* De dominio, quod primus homo in statu innocentiæ super alias creaturas habuit. 192

§ III. — *De gratuitate gratiæ cæterorumque donorum primis parentibus concessorum.*

124. Quæstio præfinitur. 192
125. Utrum et quatenus gratia aliaque dona protoparentibus data gratuito ipsis impertita fuerint? — *Assertio.* 194
126. Deducitur ex dictis corollarium de possibilitate status naturæ puræ. 198
127. *Scholium.* De judicio rationis circa hominis elevationem. . . 199

CAPUT III. — De hominis lapsu.

128. In quo consistat humani generis lapsus? 202

Art. I. — *De protoparentum lapsu.*

129. An et quale præceptum non comedendi de ligno scientiæ boni et mali protoparentibus a Deo impositum fuerit? 203
130. Statuitur primos parentes divinum mandatum transgressos fuisse ac per hanc transgressionem graviter peccasse, ipsosque propterea e statu justitiæ originalis excidisse. — *Assertio.* 204

Tria quæruntur :

Num. Pag.
131. 1. Quomodo protoparentes ad peccandum inducti sint. . . 208
132. 2. Quo ordine varia protoparentum in eodem actu peccata sibi successerint 209
133. 3. Quid tenendum sit de justificatione et salute protoparentum 211

ART. II. — *De propagatione peccati originalis in Adæ posteros.*

§ I. — *An et quatenus Adæ peccatum in omnes ejus posteros transfundatur?*

134. Determinatur quæstionis status. — Errores confutandi. . . 212
135. Probatur Adæ peccatum in omnes homines transfundi. — *Assertio* 213
136. Solvuntur objectiones ex Sacra Scriptura petitæ 215
Tria quæruntur :
139. 1. Quodnam Adæ peccatum causa fuerit traductionis peccati originalis 216
140. 2. Utrum, Adamo non peccante, sed Eva tantum, posteri contraxissent peccatum 217
141. 3. Utrum, Adamo non peccante, posteri in gratia confirmati essent 217

§ II. — *Quænam sit formalis ratio peccati originalis?*

Breviter ostenditur peccatum originale reponi non posse :
142. 1. In ipsa animæ substantia intrinsece corrupta. 218
143. 2. In concupiscentia 218
144. 3. In aliqua morbida qualitate. 219
145. 4. In ipso Adæ peccato extrinsece imputato. 219
146. Exponitur vera sententia. 220
147. Eadem sententia vindicatur. — *Assertio* 221
Tria quæruntur, nempe :
148. 1. An et quænam voluntarii ratio peccato originali tribuenda sit. 222
149. 2. An et quatenus concupiscentia dici possit materiale peccati originalis. 223
150. 3. Utrum peccatum originale importet aversionem habitualem a Deo, ut fine naturali. 224

§ III. — *Undenam desumenda sit traductio peccati originalis in Adæ posteros?*

151. Exponuntur præcipuæ explicationes 224
152. Quænam admittenda sit? — *Assertio* 225
153. Infertur per modum corollarii :
1. An et quatenus sola Adæ transgressio sit causa efficiens peccati originalis 228

Num. Pag.
2. Cur peccatum originale contrahatur, non committatur . . 228
3. Quo sensu dicatur peccatum originale *generatione trahi, propagari*, etc. 228
154. *Scholium.* Variæ expenduntur sententiæ circa modum quo Adamus a Deo constitutus fuit caput morale et juridicum posterorum 229

ART. III. — *De effectibus peccati originalis.*

§ I. — *De effectibus peccati originalis, qui ad vitam præsentem respiciunt.*

155. I. An et quo sensu inter effectus peccati originalis annumeranda sit ipsa gratiæ amissio? 231
156. II. In quo consistat secundus ac proprius effectus peccati originalis? 231
157. III. Utrum per peccatum originale vires naturales hominis diminutæ fuerint? 233

§ II. — *De effectibus peccati originalis, qui ad vitam futuram spectant.*

158. Ostenditur infantes cum peccato originali decedentes visione intuitiva Dei carere. — *Assertio* 235
Tria dein explorantur, nempe :
159. 1. Utrum iidem parvuli pœnam sensus experiantur. . . . 236
160. 2. An saltem aliquam tristitiam ex privatione visionis Dei patiantur 237
161. 3. Utrum naturali beatitudine gaudeant 239
162. *Scholium.* De judicio rationis circa peccatum originale . . . 240

CAPUT IV. — DE VITA FUTURA HOMINIS.

163. Quid de morte tenendum sit? 243
164. Utrum statim post mortem detur judicium particulare? . . . 243
165. Quis hujus judicii exitus? 244

ART. I. — *De suppliciis inferni.*

166. Quid sit infernus? — Quid de eo expendendum veniat? . . 244

§ I. — *De existentia inferni.*

167. Errores. 245
168. Probatur existere infernum, in quo impii statim post mortem detruduntur puniendi, disparibus tamen pro numero et gravitate criminum suppliciis. — *Assertio.* 245
169. *Scholium.* De loco inferni 246

§ II. — *De natura pœnarum inferni.*

Num. Pag.
170. I. An et quatenus inter pœnas inferni annumerandæ sint intellectus obcæcatio voluntatisque in malo obstinatio? . . . 247
171. II. Quænam sint pœna damni et pœna sensus? 248
172. III. An et quænam sint aliæ pœnæ damnatorum. — Utrum maximæ sint pœnæ inferni? 249

§ III. — *De duratione pœnarum inferni.*

173. Errores: 250
174. Probatur pœnas inferni æternas fore. — *Assertio* 251
175. *Scholium.* De mitigatione pœnarum inferni 254

ART. II. — *De pœnis purgatorii.*

176. Quid sit purgatorium? 256

§ I. — *De existentia purgatorii.*

177. Errores. 256
178. Vindicatur existentia purgatorii — *Assertio.* 256
Tria quæruntur:
179. 1. Quomodo tollatur in purgatorio pœnæ temporalis vel culpæ venialis reatus 258
180. 2. Utrum animæ purgatorii sint certæ de sua salute 259
181. 3. An et quatenus a vivis invocari possint 260
182. *Scholium.* De loco purgatorii 261

§ II. — *De natura pœnarum purgatorii.*

183. I. An et quatenus animæ purgatorii immunes sint a pœnis subjectivis damnatorum? 261
184. II. An et quatenus detur in purgatorio pœna damni, — pœna sensus? 262
185. III. Quanta sit acerbitas pœnarum purgatorii? — An sint inæquales? 263

§ III. — *De duratione pœnarum purgatorii.*

186. I. Utrum pœnæ purgatorii post ultimum judicium duraturæ sint? 263
187. II. Quænam sit earum duratio pro singulis? 264
188. III. An et quatenus juvari possint suffragiis vivorum, intercessione sanctorum necnon propriis orationibus? 264

ART. III. — *De beatitudine cœlesti.*

189. Quid nomine cœli veniat? 266

§ I. — *De existentia beatitudinis cœlestis.*

190. Errores. — Doctrina catholica. 266

Num. Pag.
191. Probatur animas Sanctorum, quibus nihil expiandum superest, statim nunc post mortem in cœlos recipi, et perfecta beatitudine frui, non tamen in omnibus æquali. — *Assertio* . . 266
192. *Scholium.* De Limbo Patrum 269

§ II. — *De natura beatitudinis cœlestis.*

193. Quid et quotuplex sit beatitudo? 270
194. An et quatenus beatitudo objectiva hominis in Deo reponenda sit? 270
195. Quid censeant theologi de formali hominis beatitudine? . . 271
Tria statuuntur :
196. 1. Sanctos in cœlo Deum intuitive videre eaque visione beatos effici. — *Assertio* 1ª 273
197. 2. Intutivam visionem necessario consequi amorem beatificum. — *Assertio* 2ª 275
198. 3. Ex visione et amore oriri summam delectationem, seu fruitionem Dei. — *Assertio* 3ª 276
Tria dein quæruntur, nempe :
199. 1. Quodnam sit objectum visionis beatificæ 277
200. 2. Quomodo beati Deum videant. 278
201. 3. Utrum visio intuitiva sit absolute supernaturalis? 280
202. *Scholium* 1. De dotibus animæ beatæ 282
203. *Scholium* 2. De aureolis beatorum 283

§ III. — *De duratione beatitudinis cœlestis.*

204. Utrum cœlestis beatitudo semper duratura sit? 283
205. Utrum perpetuitas cœlestis beatitudinis ab intrinseco eidem conveniat? 284
206. An et quatenus cœlestis beatitudinis perpetuitati cohæreat impeccabilitas? 285

Art. IV. — *De supremo rerum humanarum exitu.*

§ I. — *De resurrectione corporum.*

207. Contra quosnam et quomodo probetur corpora mortuorum aliquando resurrectura esse? — *Assertio* 286
208. Solvuntur duæ objectiones 288
Duo quæruntur :
210. 1. Quænam erunt qualitates corporibus beatorum et reproborum communes 290
211. 2. Quænam erunt dotes corporum gloriosorum 291
212. *Scholium.* Utrum corporis resurrectio in statu naturæ puræ data fuisset 292

§ II. — *De extremo judicio.*

213. Quid extremi judicii nomine veniat? — Errores 293

Num. Pag.
214. Utrum post resurrectionem universale judicium in omnes homines exercendum sit? — *Assertio* 293
Tria quæruntur :
215. 1. Quis erit apparatus judicialis 296
216. 2. Qualis inquisitio et manifestatio causæ. 297
217. 3. Quænam proferetur sententia 297
218. *Scholium.* De loco et tempore extremi judicii 299

§ III. — *De mundi consummatione.*

219. I. De mundi conflagratione. 300
220. II. De mundi innovatione et clarificatione 301
221. III. De usu speciali mundi innovati 302

Appendix. — *De divinis decretis circa futuram hominis vitam.*

222. Appendicis objectum. 303

§ I. — *De voluntate Dei salvifica.*

223. Divinæ voluntatis præcipuæ divisiones 303
224. Errores. 304
225. Probatur Deum, etiam post Adæ lapsum, velle voluntate antecedente vera et sincera omnes omnino homines salvos fieri. — *Assertio* 305
226. *Scholium.* An et quo sensu voluntas salvifica Dei conditionata dicenda sit? 308

§ II. — *De prædestinatione.*

227. Quid sit prædestinatio? 308
228. Utrum in Deo admittenda sit prædestinatio, et quidem certa et infallibilis? 309
229. Præfinitur quæstio expendenda. — Theologorum opiniones . 309

I. — Exponuntur momenta primæ sententiæ.

Quomodo Thomistæ suam sententiam probent :
230. 1. Ex Scriptura Sacra? 311
231. 2. Ex SS. Patribus? 311
233. 3. Ex ratione? 311

II. — Exponuntur momenta secundæ sententiæ.

Quomodo Molinistæ suam sententiam vindicent :
234. 1. Ex Scriptura Sacra? 312
235. 2. Ex SS. Patribus? 312
236. 3. Ex ratione? 313
Tria quæruntur, nempe :
237. 1. Quinam sint effectus prædestinationis. 313

Num. Pag
238. 2. Quisnam sit prædestinatorum numerus 313
239. 3. An dari possit certitudo de alicujus prædestinatione. . . 314

§ III. — *De reprobatione.*

240. Quid et quotuplex sit reprobatio? 315
241. Quomodo fiat reprobatio negativa? 316
242. Quinam erraverint circa motivum reprobationis positivæ?. . 316
243. Utrum Deus ex solo beneplacito ad supplicia æterna aliquem positive destinet? — *Assertio* 317

TRACTATUS DE DEO REDEMPTORE.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE INCARNATIONE.

Symbolum Athanasianum 318
Decreta Concilii Ephesini, generalis III. 319
Epistola S. Leonis Papæ ad S. Flavianum. 321
Concilii Chalcedonensis, generalis IV, decretum 322
Epistola Agathonis et Synodi Rom. 125 Episcoporum. . . . 322
Decreta conc. Constantinopol. III, generalis VI. 323

TRACTATUS PROŒMIUM.

1. Tractatus objectum 327
2. — momentum. 327
3. — divisio 328

PARS I. — De Incarnatione Verbi.

PRÆVIÆ NOTIONES.

I. — Incarnationis notio.

5. I. De nomine Incarnationis. 328
6. II. De definitione Incarnationis 329
7. III. De figuris Incarnationis 330

II. — Incarnationis possibilitas.

Tria ostenduntur, nimirum :

8. 1. Incarnationis possibilitatem non posse naturali lumine demonstrari et cognosci 331
9. 2. Ipsam tamen minime rationi contrariam probari posse . . 331
10. 3. Eamdem variis analogiis suaderi 332

III. — Incarnationis notitia.

Num. Pag.
11. I. Quoad Angelos 333
12. II. Quoad homines ante Christum viventes 334

CAPUT I. — De existentia utriusque naturæ divinæ et humanæ in Christo.

14. Dividitur caput. 335

Art. I. — *De divinitate Christi.*

15. Errores. 335
16. Probatur Jesum Christum esse verum Deum. — *Assertio* . . 336
17. *Scholium.* Nonnulla observantur de quibusdam Scripturæ textibus 340

Art. II. — *De humanitate Christi.*

18. Errores recensentur 340
19. Probatur Jesum Christum esse verum et perfectum hominem. — *Assertio.* 341
Tria deducuntur et evolvuntur corollaria, nempe :
20. 1. Circa corpus Christi 342
21. 2. Circa ejus animam. 343
22. 3. Circa corporis et animæ unionem 343

Art. III. — *De temporali generatione Christi.*

23. Errores. 344
24. Probatur Jesum Christum ex B. Maria carnem suscepisse, ita tamen ut ex matre Virgine conceptus, salva quoque ejus integritate, natus fuerit. — *Assertio.* 345
Tria quæruntur, nempe :
25. 1. Quonam sensu Christus dicatur de Spiritu Sancto ex Maria conceptus 349
26. 2. Utrum B. Maria post partum semper virgo permanserit. . 349
27. *Scholium.* De matrimonio B. Virginis Mariæ cum S. Joseph . 350

CAPUT II. — De unione naturæ humanæ cum persona Verbi.

Art. I. — *De natura unionis hypostaticæ.*

28. Exponuntur errores, Nestorianismus scilicet, Eutychianismus et Monothelismus 351
Tria statuuntur, dari nimirum in Christo :
29. 1. Unicam personam, nempe Verbi divini. — *Assertio* 1ª . . 353
30. 2. Duas vero naturas inconfusas, impermixtas, integras etiam post unionem. — *Assertio* 2ª 358

Num. Pag.
31. 3. Duas quoque voluntates et operationes. — *Assertio* 3ª . . 360
Tria quæruntur :
32. 1. An et quatenus in Christo unus sit operans?. 363
33. 2. Utrum persona Christi sit composita 364
34. 3. In quo formaliter consistat unio hypostatica. 364
Ex dictis colligitur unionem hypostaticam esse
35. 1. Intrinsece et quoad substantiam quam maxime supernaturalem 365
36. 2. Substantialem 366
37. 3. Maximam et præstantissimam tum in ratione unionis tum in ratione doni 367
38. *Scholium.* Solvuntur objectiones, quibus impugnari solet unio hypostatica. 368

ART. II. — *De adjunctis unionis hypostaticæ.*

39. Quid hoc nomine veniat? — Divisio articuli. 372

§ I. — *De adjunctis unionis hypostaticæ ex parte personæ assumentis.*

40. Quæstio exponitur. 372
41. Probatur naturam humanam Christi immediate terminari per proprietatem relativam Verbi. — *Assertio* 372
42. Per modum corollarii infertur Patrem et Spiritum S. ne mediate quidem incarnatos fuisse 374

§ II. — *De adjunctis unionis hypostaticæ ex parte naturæ assumptæ.*

43. Status quæstionis determinatur. 375
Tria demonstrantur, nempe :
44. 1. Sanguinem proxime et immediate a Verbo assumptum fuisse. — *Assertio* 1ª 376
45. 2. Verbum immediate quoque assumpsisse reliquas corporis partes integrales etiam in lato sensu. — *Assertio* 2ª . . . 377
46. 3. Verbum naturam humanam cum suis partibus simul tempore assumpsisse. — *Assertio* 3ª 378
47. *Scholium.* Quo sensu Patres dixerint carnem, mediante anima, a Verbo assumptam esse. 379

§ III. — *De adjunctis unionis hypostaticæ ex parte assumptionis.*

Tria expenduntur :
48. 1. Quandonam unio hypostatica incœperit. — *Assertio* 1ª . . 379
49. 2. An et quatenus triduo mortis perseveraverit. — *Assertio* 2ª . 380
50. 3. Utrum semper duratura sit. — *Assertio* 3ª 383

ART. III. — *De consectariis unionis hypostaticæ.*

51. Enumerantur præcipua unionis hypostaticæ consectaria . . 383

§ I. — *De divina maternitate Mariæ.*

Num. Pag
52. Errores. 383
53. Probatur B. Virginem Mariam vere ac proprie esse Deiparam. — *Assertio.* 385
Ex dictis per modum corollarii infertur
54. 1. Quis fuerit terminus adæquatus generationis Christi ex Maria 388
55. 2. Quanta dignitas in Mariam redundet ex divina maternitate. 388
56. 3. Quomodo se habeat divina maternitas ad dona sanctificationis et glorificationis, quibus donata fuit Maria. 389

§ II. — *De divina filiatione Christi.*

57. Status quæstionis — Errores 389
Tria statuuntur :
58. 1. Christum, ut hunc hominem, filium Dei naturalem, non adoptivum esse. — *Assertio* 1ª 391
59. 2. In nullo vero ac probando sensu Christum dici posse filium Dei adoptivum. — *Assertio* 2ª 393
60. 3. Filiationem divinam temporalem humanitati Christi in recto adscribi non posse. — *Assertio* 3ª 394
61. Expenditur sub forma corollarii an et quatenus Christus, ut homo, dici possit servus Dei 395

§ III. — *De communicatione idiomatum.*

62. Cummunicationis idiomatum notio. 396
Tria probantur :
63. 1. Admittendam esse in Christo communicationem idiomatum in concreto. — *Assertio* 1ª 397
63. 2. Illegitimam esse communicationem idiomatum in abstracto. — *Assertio* 2ª 398
65. 3. Nullatenus dici posse Christi humanitatem esse ubique præsentem. — *Assertio* 3ª 399
66. *Scholium.* Traduntur regulæ ad communicationem idiomatum recte adhibendam servandæ 400

§ IV. — *De eximiis humanæ Christi naturæ dotibus.*

67. Enumerantur prædictæ dotes. 402

I. — De sanctitate Christi.

68. Quid sit sanctitas? — Quotuplex distinguatur in Christo? . . 402
69. Utrum et quatenus humanitas Christi per unionem hypostaticam sanctificetur? 403
Tria asseruntur de sanctitate accidentali Christi, nempe :
70. 1. Animam Christi gratia sanctificante exornatam fuisse. — *Assertio* 1ª 403
73. 2. In Christo fuisse virtutes, quarum actus visioni beatificæ et unioni hypostaticæ non repugnant. — *Assertio* 2ª 40

Num. Pag.
72. 3. Christum habuisse dona Spiritus Sancti. — *Assertio* 3ª . . 406
Quæritur dein
73. 1. Quandonam Christus habuerit gratiam habitualem . . . 406
74. 2. Quænam fuerit perfectio gratiæ habitualis Christi. . . . 407
75. 3. Utrum Christus habuerit gratiam actualem necnon gratias gratis datas 408

II. — De scientia Christi.

76. An Christus habuerit scientiam creatam? — Quotuplex sit? . 408
Utrum et quatenus admittenda sit in Christo
77. 1. Scientia beatifica? — *Assertio* 1ª 409
78. 2. Scientia infusa? — *Assertio* 2ª 410
79. 3. Scientia propriis actibus acquisita? — *Assertio* 3ª 412
Tria quæruntur :
80. 1. Qualis fuerit scientia Christi beatifica 413
81. 2. Quænam Christus per scientiam infusam cognoverit. . . 413
82. 3. Utrum scientia Christi acquisita perfectior et excellentior fuerit ac in cæteris hominibus. 414

III. — De impeccabilitate Christi.

83. Quotuplex sit impeccabilitas ? 415
84. An et quænam impeccabilitas Christo tribuenda sit? — *Assertio* 415
Tria expenduntur :
85. 1. Utrum Christus ea semper egerit quæ erant perfectissima. 417
86. 2. Utrum in Christo fuerit fomes peccati 418
87. 3. Quomodo libertas Christi cum ejus impeccabilitate conciliari possit. 418

IV. — De cæteris Christi hominis prærogativis.

88. Quænam dicenda veniunt? 421
89. An et quatenus in Christo fuerint passiones? — *Assertio* 1ª . 422
90. Utrum et qua ratione Christus habuerit defectus corporales? — *Assertio* 2ª 423
91 An forma decorus fuerit? — *Assertio* 3ª 426
92. *Scholium* 1. De potentia Christi hominis. Quænam potentia Christo homini tribuenda sit? — Quibus dotibus insigniatur? — Quo modo se habeat in effectibus supernaturalibus producendis ? 427
93. *Scholium* 2. De dignitate capitis Christo homini tribuenda. Utrum Christus homo caput sit omnium hominum, — Angelorum, — creaturarum irrationalium? 429

CAPUT III. — De fine, necessitate et convenientia Incarnationis.

Art. I. — *De Incarnationis fine.*

94. Quis fuerit finis Incarnationis ultimus? 432

Num. Pag.
95. Quis fuerit finis Incarnationis proximus ? 432
96. Quænam ut certa habenda sint circa quæstionem Thomistas inter et Scotistas agitatam? — Opiniones 433
97. Probatur Incarnationem probabilius decretam fuisse consequenter ad peccati prævisionem. — *Assertio*. 434
98. Argumenta scotistarum 435

ART. II. — *De Incarnationis necessitate.*

Tria prænotantur, nempe :
99. 1. Deum omnino liberum fuisse in reparando humano genere. 436
100. 2. Satisfactionem condignam non fuisse necessariam in hypothesi reparationis 437
101. 3. Deum tamen statuisse, ut peccatum sine condigna satisfactione non remitteretur 438
102. Scotistarum et Thomistarum sententia de necessitate Incarnationis in hypothesi satisfactionis condignæ. 439
103. Probatur necessariam fuisse Incarnationem in prædicta hypothesi. — *Assertio*. 440
Tria quæruntur :
104. 1. Utrum Deus, homine non peccante, ab Incarnatione peragenda abstinere potuisset 441
105. 2. Utrum Incarnatio ne moraliter quidem ex parte Dei necessaria fuerit. 442
106. 3. Utrum homo justus possit condigne satisfacere pro peccato veniali 445

ART. III. — *De convenientia Incarnationis.*

107. Status quæstionis 446
108. Probatur Incarnationem Verbi convenientissimam fuisse sive Deo, sive humanæ naturæ, sive rerum universitati. — *Assertio* 446
Quæritur :
109. 1. Utrum convenientius fuit Filium incarnari quam Patrem vel Spiritum S 450
110. 2. Utrum convenientius fuit reparari naturam humanam quam angelicam 451
111. 3. Utrum conveniens fuerit Incarnatio ratione temporis, quo facta fuit 451

PARS II. — **De redemptione Christi.**

112. Redemptionis notio 452
113. Ordo dicendorum 453

CAPUT I. — DE EXISTENTIA REDEMPTIONIS.

114. Dividitur materia 453

ART. I. — *De satisfactione Christi.*

Num. Pag.
115. Satisfactionis notio. — Errores 453
116. Probatur Christum vere et proprie pro hominibus Deo satisfecisse ? — *Assertio* 454
Tria quæruntur, nempe :
117. 1. Utrum Christus non tantum pro culpa originali, sed etiam pro peccatis actualibus satisfecerit 457
118. 2. An et quatenus satisfactio Christi condigna vel etiam superabundans fuerit. 459
119. 3. Utrum fuerit ex toto rigore justitiæ. 461

ART. II. — *De merito Christi.*

120. Meriti notio 464
121. Probatur Christum hominibus meruisse æternam beatitudinem necnon gratias supernaturales ad illam obtinendam necessarias. — *Assertio* 465
Quæritur :
122. 1. Utrum Christus quædam sibi et Angelis meruerit. . . . 467
123. 2. Quandonam et quibus actibus Christus meruerit 468
124. 3. Utrum actiones Christi fuerint ab intrinseco valoris infiniti tam ad merendum quam ad satisfaciendum 469

CAPUT II. — DE UNIVERSALITATE REDEMPTIONIS.

125. Errores. 471
126. An et quo sensu Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit? — *Assertio* 472
Duo quæruntur, scilicet :
127. 1. Utrum reprobi redemptionis Christi aliquomodo participes sint 475
128. 2. An et quatenus mors Christi iis etiam profuerit qui ante ipsum vixerunt 475

CAPUT III. — DE MUNERIBUS CHRISTI REDEMPTORIS.

129. Nonnulla præmittuntur de mediatione Christi 476
130. Quænam sint munera Christi redemptoris? 478

ART. I. — *De munere Christi prophetico..*

131. Prophetæ notio et dotes. 479
132. An et quatenus propheticum munus expleverit Christus ? — *Assertio* 479
133. Nonnulla per modum corollarii inferuntur de independentia, et efficacia Christi doctoris 482

ART. II. — *De munere Christi sacerdotali.*

Num. Pag.
134. Quid sit sacerdos? — Quid sacrificium? 483
135. Probatur verum et excellentissimum sacerdotium Christo tribuendum esse, cujus præcipuum munus explevit seipsum in ara crucis offerendo. — *Assertio* 484
Tria quæruntur :
136. 1. Quandonam Christus in sacerdotem unctus fuerit? . . . 488
137. 2. Qua ratione Christus sacerdos fuerit 489
138. 3. In quonam sensu Christus dicatur sacerdos in æternum juxta ordinem Melchisedech. 491
139. Infertur corollarium de omnimoda perfectione sacerdotii Christi 492
140. *Scholium.* De oratione Christi 493

ART. III. — *De munere Christi regio.*

141. Quid et quotuplex sit regia potestas? 494
142. Probatur Christum, qua Deum hominem, regem fuisse spiritualem, et quidem excellentissimum. — *Assertio.* 495
Quæritur utrum Christus, qua Deus homo,
143. 1. Rex temporalis fuerit. 497
144. 2. Dominium privatum omnium rerum habuerit 498
145. 3. Potestatem judiciariam sibi vindicet 498

APPENDIX I. — DE CULTU CHRISTO REDEMPTORI PERSOLVENDO.

146. Quid et quotuplex sit cultus? 500

§ I. — *De cultu humanitatis Christi in genere.*

147. Errores. 500
148. An et quatenus Christi humanitas adoranda sit? — *Assertio.* 501

§ II. — *De cultu sacratissimi Cordis Jesu in particulari.*

149. Quædam prænotantur de objecto, motivis et fine cultus sacratissimi Cordis Jesu 503
150. Contra Jansenistas probatur cultum sacratissimi Cordis Jesu pium esse et legitimum. — *Assertio.* 504
151. Solvuntur objectiones 506
153 *Scholium.* De cultu cæterarum corporis Christi partium. . . 506

§ III. — *De cultu crucis Christi.*

Tria statuuntur
154. 1. Veram crucem Christi magna veneratione dignam esse. — *Assertio* 1ª 507
155. 2. Veræ crucis imagines licite coli posse. — *Assertio* 2ª . . 507
156. 3. Pium esse ac laudabile signum crucis manu expressum. — *Assertio* 3ª 508
157. *Scohlium.* De natura cultus cruci exhibiti. 508

APPENDIX II. — DE BEATISSIMA DEI GENITRICE MARIA.

Num. Pag.
158. Dicendorum objectum et ordo. 509

CAPUT I. — De Maria in terris viatrice.

159. Dividitur caput 509

Art. I. — *De prima sanctificatione Mariæ.*

§ I. — *De immunitate Mariæ a peccato originali.*

160. Probatur B. Virginem Mariam ab omni peccati originalis labe immunem fuisse. — *Assertio* 510

§ II. — *De plenitudine gratiæ Dei genitrici Mariæ impertitæ.*

161. Ponitur quæstio. 513
162. Quanam mensura B. Virgo Maria in prima sua sanctificatione gratiam acceperit? — *Assertio* 513
Quæritur.
163. 1. Utrum et quatenus B. V. Maria in gratia confirmata fuerit 516
164. 2. Utrum peccati fomitem habuerit 517
165. 3. An et quænam gratiæ gratis datæ Dei Genitrici Mariæ concessæ fuerint 518
166. *Scholium* 1. De perfectione intellectus Mariæ. Utrum rationis usum ante nativitatem habuerit? — Quænam fuerit ejus scientia sive naturalis, — sive supernaturalis? 519
167. *Scholium* 2. De perfectione corporis Mariæ 522

Art. II. — *De cooperatione Mariæ in redemptionis mysterio.*

168. Status quæstionis 522
169. Probatur B. V. Mariam ad munus cooperandi redemptioni generis humani electam esse. — *Assertio* 523
Duo quæruntur, nimirum :
170. 1. Quomodo B. Dei Genitrix Maria ad humani generis redemptionem cooperata fuerit 526
171. 2. An et quatenus Christi Filii sui passionis consors fuerit. . 528

Art. III. — *De merito Mariæ*

172. I. Quandonam et quandiu B. V. Maria meruerit? 530
173. II. Quibus actibus meruerit? 531
174. III. Utrum et quatenus pro hominibus meruerit 532

CAPUT II. — De Maria in cœlo regnante.

Art. I. — *De beatitudine Mariæ.*

175. Nonnulla præmonentur de pretiosa morte B. Virginis Mariæ. 534

Num. Pag.

176. Quotuplex sit beatitudo Mariæ? — Quid doceant theologi de visione intuitiva, qua gaudet B. Virgo Maria?. 535
177. Probatur B. Virginem Mariam cum suo corpore in cœlis triumphare. — *Assertio* 536
Quæritur :
178. 1. Qua certitudine constet Assumptio B. Virginis Mariæ. . . 538
179. 2. Quo die resurrexerit B. Virgo Maria. 539
180. 3. Quid dicendum sit de gloria tum assumptionis, tum corporis Mariæ 539
181. *Scholium* 1. De triplici aureola B. Virginis Mariæ. 539
182. *Scholium* 2. De dignitate regali B. Virgini Mariæ concessa. An et quatenus dicenda sit regina cœli, terræ et inferni? . 542

ART. II. — *De mediatione Mariæ.*

183. Quænam pertineant ad mediationem Mariæ 543

§ I. — *De interventu Mariæ in gratiarum dispensatione.*

184. Probatur piam et laudabilem esse sententiam asserentem nullam gratiam hominibus concedi sine Mariæ interventu, eamque obtinere quidquid a Deo exspostulat. — *Assertio*. . . 544

§ II. — *De maternitate spirituali Mariæ erga homines.*

185. Maternitatis spiritualis Mariæ radix et notio genuina. . . . 547
186. Utrum B. Virgo Maria jure hominum mater appellatur? — *Assertio* 547

ART. III. — *De cultu Mariæ exhibendo.*

188. Utrum B. V. Maria cultu religioso, et quidem speciali, colenda sit? — *Assertio* 549
Tria quæruntur nempe :
189. 1. An et qualis sit necessitas cultum exhibendi B. Virgini Mariæ. 550
190. 2. Quibus actibus persolvendus sit cultus B. V. Mariæ debitus 552
191. 3. An et quatenus devotio ergo B. Virginem Mariam sit signum perseverantiæ et prædestinationis. 554
192. *Corollarium*. An et quatenus clerici devotionem erga B. Virginem Mariam aliis persuadere sibique servare debeant? . . 556

APPENDIX III. — DE CULTU SANCTORUM, RELIQUIARUM ET SACRARUM IMAGINUM.

§ I. — *De cultu sanctorum.*

193. Dicendorum objectum et ordo. 557

I. — De intercessione Sanctorum.

194. Errores. 557

Num. Pag.
195. Probatur Sanctos in cœlo regnantes pro hominibus singulis intercedere. — *Assertio* 557
196. *Scholium.* Utrum orationes Sanctorum semper exaudiantur? . 560

II. — De veneratione Sanctorum.

198. An licitus et pius sit Sanctorum in cœlis regnantium cultus? — *Assertio* 560
199. *Scholium.* Nonnulla observantur tum ad præcavendas objectiones, tum de natura cultus Sanctis exhibiti. 561

III. — De invocatione Sanctorum.

201. Contra quosnam et quomodo probetur licitam atque utilem esse Sanctorum invocationem? — *Assertio.* 562
Duo quæruntur :
202. 1. Quomodo Sancti orationes nostras cognoscant 565
203. 2. Utrum non tantum licitum, sed etiam necessarum sit ad salutem Sanctos invocare. 565
204. *Corollarium.* De communione Sanctorum. 566

§ II. — *De reliquiarum cultu.*

205. Quid reliquiarum nomine veniat? — Doctrina Conc. Trid. de cultu reliquiarum 567
206. Probatur reliquias Sanctorum pie a fidelibus honorari. — *Assertio* 568
207. *Scholium.* Qualis cultus reliquiis Sanctorum persolvatur? . . 569

§ III. — *De cultu sanctarum imaginum.*

208. Quinam sanctarum imaginum cultum impugnaverint? . . . 570
209. Probatur imagines a fidelibus pie honorari. — *Assertio* . . 570
210. *Scholium.* De natura cultus sanctis imaginibus exhibiti . . . 571

TRACTATUS DE GRATIA.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE GRATIA.

Ex Concilio Tridentino (*Sess.* 6).

Capita 573
Canones. 583

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. — Tractatus objectum et utilitas.

Num. Pag.
1. Tractatus objectum. 588
2. — utilitas 588

II. — Gratiæ in genere notio.

3. Gratiæ definitio quoad nomen et quad rem 589
4. Gratiæ divisio in gratiam *Dei* et gratiam *Christi*, — *externam* et *internam*, — *gratis datam* et *gratum facientem*, — *actualem* et *habitualem* 590

III. — Doctrinæ catholicæ de gratia conspectus dicendorumque ordo.

5. Exponitur doctrina catholica de statu hominis — 1. nondum justificati; — 2. jam justificati. 591
6. Tractatus divisio 592

PARS I. — **De gratia actuali.**

7. Gratiæ actualis partitiones — in *medicinalem* et *elevantem*, — *operantem* et *cooperantem* — *sufficientem* et *efficacem*. . . 593
8. Ordo dicendorum 594

CAPUT I. — De necessitate gratiæ actualis.

9. Quotuplex actuum genus in homine distingui possit? — Divisio materiæ 594

Art. I. — *An homo lapsus absque gratia aliquod opus ethice bonum efficere possit?*

10. Errores Novatorum, — Baii et Jansenistarum, — nonnullorum theologorum 595
Tria dein asseruntur et demonstrantur, nempe hominem lapsum aliquod opus moraliter bonum peragere posse :
11. 1. Absque gratia sanctificante. — *Assertio* 1ª 596
12. 2. Sine fide. — *Assertio* 2ª 597
13. 3. Absque ullo gratiæ auxilio. — *Assertio* 3ª 599
14. *Scholium*. Expenditur utrum revera dentur opera bona absque gratia peracta. 600

Art. II. — *An et quatenus gratia homini lapso necessaria sit ad nonnulla ordinis naturalis opera?*

15. Quinam ea de re erraverint? 601

§ I. — *De necessitate gratiæ ad legis naturalis observantiam.*

Num. Pag.
16. Præmittuntur nonnullæ observationes circa præcepta legis naturalis 601
17. Quænam ut certa habenda sint? 601
18. Probatur hominem, in præsenti naturæ lapsæ statu, omnia præcepta naturalia quoad substantiam servare non posse. — *Assertio* 602

§ II. — *De necessitate gratiæ ad tentationes vincendas.*

19. Quid et quotuplicis generis sint tentationes? — Quotuplici modo vinci possint? 603
20. Quædam faciliora et evidentiora prænotantur 603
21. An homo lapsus sine gratia tentationes graves vincere possit? — *Assertio* 604
22. Infertur corollarium 605

§ III. — *De necessitate gratiæ ad naturalem Dei dilectionem.*

23. Quid et quotuplex sit dilectio Dei? 605
24. Quænam ab omnibus admittantur? 605
25. Quid in controversiam veniat? 606
26. Utrum in præsenti statu, absque gratia, possit homo Deum ut auctorem naturæ diligere amore affectivo perfecto? — *Assertio* 606
27. *Scholium.* Nonnullæ subjiciuntur observationes — tum circa genus impotentiæ, qua homo laborat in ordine mere naturali, — tum circa specialem indolem gratiæ ipsi in eodem statu necessariæ, — tum circa statum naturæ puræ . . . 607

ART. III. — *An et quatenus gratia homini necessaria sit ad opera ordinis supernaturalis?*

28. Exponuntur errores Pelagianorum, — Semi-pelagianorum, — hodiernorumque Naturalistarum 609

§ I. — *De necessitate gratiæ ad actus salutares.*

30. Quid et quotuplex sit opus supernaturale? 611
31. Probatur ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam. — *Assertio* . . . 611
32. Deducitur ex dictis — 1. quanam impotentia homo laboret circa præfatos salutares actus; — 2. quali gratia indigeat ad eosdem actus eliciendos 613
33. *Scholium.* Expenditur utrum in homine justo ad omnes et singulos actus salutares necessaria sit gratia actualis elevans . 614

§ II. — *De necessitate gratiæ ad fidei et salutis initium.*

34. Probatur gratiam necessariam esse ad ipsum fidei initium,

Num. Pag.
necnon ad cujuslibet operis salutaris desiderium. — *Assertio.* 615
Deducitur per modum corollarii :
35. 1. Hominem ad primam gratiam se præparare non posse . . 616
36. 2. Nullum esse nec digniorem, nec dignum prima gratia . . 616
37. 3. Quo sensu intelligendum sit vulgatum axioma : *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* 617

§ III. — *De necessitate gratiæ ad perseverantiam finalem.*

38. Quid et quotuplex sit perseverantia? 617
39. Probatur finalem perseverantiam ex divina misericordia repetendam esse ideoque magnum Dei donum merito vocari. — *Assertio* 617
40. Solvuntur objectiones. 620
Duo quæruntur, nempe :
42. 1. An et quatenus ipsa perseverandi potentia ex speciali auxilio Dei proveniat. 621
43. 2. An et quatenus peccata venialia ab homine justo, absque speciali privilegio Dei, vitari nequeant. 622

CAPUT II. — De natura gratiæ actualis.

Quædam prænotantur, videlicet :
44. 1. Gratiam actualem non reponendam esse in operatione voluntatis Dei omnipotentis. 624
45. 2. Eamdem non esse unice neque formaliter sanctum amorem ejusve inspirationem 624
46. 3. Ipsam demum non consistere in actione voluntatis deliberata 625
47. Divisio capitis 625

Art. I. — *De gratia excitante et adjuvante.*

48. Exponitur et dividitur quæstio 626

§ I. — *An et quomodo per gratiam excitantem illustretur intellectus et moveatur voluntas?*

49. Quotuplici modo intellectus illustrari voluntasque moveri a Deo possunt? 626
50. Quænam de præsenti quæstione ab omnibus admittantur? . 626
52. Probatur voluntatem immediate moveri per gratiam excitantem. — *Assertio* 627
53. *Scholium.* Exponitur quid sint ex parte hominis prædictæ intellectus illuminationes et voluntatis inspirationes. . . . 629

§ II. — *An et quomodo per gratiam actualem intellectus et voluntas hominis roborentur et elæventur ad agendum supernaturaliter?*

54. Status quæstionis. — Theologorum opiniones 630

I. — Opinio Molinistarum.

Num. Pag.

55. Quomodo probent Molinistæ intellectum et voluntatem nostram nonnisi extrinsece per gratiam actualem elevari? . 630

II. — Systema Thomistarum.

56. Quomodo probent Thomistæ easdem facultates intrinsece per gratiam actualem elevari. 631

§ III. — *An et qua ratione gratia adjuvans a gratia excitante distinguatur?*

57. Status quæstionis. — Opiniones 633

I. — Sententia Molinistarum.

58. Quid doceant Molinistæ? — Quomodo suam sententiam probent? 634

II. — Sententia Thomistarum.

59. Quænam sit Thomistarum sententia? — Quibusnam argumentis eam vindicent? 636

Art. II. — *De gratia sufficienti et efficaci.*

60. Quid sit gratia sufficiens, quid et quotuplici sensu efficax? — An dentur gratiæ efficaces? — Divisio quæstionis. . . . 637

§ I. — *An et quo sensu dentur gratiæ sufficientes?*

61. Errores 638
62. Probatur dari gratias vere, sed mere sufficientes. — *Assertio.* 639
Tria quæruntur :
63. 1. An gratia sufficiens veri beneficii rationem habeat . . . 642
64. 2. Utrum, posita gratia sufficiente, alia requiratur, ut eliciatur actus salutaris 644
65. 3. Undenam repetendum sit quod gratia sit mere sufficiens . 645

§ II. — *An sub influxu gratiæ efficacis voluntas humana maneat libera?*

66. Errores. 646
67. Probatur voluntatem humanam liberam esse sub influxu gratiæ efficacis. — *Assertio* 646

§ III. — *Undenam desumenda sit infallibilis connexio gratiæ efficacis cum effectu.*

68. Præfinitur quæstio. 648

I. — Sententia Molinistarum.

69. Expositio systematis 648

Num. Pag.
70. Ejus demonstratio 650
71. Utrum ab hoc systemate differat congruismus? 651

II. — Sententia Thomistarum.

72. Exponitur systema. 651
73. Ejus demonstratio. 652
74. *Scholium.* Quænam fuerit controversia Dominicanos inter et Jesuitas circa præsentem quæstionem 653
75. Conclusio capitis. Quænam sint certa vel communiter admissa, quænam vero libere agitata de natura gratiæ actualis? . 653

CAPUT III. — De distributione gratiæ actualis.

76. Exponitur status quæstionis caputque dividitur. 654

§ I. — *An justis omnibus dentur gratiæ sufficientes?*

77. Quo sensu, contra quos et quomodo probetur justis omnibus urgente præcepto dari gratias saltem remote sufficientes? — *Assertio.* 655

§ II. — *An fidelibus peccatoribus dentur gratiæ sufficientes?*

78. Quotuplicis generis sint peccatores? — Ostenditur multas gratias peccatoribus obduratis a Deo subtrahi 656
79. Utrum iisdem peccatoribus obduratis dentur gratiæ saltem remote sufficientes, quibus possint et peccata vitare et a peccatis resipiscere? — *Assertio* 657

§ III. — *Utrum omnibus infidelibus adultis dentur gratiæ sufficientes?*

80. Quotuplicis generis sint infideles? — Probatur gratias saltem remote sufficientes ad salutem consequendam omnibus infidelibus dari. — *Assertio* 658
81. *Scholium* 1. De providentia supernaturali Dei erga infideles negativos 660
82. *Scholium* 2. De infantibus sine baptismo decedentibus . . . 661

PARS II. — **De gratia habituali.**

83. Gratiæ habitualis definitio — Ordo dicendorum 662

CAPUT I. — De natura gratiæ habitualis.

84. Divisio capitis in tres articulos. 663

Art. I. — *De conceptu generico gratiæ habitualis.*

85. Quænam pertineant ad conceptum genericum gratiæ habitualis. 663

§ I. — *Utrum gratia habitualis sit donum creatum?*

Num. Pag.

86. Magistri Sententiarum et Petavii sententia 663
87. Probatur gratiam habitualem non esse ipsam Spiritus Sancti personam, sed donum quid creatum. — *Assertio.* 664
88. *Scholium.* Utrum gratia habitualis ex nihilo producatur? . . 664

§ II. — *An et quatenus gratia habitualis sit donum intrinsecum?*

89. Protestantium ea de re placita. 665
Tria probantur, gratiam nempe habitualem :
90. 1. Esse donum in anima infusum eique intrinsece inhærens. — *Assertio* 1ª 665
91. 2. In anima modo permanenti existere. — *Assertio* 2ª . . . 667
92. 3. Per modum habitus eidem inesse. — *Assertio* 3ª 668

§ III. — *Utrum gratia habitualis sit donum a caritate distinctum?*

93. Opinio Scotistarum 669
94. Probatur gratiam habitualem probabilius a caritate realiter distingui. — *Assertio* 669
Per modum corollarii infertur gratiam habitualem
95. 1. Non in aliqua animæ potentia, sed in ejus essentia subjectari 670
96. 2. Ab anima ejusque potentiis realiter distingui 670
97. 3. Naturæ munus in ordine supernaturali gerere 670

Art. II. — *De entitate physica gratiæ habitualis.*

98. Doctrinæ S. Thomæ ea de re 671
99. Probatur gratiam sanctificantem esse formalem et physicam participationem divinæ naturæ. — *Assertio* 671
100. *Corollarium* de genuina notione gratiæ habitualis. 672

Art. III. — *De eximiis gratiæ habitualis prærogativis.*

101. Ostenditur prærogativas gratiæ habitualis in eo potissimum elucere quod homo per eam fit — 1. Deo gratus et ejus amicus; — 2. filius Dei adoptivus æternique regni hæres; — 3. Spiritus Sancti habitaculum et templum? — *Assertio.* 674
Tria deducuntur corollaria, videlicet gratiam habitualem esse :
102. 1. Entitative et absolute supernaturalem 677
103. 2. Omni alio ente creato, sive naturali, sive supernaturali, nobiliorem ac perfectiorem 678
104. 3. Nonnisi a Deo produci posse 679

CAPUT II. — De justificatione peccatoris.

105. Justificationis notio et variæ causæ. — Divisio capitis. . . . 679

ART. I. — *De præviis ad justificationem dispositionibus.*

Num. Pag.
106. Protestantium errores. 680
Tria statuuntur, nempe :
107. 1. In adultis prærequiri dispositiones quasdam ad justificationem. — *Assertio* 1ª 680
108. 2. Fidem necessariam non fidem promissionum, sed fidem dogmaticam seu veritatum esse. — *Assertio* 2ª 681
109. 3. Solam fidem non sufficere ad justificationem. — *Assertio* 3ª 683
110. *Quæritur* 1. Quænam requirantur dispositiones ad justificationem 685
111. *Quæritur* 2. Utrum fides et reliqui actus vere ad justificationem præparent eamque impetrent 685

ART. II. — *De natura justificationis.*

112. Novatorum placita 686
Tria rursus probanda veniunt, nimirum :
113. 1. In justificatione peccatoris peccata vere et proprie remitti et deleri. — *Assertio* 1ª 686
114. 2. Eamdem fieri per internam hominis renovationem. — *Assertio* 2ª 687
115. 3. Causam formalem justificationis non esse justitiam Dei vel Christi per fidem apprehensam, sed gratiam sanctificantem homini intrinsece inhærentem. — *Assertio* 3ª 688
116. *Quæritur* 1. Utrum de potentia Dei absoluta peccatum et gratia possint esse simul in eodem subjecto 689
117. *Quæritur* 2. Utrum justificatio absolute fieri posset per solum favorem extrinsecum 689
118. *Quæritur* 3. An et quinam habitus supernaturales cum gratia infundantur 690

ART. III. — *De proprietatibus justificationis.*

119. Protestantium theoria. 691
120. Tria etiam stabiliuntur, nempe :
1. Neminem sine speciali revelatione certum esse posse certitudine fidei se esse justificatum, nullumque proinde teneri ad id fide credendum. — *Assertio* 1ª 691
121. 2. Justitiam non esse in omnibus æqualem. — *Assertio* 2ª . . . 693
122. 3. Justitiam esse amissibilem, et revera per peccatum mortale subsequens amitti. — *Assertio* 3ª 694
123. *Scholium.* An et quatenus gratia sanctificans peccato veniali minuatur? 695

CAPUT III. — DE MERITO BONORUM OPERUM.

124. Quid et quotuplex sit meritum? 695

ART. I. — *De existentia meriti.*

Num. Pag.
125. Contra quosnam et quomodo probetur hominem justificatum bonis operibus ex gratia factis vere et propie mereri. — *Assertio*.. 696
126. Quæritur an et quatenus fiduciam in propriis meritis collocare liceat. 697

ART. II. — *De conditionibus meriti.*

127. De quonam merito agatur? — Undenam petantur conditiones meriti? 698

I. — Conditiones ex parte merentis.

An et quo sensu homo, ut possit mereri, debeat esse :
128. 1. Viator?. 698
129. 2. Liber? 699
130. 3. Justus?. 698

II. — Conditiones ex parte operis.

An et quatenus opus meritorium esse debeat
131. 1. Honestum?. 700
132. 2. Supernaturale? 700
133. 3. Ex motivo aut saltem ex imperio caritatis peractum? . . 701

III. — Conditiones ex parte præmiantis.

134. An et quatenus ad meritum necessaria sit ex parte Dei promissio? 701
Duo quæruntur :
136. 1. Ex quotuplici capite crescat meritum 702
135. 2. Quænam conditiones requirantur ad meritum *de congruo* . 702

ART. III. — *De objecto meriti.*

136. Quid et quotuplex sit objectum meriti? 703

I. — De gratia.

138. I. *De gratia actuali.* Expenditur an et quatenus homo mereri possit — 1. *primam* gratiam actualem ; — 2. *aliam* gratiam *uberiorem* ; — 3. gratiam *efficacem* 703
139. II. *De Justificatione.* An et quatenus peccator mereri possit — 1. justificationem ; — 2. suam reparationem post lapsum futurum? 704
140. III. *De augmento gratiæ habitualis.* Utrum justus bonis operibus mereatur illud augmentum? — Quales actus virtutum idem augmentum mereantur et qua proportione? 704

II. — De perseverantia finali.

Num. Pag.
141. I. An justus de condigno mereri possit perseverantiam finalem ? 706
142. II. An saltem de congruo? 706

III. — De gloria.

143. Ostenditur justum de condigno mereri vitam æternam . . . 707
144. *Quæritur* 1. Utrum Deus justorum opera remuneret supra condignum. 707
145. *Quæritur* 2. An et quatenus unus homo pro alio mereri possit? 708

FINIS INDICIS.

Vesontione. — Ex typis Outhenin Chalandre filiorum et Soc.

208.9
C 563
8837
CLAROMONTENSES II
AUTHOR
Theologiae Dogmatica & Mor.
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
[redacted]
FEB 6 1987
8837